
DONATI ACCIAIOLI IN ARISTOTELIS LIBROS OCTO Politicorum COMMENTARII,

Nunc primùm in lucem editi.

Index rerum, & verborum memorabilium.

CVM PRIVILEGIO.



netijs, apud Vincentium Valgrisium,
M D LXVI.

AD LEONARDVM CONTARENVM VENETAE REIPVB. APVD IMP. CAES. MAXIMILIANVM, Oratorem,

IO. BAPTISTAE RASARII *In* VIII. *Libros de Rep. Ariſtotelis* PRAEFATIO.

C*VM multos tulit antiqua illa ætas, Contarene Clariſſime, qui in omni ſciẽtiarum, doctrinarumq. genere floruerunt, & quorum monumenta magna cum voluptate, mirabiliq. fructu perleguntur: tum vero nullius ad nos ſcripta peruenerunt, quæ cum Ariſtotelicis conferri vllo modo poſſe videantur. Cum enim hic vir ingenij ſui præſtantia, atq. acumine rerũ cauſſas accuratiſſime indagaſſet, eoq. vſq. in hac contemplatione defixus penetraſſet, vt etiam Deorum ſecreta intueretur: exiſtimauit, totam hãc rerum humanarum cognitionem ſuperuacaneam eſſe, niſi homines ſe hominũ cauſſa natos eſſe meminiſſent: hancq. ſcientiam ad hominum ipſorum decus, vtilitatemq. traduxiſſent. Cognoſcebat enim hominem adminiſtratorem, ac dominum rerum omnium, quæ infra globum Lunæ continentur, à Deo Opt. Max. collocatum. itaq. cum rerum caducarum naturam, atq. principia tradidiſſet, quarum pulcherrimam eſſe cognitionem perſpexerat, hoc tamen non ſufficere ad bene, beateq. viuendũ intellexit, niſi virtutibus ornati homines eſſent, & ciuitates alicuius prudentia gubernarentur. Quamobrem totam illam philoſo-*

phiæ partem, qua nos met ipsos primum, quod quidem est præclarum: deinde familiam, quod est maxime salutare: postremo remp. quod munus est longe omnium, quibus homines fungi possunt, præstantißimum, administraremus, plane absoluit, atq. perfecit. quo sane beneficio nullum aut maius, aut præstãtius ab homine in reliquos homines conferri posse videbatur. Non desunt tamen hoc tempore, qui Aristotelem insimulent, quod obscure scripserit: ideoq. ad Platonis magniloquentiam se conferunt. Ego quidem non negarim: ex Platonis lectione percipi multa posse, animumq. ad virtutem, atq. ad æternitatem accendi: sed tamen si doctrinæ ratio, & via cum Aristotelica compararetur, profecto qui in doctrinis, rerumq. cognitione facere progressus voluerit, quãtum inter hos viros intersit, facile iudicabit: intelligetq. non esse, cur de scriptorum Aristotelis obscuritate conqueratur. etenim vbi admirabilis ordo cernitur, verborum delectus habetur maximus, nihil superuacaneum dicitur, ibi inesse magna obscuritas non potest. Siquid igitur minus planum occurrit, id non scriptoris vitio, sed rerum, quas tractabat, euenit. id quod te habere persuasum animaduerti: qui in Aristotelis scriptis euoluendis, & in ista tua apud Imp. Cæsarem legatione explicandis iam diu es cum magna tui, Venetiq. nominis gloria, laudeq. versatus. Vides enim, vbi rerum natura patitur, nullam fere esse obscuritatem: quod omnino in ijs libris, qui de moribus inscribuntur: præcipue autẽ in octo libris de rep. qui sunt in manibus, plane cernitur. In ijs enim pene omnia, tanquam in tabula effícta, atq. depicta sub aspectum hominis accurate cuncta expendentis, cadere videntur. Quod vt ij, qui tar-

diores,

diores sunt, Aristotelisq. artificium non ita probe norũt, intelligant: quam potero breuißime, quibus ab initijs exorsus remp. instituerit, quãq. enodate rem propositam tractarit, exponam. Dabis interim mihi, ornatißime vir, hanc veniam, si patientia tua abusus, ea attulero, quæ tu vel ingenio tuo, quo plurimum præstas: uel iudicio, quod in te est acerrimum: uel studio, quod est singulare, es facile consequutus: vel Andream Siluium, virum optimum, atq. eruditißimum, qui tecum est, differentem audire potuisti. Est igitur Aristoteli propositum, de ciuitate, ciuiliq. societate differere. itaq. cuius caussa vnaquæq. constituta sit, plane docet. Deinde reprehensa Platonis de rege, ciuitatis gubernatore, patrefamilias, heroq. sententia, id ipse obseruat, quod esse in omni arte tradenda faciendum monuit. Cum enim quærat, quid ciuitas sit, id ex partibus cognosci posse confirmat. Virum præterea, & vxorem, vt principes partes, familiam conficere vidit: quamobrem de ijs primum sibi agẽdum existimauit. atq. ut quorsum hoc spectet, percipiamus: hominẽ ad ciuilem hanc communionem esse natura aptum ostendit: quod is boni, & mali: iuris, iniuriæq. notitiam, quæ sola coniunctionem huiusmodi constituunt, in se habeat: ceteræq. animantes horum bonorum expertes censeantur. Tum vero partes ciuitatis ita pertractat, nullã ut silentio prætereat: siquidẽ de re familiari, eiusq. partibus, de re vxoria, & de seruili, paternoq. imperio copiose verba facit. Vt autem seruile imperium à natura cõparatum doceat, à natura esse generatum id, quod præest, & id, quod paret, multis rationibus, exemplisq. testatur. alias postea rei familiaris partes persequitur, quas in tribus superiori

bus non numerarat, ut rei faciēdæ, pecuniæq. acquirēdæ rationē: earumq. partes deinceps exponit, ut agriculturam, rem pecuariā, piscatū, aucupium, venationem: iisq. in rebus afferendis, cetera animantia hominis caussa parata esse confirmat. Postremo autem de paterno imperio, deq. re vxoria pauca subiungit, ut hæc primi libri fere sententia esse videatur. Quia vero optimum ciuitatis statum sibi proposuerat, ideo in secundo accurate aliorū, qui aliqua laude valerent, de rep. sententias expendit. Primum igitur Platonis politiam, et libros de legibus, multis de caussis refellit: tum Phaleæ, Milesiorum, Lacedæmoniorum, Cretensium, Carthaginiensiumq. remp. postremo Solonis, et omnium eorum, qui de hac re scripsissent, repudiat sententiam: atq. ipse suam de eo ciuitatis statu, quem quærebat, interponit. Itaq. in tertio libro quid ciuitas, quidq. ciuis sit, inuestigat: tum boni ciuis officium quid sit: idem ne sit, quod boni viri: qui incolæ ciuitatis ciues habendi, qui non: tum quid resp. sit, quotq. eius sint genera. Cum enim tria laudabilia, regiam potestatem, optimorum, & quæ cōmuni omnium nomine resp. dicitur, inuenisset: tria quoq. vitiosa his contraria, tyrannidem, paucorum opulentorum potestatem, et populare ciuitatis genus esse tradidit. Exquirit postea, quid summam in rep. habere potestatem oporteat, plebem ne, an diuites, an bonos, an vnum virtute præstantem, an tyrannum: qua in re virtuti principem locum omnino tribuendum iudicauit. His ita expositis, genera rerump. cuiusmodi sint, considerat: et quæ sint earum dissimilitudines, diligenter pertractat. Cumq. remp. quæ ab optimo rectore, aut pluribus regatur, esse optimam cōstituisset, deinceps ex rebus, quæ

possi-

poßidentur, esse optimam concludit, in qua nimirum moderatæ earum, magnæq. insint copiæ. Deinde quæ cuiq. aut quibusq. optima sit, indagat. Quo vero facilius id efficiat, tres partes, quæ ciuitatē quanq. continent, ipse constituit, vt ordinem senatoriū, vt magistratus, vt iudicum decurias: quas partes, utpote in omni reip. genere uitiosas, corrigit, atq. emendat: atq. ita ad quinctum usq. librum peruenit. In quincto autem, cum vnumquodq. genus eorum, quæ attulit, à statu dilabi, in aliumq. mutari perspiceret, ipse mutationis, & interitus caussas, tū vero etiam incolumitatis, salutisq. demonstrauit: vt illis deuitatis, has esse sciremus omnino retinendas. Quibus in rebus exponēdis, exēpla subiungit innumerabilia rerump. cum omnium prope gētium, tum uel maxime Græcorum. Verum si vestram hic vir, prope diuinus, remp. intueri potuisset, tam prudenter, tamq. salutariter tēperatam, et in qua æquißimis legibus omnia decernuntur, profecto neq. aliarum exemplis vsus esset: neq. fortasse hunc laborem reip. instituēdæ suscepisset. Docet igitur in sexto, quæ res populi, et paucorum potestatē efficiant, labefactent, atq. conseruēt: deinde qui, quotq. magistratus sint cōstituēdi, et quæ eis cura tradenda. Iam uero, cū optimā remp. inuestiget, eamq. quæ quibusq. optima sit: beatam aūt vitam cum optimo ciuitatis statu coniunctam esse velit, et bonis animi, corporis, et externis expleri: primum vtra vita sit anteferēda, ea ne, quæ in rep. rebusq. gerendis versatur, an ea, quæ contemplatione continetur, accuratißime disputauit: deinde quibus rebus tria illa genera bonorū efficiātur, in septimo, octauoq. libro declarauit: omnesq. beatæ, felicisq. ciuitatis partes egregie disposuit: publicæq.

felicitatis certum, rectumq. iter cõmonstrauit. tum uero quam magna vrbs, quoq. loco sita esse debeat, indicandũ censuit. quantus uero numerus ciuium, præsertim eorum, sine quibus esse ciuitas non potest, qui quæq. munera susti nere, et an parere atq. imperare vicissim debeãt, diligen ter exposuit. tum qua ætate coniugium ineundum, quid pueris faciendum, aut fugiẽdum, quibus, quotq. artibus erudiendi sint, ut remp. recte gerant, conquisita cura con scripsit. Sciebat. n. vir sapientissimus, talem fore remp. quales essent ciues, qui eam gubernarẽt. Itaq. de artibus ingenuo, liberoq. homine dignis, vt de re litteraria, de pi ctura, de gymnastica, deq. musica subtiliter, copioseq. dis seruit. Ex quibus quidem rebus facile apparet, omnes hu ius admirabilis viri labores, omnia studia, vigilias, cona tus deniq. omnes huc pertinuisse, vt moribus, et prudẽtia felicitatis comparandæ ratio in ciuitatibus constitueretur: tum vero humanarum, diuinarumq. rerum notitia, et auctoris earundem cognitione, atq. admiratione, alterius felicitatis, cuius hæc ciuilis simulacrum quoddam est, gu stum aliquem homines ingenio, doctrinaq. excellenti præ sentirent. fuit hoc, mea quidẽ sententia, summi philosophi consilium, hæc mens. Verum cum hæc ipsa docendi ratio, ac via non ita sit omnibus trita, ideo vir egregius, Donatus Acciaiolus, Florentinus, præstans ingenio, & diligen tia, cum videret eius philosophiæ, qua mores conforman tur, finem esse reip. administrationem, libros uero decem de moribus iam commẽtarijs illustrasset, existimauit, sibi idem esse in octo libris de rep. faciendũ. quod præstitit ille quidem accurate, sed tamẽ hos commentarios, vt illos superiores, proferre in lucem non potuit. Itaq. cum ij in ma nus

nus meas incidissent, efflagitarentq́. pleriq. à me, eos vt ede rem, non potui hoc eis non gratificari, quod ad agendum eo libentius adductus sum, quod magnopere cupiebã, tibi aliqua ex parte meam in te obseruantiam, quoquo modo possem, declarare. Nam & me patri tuo, viro clarissimo, et se natori sapiẽtissimo debere plurimum sentio: et de tua in me beneuolentia perscripsit ad me sæpe vir integerrimus, et cu ius in rep. gerenda fides, prudentiaq́. excellit, Hieronymus Albinus: vt vel hæc vna caussa satis esse queat, te vt obseruem, & colã. Verum cum tanta sit præterea virtus tua, tanta rerum cognitio, tantus splendor generis, tantaq́. am plitudo, video nõ solum hoc munusculum, sed etiam omnia magna, atq. eximia tibi deberi. quod sane ex totius reip. senatusq́. præclaris de te iudicijs intelligi facile potest: quã do non modo eos adeptus es magistratus, quos tibi per ætatem licebat, sed summo etiã studio sunt tibi pene adolescẽti honores illi tributi, quos viri iam in luce reip. multum, lau dabiliterq́. versati vix consequi potuissent. Itaq. cum ad Romanorum regẽ orator missus esses, moxq́. ille Imperator esset declaratus, tantũ abfuit, vt de successore tibi mittẽdo in senatu ageretur, vt cunctis suffragijs tibi eadẽ sit apud Imp. Cæs. mãdata prouincia: quam tu summa tua cum laude, et immortali Veneti nominis gloria tibi gerendã propo suisti. atq. ita, quod ad remp. tuã pertinet, sapiẽtissime cura sti: et tantã tibi Imp. Cæs. aliorumq́. Germaniæ principum beneuolentiã comparasti, ut cũ audiant, te inde propediem esse decessurum, id æquo animo ferre non posse videantur. quocirca non erit mirabile, cũ istam legationẽ obieris, si oẽs honores, omnesq́. magistratus tibi vltro deferantur: quod et uirtutibus tuis singularibus deberi oẽs prædicant, et ego mirũ in modũ exopto. Vale. Venetijs, Idib. Martijs. 1566.

INDEX RERVM IN ACCIAIOLI COMmentarijs memorabilium.

Primam pagina significat a, secundam vero, b.

Athle

Ciuis

Cupi

Falsum

Paſto

Seu-

Spe-

Tri-

FINIS

DONATI ACCIAIOLI
IN LIBROS POLITICORVM
ARISTOTELIS

PRAEFATIO.

NEMO mediocriter doctus ignorat, philoſophiam habitum quendam eſſe præclarum, qui noſtrum perficit intellectum: Hanc cum deſcriberet Philoſophus Ariſtoteles eam, artium artem & ſcientiarum ſcientiam eſſe dixit, ſiue vt eius gradum, & dignitatem oſtenderet, cum aliæ artes & facultates videantur à philoſophia principia ſumere, ſiue de prima philoſophia loqueretur, quæ ſapientia ab eo, & domina reliquarum ſcientiarum, maximeq; ſcientia in reſolutiuis poſterioribus dicitur. Verum philoſophia largo modo ſumpta bifariam diuidi ſolet. Quædam enim ſpeculatiua: quædam actiua communi quadam conſuetudine appellatur: Nam cum intellectiua potentia duplex eſſe dicatur, atq; altera ſpeculatione, altera actione terminetur: cumque obiecta duplicia ſint, ea ſcilicet, quæ ſunt, & ea; quæ aguntur à nobis, merito his duobus talis diuiſio correſpondere videtur. Sed cum vnuſquiſq; habitus, aut ſubiecto circa quod eſt, aut fine gratia cuius eſt, ab alio habitu præcipue diſtinguatur: hæ quoq; philoſophię ſpecies ſubiectis & finibus ſuis magnopere differunt: Quippe ſpeculatiua circa ea quæ ſunt, actiua circa ea quæ aguntur à nobis communi ſententia, iudicioq; conſiſtit: præterea fines habent diuerſos, cum altera contemplationem, altera actionem proprium ſibi finem conſtituat. At cum præſens conſideratio circa ciuile negotiũ verſetur, omiſſa ſpeculatiua philoſophia ad actiuam, quæ magis ad hoc noſtrum propoſitum ſpectat, progrediamur. Eſt igitur actiua philoſophia, quæ

etiam practica dicitur à cōi schola philosophantium, in tres partes diuisa, in ethicam, œconomicam, & politicam. Nam cum triplex sit viuendi, seu agendi ratio, moralis, domestica, ciuilis, triplex etiam doctrina traditur à philosopho ethica scilicet, vt seipsum homo: œconomica, vt domum: politica vt rempublicam bene instituat atq; gubernet. Verum cum alia eiusdem generis sint à nobis in expositione librorū moralium latius declarata, ideo paucis nunc agendum putamus: vt nec prętermissa ea, quæ sunt cognitu necessaria, nec nimis longe repetita videantur. Quamobrem descriptione atque diuisione philosophię breuibus verbis allata, nunc considerandа sunt ea, quæ ante explanationem libri afferri in medium solent: intentio philosophi, vtilitas operis, si liber est auctoris, cuius dicitur esse: titulus præterea: ordo, diuisio: modus doctrinę, & ad quam partem philosophiæ hæc ciuilis disciplina reducatur. Vitam autem philosophi, vt notam & multorum litteris expressam, omittendam putamus. Intentio igitur Aristotelis est, vt post moralem & domesticam disciplinam, ciuitatem cōstituat, & Rempublicam moderetur, in qua homines, seu ciues, quoad possint, felicissime viuant. Vtilitas est etiam non mediocris, quia tali doctrina instituti possumus rectè gubernare res p. quod est vltimus finis rerum agendarum, & ipsius etiam ciuitatis. Nam bene agendi gratia, ponendum est, esse ciuilē societatem. Is liber cōi sententia Aristotelis esse dicitur. idem Peripatetici: Stoici: ipsi etiam Platonici sentiunt. Modus quoq; procedendi hoc idem declarat. Summa est in eo doctrina: facundia vero tanta, ac tanta historiarum, exemplorumq; copia, vt apud Græcos suorum librorum elegantissimus habeatur.

Titulus est Aristotelis Stagiritæ libri ciuiles. Non enim vnus est liber, sed plures atq; diuersi secundum varias materias, quæ & si ad eundem finem dirigantur, tamen varios habent tractatus.

Ordo procedendi ad hanc doctrinā talis sumi, vt plurimum

rimum solet, post grammaticam & oratoriam facultatem danda est opera dialecticæ: deinde sumenda est moralis philosophia, tum œconomica, demum ipsa ciuilis scientia est percipienda, vt cognitio vnius sit successiuè gradus alterius, quousque ad vltimam & perfectissimam perducamur. Est autem hæc ciuilis postrema & principalissima actiuarum. Et ideo inter actiuas postremo loco, vt diximus, perdiscenda. Diuisio operis est in octo libros, vt manifestissime patet.

In primo tradit cognitionem partium ciuitatis, quæ percipiendæ erant, vt totum cognosceretur ex illis, ex quibus constat.

In secundo aggreditur opinionem philosophorum, qui scripserunt de rebus p. Et primo opinionē Platonis circa quoddā membrum suæ rei p. Deinde Phaleæ Cartaginensis, Tertio Hyppodami Milesij. Affert præterea quasdam res p. sua tempestate vigentes, easq; redarguit.

In tertio loquitur de ciuitate secundum suam sententiam in genere, & considerat, quæ sint bonę res p. Et statim diuidit ciuitatis gubernationem, siue ipsam rem p. in regem, optimates, & rem p. tanquā in species, & partes suas subiectiuas, ex quibus etiam transgressiones eis oppositæ cognoscuntur. Deinde regiam gubernationem latissime daclarat.

In quarto sequitur doctrinam tradere de alijs speciebus rei p. scilicet de optimatibus & re p. & etiam de transgressionibus rerū p. exactissime ostendendo vnumquodq; membrum gubernationum, quæ magistratus habent, consilium, & iudicia.

In quinto affert causas in genere, & in specie, quibus destruuntur, & quibus conseruantur res publicæ.

In sexto supponit quædam pertinentia ad constitutionem potentiæ paucorum, & status popularis secundum exigentiam temporis, & affert numerum magistratuum, atque eorum munera potestatemq; declarat.

In septimo docet de cōstitutione optimæ rei p. quam principalissimè intendit. Et quia ad hoc vt res p. & om-

nino ciuitas optima euadat, curare oportet, vt optimi ciues efficiantur, atq; ad id consequendum maxime confert, à primis incunabulis bona institutione liberos imbuere, ideo affert documenta, quæ ad teneræ ætatis educationem pertinent.

In octauo, & vltimo sequitur tradere doctrinam de institutione iuuentutis, quæ succedere in gubernatione senioribus debet. Multa vero de ipsa musica dicit, quam, si sit media possibilis ac decens, conferre vult ad dispositionem virtutum, & bonos mores consequendos.

Modus doctrinæ non est demonstratiuus, magis enim id patiebatur ethicorum materia: & tamen ibi non est vsus demonstrationibus proprie dictis. Ergo multo minus in ijs ciuilibus vtendum putauit. Non enim hęc talia habent causas necessarias, cum agantur à nobis, & à nostro arbitrio proueniant: demonstrationes vero proprie dictæ ab ijs & de ijs sint, quæ aliter se habere non possint. Quare dicendum est, vt iste modus sit potius appellandus probabilis, & qui inductionibus & exemplis, & probabilibus argumentis vtatur.

Reducitur ista scientia ad philosophiam actiuã: considerandum est tamen, ꝙ nulla scientia adeo actiua esse dicitur, quę non habeat speculationem.

Hęc aũt scientia non agit, sed actiua dicitur, quia ordinatur ad opus, seu ad actionẽ. Est aũt hęc excellentissima partium actiuarũ scientia cum aliæ ordinentur ad istam, tanquam ad vltimam, & perfectissimã reliquarũ.

Subiectũ aũt huius libri, vt pleriq; sentiunt, videtur esse ciuitas, cuius ét principia, partes, & operationes cõsiderat ipsa ciuilis scĩa, vt deinceps patebit. Sed hęc pauca pręmisisse sufficiat, vt explanatio clarior, faciliorque reddatur. Verũ ne quis forte mireẽ, me in exponẽdo textu minus elegãtię cõsulere, q̃ fortasse pleriq; expeterẽt: sciat aliud esse oratoris, aliud expositoris officiũ. Vtendũ est.n. terminis non tã elegãtibus, quàm vsitatis, pręsertim in explicandis huius philosophi scriptis, quibus plerunq; ita sunt abditę, obscuręq; snĩę, vix vt intelliganẽ.

DONATI ACCIAIOLI FLORENTINI,

IN LIBROS POLITICORVM ARIST.

EXPLICATIO.

*Q*VONIAM *videmus omnem ciuitatem eſſe ſocietatem quandam, & omnem ſocietatem boni alicuius gratia conſtitutam (nam eius gratia quod bonum videtur, omnia omnes agunt) patet, quod ad bonũ aliquod omnes contendunt: maximè vero principaliſsimum omnium, quæ eſt principaliſsima, & cæteras omnes complectitur. Eſt autem hæc illa, quæ ciuitas appellatur, & ciuilis ſocietas.*

CONditores legum, ac rerum publicarum gubernatores omni ſtudio contendere debent, vt ciuitates, quantum in eis eſt, felices efficiant. Nam omnis legitima gubernatio, & omnino ciuilis ſocietas bene agendi gratia inſtituta eſt: Bene autem agere idem eſt, ac felicem eſſe. Huius igitur finis quanta excellentia ſit, & quanta perfectio non ignarus philoſophus Ariſtoteles poſt priuatam, & domeſticam diſciplinam, vt actiua philoſophia ex omni parte perficeretur, laborem ſuſcepit omni laude dignum, ſcribendi hos de republica libros: ex quibus & qui regunt, & qui reguntur non mediocrem fructum conſequi poſſunt. Diuiditur autẽ hic primus liber in tres tractatus. In primo determinat de prima ſocietate domus: quę eſt inter dominũ & ſeruũ: in ſecundo de ea facultate, qua acquirũtur neceſſaria, vt poſſeſſiones, quæ facultas eſt veluti inſtrumentum domus, & ſi non ſit pars eius. In tertio agit de reliquis duabus ſocietatibus, quæ ſunt partes conſtitutiuæ domus, ſcilicet viri & vxoris, patris & filij: domus enim ex ſupradictis ſocietatibus conſtat.

Primus tractatus rurſus diuidiur in tria capitula: in

primo docet de ciuitate ea ratione, qua est quoddam to tum:in secundo de societate domini & serui : & ostendit quid sit seruus : in tertio quærit de seruo, vtrum sit talis natura, an positione, & lege, vel alio modo.

Primum capitulum diuiditur in duas partes principa les.in prima ostendit cõditionem, seu dignitatem ipsius subiecti .i. ciuitatis : declarando quod est propter summum bonum humanum.In secunda ostendit serie & ordine partes,ex quibus constituitur ciuitas. In prima igitur parte philosophus affert hanc conclusionem , quod ciuitas intendit vt suũ finem,aliquod bonum humanum, quod est summum & principalissimum.probatur.Omnis humana societas ob aliquem bonum finem,Maior osten ditur, quia sicut homines suis actionibus intendunt aliquem finem,& per consequens aliquod bonum,vt philo sophus probauit in principio ethicorum , sic societates ex hominibus cõstitutę,minor est per se nota,ergo conclusio. Tunc si omnis humana societas intendit aliquod bonum : maxima & principalissima societas ab omnibus instituta , intendet maximum & principalissimum bonum . Ea autem est ciuitas .

Notandum quod societates sunt propter bonum constitutæ:sed cum res humanæ sint finitæ , sic & societates humanę.Ergo deueniendum est ad vnam societàtem vltimam,quæ cæteras complectatur, & sit principalissima reliquarum , & per consequens, vt dictum est , intendat principalissimum bonum : hæc autem est ciuilis . Quòd & si idem bonum dicatur vnius hominis,vel aliarum societatum, & ciuitatis, tamen magis amplũ & perfectum est ciuitatis , vel gentis , vt ostendit philosophus in primo ethicorum . cum vero dicit ciuitatem,intelligit indifferenter etiam regnum, vt quidã expositores volunt.

Quicunq; verò putant gubernatoris,ciuitatis,& regis,patrisq; familias,& domini eandem esse rationem,non bene dicunt . Multitudine enim,& paucitate,sed non specie illorum singulos putant differre : veluti si paucorum quidem , dominum : si vero plurium, patremfamilias : sin etiam plurium , gubernatorem ciuitatis , vel

regem

regem: quasi nihil differat magna domus, & parua ciuitas, gubernatorque ciuitatis, & rex, quando quidem ipse præsidet rex: quando vero secundum rationem talis scientiæ partim præsidet, partim subest, gubernator ciuitatis.

Hęc est secũda pars principalis huius capituli, in qua philosophus primo affert opinionem priscorum, qui dicebant non esse differentiam formalem seu specificã inter societatem ciuilem & alias societates, siue earum gubernationes, atq; illam refellit. Deinde affert partes, ex quibus constat ciuitas. Dicit igitur primum q; ij, qui volunt gubernationem ciuilem & regiam: tum herilem, & domesticam esse eiusdem rationis, non bene sentiunt. Illi autem arguebant hoc pacto: ea, quæ differunt multitudine & paucitate, non differunt specie: sed hæ societates seu gubernationes sunt huiusmodi, ergo non differunt specie. Nã multitudo & paucitas non faciunt distinctionem formalem. Quòd autem differant multitudine tantum & paucitate, probatur, quia respectũ paucorum dicitur dominus, respectu plurium, vt præter seruos contineat etiam liberos, dicitur paterfamilias, respectu adhuc plurium, gubernator ciuitatis, vel rex, seu regimen ciuile, vel regium. Et hæc afferre videntur, quasi nihil differant ista, nisi pluralitate ac paucitate, & perinde quasi magna domus, & parua ciuitas non differat: similiter regimen ciuile ac regium. Sed quando quidem ipse præsidet rex, propria potestate dicitur regnare: Quando vero quis secundum rationes huiusmodi scientiæ, scilicet ciuilis, & secundum leges positas ex politica disciplina, in parte præsidet, in parte subest, ob vicissitudinem imperandi & parẽdi, gubernator siue regimen ciuile. Ex quibus concludebant illi prisci, istas omnes ciuitates, siue regimina tam domestica quàm publica non differre specie. Sunt nonnulli expositores qui volunt philosophum cum dicit. *Quando quidem idem præsidet rex: quando vero secundum rationem*, afferre hæc, vt ostendat, contra opinionem priscorum differre talia regimina non solum multitudine, & paucitate, sed etiam forma, hoc me

dio, quia in principatu regali rex simpliciter præest, & propria potestate: Gubernator vero in ciuili, non simpliciter, sed secundum leges positas ex politica disciplina, itaq; partim præest, partim subest, ac ex eo regimen diuersum specie oriatur.

Sed hæc vera non sunt, quod manifestum erit secundũ hanc doctrinam considerantibus. Vt.n. in alijs compositũ vsq; ad incomposita diuidere necessarium est (hæ nanq; sunt minimæ totius particulæ) ita ciuitatem ex quibus componitur cõsiderantes, intuebimur, quæ illarum magis, & quid illæ differant inter se, & si quid artificij singulæ illarũ, quæ dictæ sunt, admittant. Si quis igitur ab initio rerũ originẽ respiciat, vt in alijs, sic & in istis optime discernet.

Redarguit philosophus opinionem illorum, quæ non videtur esse vera, si quis consideret doctrinam ab eo sępe allatam, vbi ostenditur quod ad cognitionem totius, necesse est, ipsum compositum resoluere vsq; ad incomposita, & ad ipsa simplicia, vt in dialecticis ex primo physicorum manifeste apparet. Nam si quis velit percipere corpus naturale, necesse est resoluere id vsq; ad elementa. Ac vt in alijs rebus fit, sic faciendum est in ciuili societate: & considerandum, ex quibus ciuitas componitur, resoluendo ciuitatem in partes suas; & sic poterimus percipere quæ sint illæ societates, & gubernationes, & in quo differant. Quãdo.n. considerantur res, vt oriuntur ex suis principijs, perfectius cognoscuntur. Notandũ ad cognitionẽ alicuius rei compositæ, opus esse, vt via resolutionis diuidamus, seu resoluamus compositum vsq; ad ipsa simplicia. Deinde est opus via cõpositionis, vt perfectius ex illis principijs iam cognitis percipiamus ipsum compositum ex illis constitutum. *Secundum doctrinam*, scilicet traditam à nobis. *Si quid artificij recipiunt:* idest si quid contingat artificiale. Quia si ista differunt specie, habebunt diuersa artificia vt ciuitatis, & domus varia artificia esse scimus. Notandum, vt quidã expositores dicunt, quod multitudo & paucitas sunt materialia in istis societatibns: sed ordinatio hominũ inuicem respectu presidentis est quoddã formale; & quia alia & alia est ordinatio

natio secundum speciem,vt alia respectu regis, alia respectu gubernatoris, alia respectu patrisfamilias, differunt specie. Sumūt etiam differentiam formalem à differēti ordinatione constituta sub diuerso regimine diuersimode præsidentium.

Primum igitur necesse est,combinare illos, qui non possunt esse nisi simul,ceu marem,& fœminam,generationis causa: & hoc non ex electione,sed velut in cæteris animalibus, & plantis, naturale est desiderium,quale ipsum est tale alterum relinquendi.

Cum dictū sit, q oportet resoluere ipsam ciuitatem, tanquam totum vsq; ad partes minimas,& eas percipere: ideo primum considerat philosophus primam societatē,quę est domus,& partes suas simplices, ex quibus componitur. Eę autem sunt combinationes viri & vxoris,domini & serui: deinde considerat pagum, demum veniet ad ciuilem societatem. Dicit igitur,q prima combinatio,seu societas naturalis,est maris & fœminæ,gratia generationis,respectu cuius nō possunt esse seorsum:& hęc talis coniugatio non est per electionem,& eligentem rationem,per quam homo differt à brutis,& etiam à plantis: sed per appetitum naturalem,cōmunem nobis cum cæteris animalibus,& cum plantis,per quem naturaliter appetit homo,sicut illa,generare sibi simile in specie, & relinquere alterum tale,quale ipse est. Notandum q licet homo inclinetur ad copulam per principium commune,& naturalem appetitum, tamen potest talis coniunctio perfici per electionem,cum coniux in coniugem consentit. Notandū,q sunt,qui dicunt inueniri in plantis vim masculinam, & fœmininam: sed coniunctam in eodem indiuiduo,licet magis in aliquo abundet vna, in aliquo altera.

Imperans vero natura,& parens,propter conseruationem: nam quod potest mente prospicere,natura imperat,& dominatur: quod autem potest corpore hoc facere,paret natura, & seruit: quapropter domino,& seruo idem confert.

Affert philosophus secundam combinationem, seu societatem: quæ est domini & serui; & ostendit, q ille est

naturą

natura imperans, qui intellectu præualet, ille seruiens, qui robustus est corpore, & nõ valet consilio, ex quo oritur societas vtrisq; salutaris, cum ille mente debilis obtemperat prudenti, & prudens imperat ei, qui est robustus corpore. Quare tam dominus, quàm seruus si cõiungitur prudentia viribus corporis, cõsequitur ea, quę sunt suę saluti necessaria. Notandum, quod natura non solum intendit generationem, sed etiam conseruationem eorum, quæ procreata sunt. Prima societas scilicet vxoris & viri, gratia generationis: Secunda domini & serui, gratia conseruationis esse videtur. Vnde M. Tullius in libro de Officijs, commune inquit animãtium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum quæ procreata sunt.

Natura igitur distincta sunt fæmina, & seruus. Nihil enim natura facit tale, quale statuarij Delphicum gladium ob inopiam, sed vnum ad vnum: sic enim optimè instrumenta proficient, si eorum singula non multis, sed vni deseruiant. Verum apud barbaros fæmina, & seruus eodem gradu habentur. Causa vero huius est, quoniam quod natura dominetur, non habent: sed fit eorum societas ex seruo, & serua. Quamobrem aiunt poetæ, Græcos barbaris dominari oportere: quod idem sit natura, barbarus, & seruus. Ex his duabus igitur societatibus, domus prima. rectèq; Hesiodus inquit, domum in primis comparandam, mulieremque, & bouem aratorem: bos enim pro seruo pauperibus est. Quotidiana igitur societas, secundum naturam constituta, domus est: quos Charondas quidem ὁμοσιπύους, id est, eadem arca vtentes: Epimenides vero Cretensis ὁμοκάπνους, idest, eodem præsepi communicantes, appellat.

Allatę sunt duę combinationes à philosopho scilicet maris & fœminæ, domini & serui: quæ vt intelligantur non esse eædem, sed diuersæ, atq; distinctæ, arguit philosophus hoc pacto. Illa quæ habent terminos distinctos, sunt distincta atq; diuersa: Sed societates allatę habent terminos suos distinctos, videlicet alia vxorem, alia seruum, ergo sunt distinctę. Quòd autem vxor & seruus differant, probat philosophus per hoc, quod eorum officia

cia ſunt diuerſa. Vxor enim ordinatur ad generandum: ſeruus ad ſeruiendum. Inſtituit .n. natura vnum ad vnum,& non facit vt interdum ars,& ſicut fabri illi, qui efficiebãt gladium delphicum aptum ad plura officia. & licet barbari pro eodem habeant vxorem & ſeruum, dicit philoſophus,quod hoc fit,quia ibi deficit alter terminorũ vnius ſocietatis,ſcilicet dominus prudens,qui mente & conſilio valeat. Itaq; talis eorum ſocietas fit ex ſeruis tãtum,vnde bene dicunt poetæ, inquit philoſophus, quod gręci,vt prudentes debẽt barbaris imperare. perinde ac ſi naturaliter idem ſit eſſe barbarũ, & eſſe ſeruum. *Ex ijs duabus igitur:* Determinat igitur ex ſupradictis philoſophus quod prima domus ex duabus illis ſocietatibus cõſtat ſcilicet viri & vxoris,domini & ſerui,quorum perſonæ eodem nutrimento & igne vtuntur. Vnde Charondas appellat eos homoſipyos, quaſi vtentes eodem cibo. Epimenides vero homocapnos,id eſt vtentes eodem igne,vel fumo,vel etiam eodem pręſepi. Nam capos ab Homero appellatur præſepi. Verum non eſt in omni domo communicatio domini, & ſerui,veluti accidit in domo pauperis,tamen bos obtinet ibi locum ſerui,vel alia huiuſmodi beſtia. *Domus prima:* ideo dicit quia eſt etiam alia ſocietas in domo,vt patris & filij,quæ ex prima producitur. Nam illæ duæ ſocietates primo conſtituunt domum ita,vt cum adſunt illæ duæ combinationes, ſtatim domus appellari poteſt ex illis conſtituta, cum vlterius adſunt liberi,vt accedat etiã patris & filij ſocietas, tunc nõ ſolum domus, ſed completa domus appellari poteſt. Dubitatur cum philoſophus dicit, quod natura facit vnum ad vnum. Hoc non videtur verum vt patet de lingua,quæ eſt naturaliter accommodata ad duo, videlicet ad locutionem,& guſtum,vt oſtendit philoſophus in libro de anima. Dicendum, quod natura facit vnum ad vnũ primo & principaliter. Nam lingua naturaliter eſt primo ad guſtum in homine, ſicut in alijs animalibus, quæ non habent locutionem. Secundario autem eſt inſtrumentũ locutionis ſimul cum palato & gutture. Alio

modo

modo dici poteſt vnum non ordinari ad plura: Intelligendum eſt de ijs, quæ ſe inuicem impediunt. Sed guſtus & locutio non ſe impediunt mutuo, ergo non erit abſurdum, quod lingua ordinetur ad plura, vt experientia patet.

Sed quæ ex pluribus domibus conſtituitur ſocietas prima, vtilitatis gratia non quotidianæ, pagus eſt. Maximè vero ſecundum naturam videtur pagus, propagatio quædam eſſe domus eorum, quos dicimus coaluiſſe, & natos eſſe natorum. Quapropter primo ſub regibus ciuitates erant, nunc vero etiam gentes: nam ex ijs quæ ſuberant regno, proceſſerunt: omnis enim domus regitur à ſeniore: quare & pagi inde propagati propter conſanguinitatem. Et hoc eſt quod inquit Homerus: Iura dant ſinguli natis et vxoribus: ſparſim năq; etiam ſic antiquitus habitabant. Et Deos ob hoc ipſum putant cuncti regem habere, quoniam & ipſi partim nunc, partim antiquitus ſub regibus degebant. Quemadmodum vero Deorum formas ſibijpſis attribuunt homines, ſic etiam & vitas.

Philoſophus hac in parte affert ſocietatem ex pluribus domibus primo compoſitam, quæ dicitur pagus, & talis maxime videtur eſſe ſecundum naturam ob propagationem domus, quia multiplicantur liberi & nati natorum, qui cum vna domo capi non poſſint, in alias domos quaſi in colonias exeũt, & ſic fit naturaliter pagus. Hinc ortum eſſe videtur, vt ab initio ciuitates cęperint à Regibus gubernari, deinde etiam gẽtes: Nam cum domus primum, deinde etiam ſoboles propagata, & in varias domos diffuſa regeretur à ſeniore, tale regimen profluxit ad ciuitates, & gentes, videlicet à regimine antiquioris. Vnde Homerus, iura dant ſinguli vxoribus & natis, & reliqua quæ patent in textu. Pagus igitur ex propagatione domus, ciuitas ex multiplicatione pagorum profluxiſſe videtur. Hanc pene ſententiam ſecutus eſt Cicero in libro de Officijs, cum hoc inquit: Sit natura commune animantium, vt habeant libidinem procreandi. Prima ſocietas in ipſo coniugio eſt, proxima in liberis: deinde vna domus, omnia communia. id autem eſt principium vrbis, & quaſi ſeminarium rei p. *Societas prima*

ad

ad differentiam ciuitatis: quæ secundario componitur ex domibus. Nam pagus primo ex domibus, ciuitas primo ex pagis. *Vtilitatis gratia non quotidianæ:* Ad differentiam domus, quæ quotidiani vsus causa est constituta. ex supradictis colligi potest descriptio domus, & etiam pagi, hoc pacto: Domus est societas prima ex primis societatibus constituta, vsus quotidiani gratia: Pagus est societas prima, ex compositis societatibus constans, vtilitatis gratia non quotidianæ.

Quæ autem ex pluribus pagis conficitur societas, ciuitas est: quæ quidem (vt ita dixerim) omnis sufficientiæ finem habet, constituta quidem gratia viuendi, existens autem benè viuendi gratia.

Declaratis societatibus simplicibus & cōpositis, nunc philosophus de ipsa ciuili societate considerat, ad quam illę ordinantur: & affert sex cōclusiones vel sententias, quæ sequi videntur ordine suo, & suis locis patebūt. Prima igitur sententia est, quòd perfecta societas ex pluribus pagis constituta, est ciuitas: & debet intelligi perfecta, quia non omnis societas ex pluribus pagis, est ciuitas: sed perfecta societas, quę constare debet ex tot & talibus pagis, vt sit ibi sufficientia humanæ vitæ: existat autem bene viuendi gratia, scilicet non solum vt viuant homines, sed etiam bene, & studiose viuant. *Vt ita dicam*: idest vt summatim dicam. Hæc descriptio conformis est sentētiæ, quam affert in tertio cum dicit. Ciuitas autem est generum pagorumq́; societas, vitæ perfectæ, ac per se sufficientis, hoc est vt diximus, benè ac beatè viuere.

Quapropter omnis ciuitas natura est: siquidem & primæ societates: nam hæc illarum finis est. Natura vero, finis est: quale enim vnumquodq; generatione perfecta, hanc vniuscuiusque naturam esse dicimus: ceu hominis, equi, domus. Insuper cuius gratia & finis, id optimum: sufficientia vero finis, & optimum.

Secunda sententia est, quod ciuitas vel ciuilis societas est naturalis: probatur pluribus rationibus: Primum hoc pacto: quod ex partibus naturalibus constat, est naturale: at ciuitas constat ex societatibus, quæ sunt partes naturales ipsius constitutiuæ, ergo ciuitas est natura-

naturalis,maior patet,minor declaratur,quia ciuitas cō ſtat ex pagis : pagi ex domibus : domus ex primis ſocietatibus,quæ omnes ſunt naturales. *Natura vero finis:* Probat idem alia ratione : quod eſt finis profectionis naturalis,eſt naturale : Sed ciuitas eſt huiuſmodi: ergo eſt naturalis. Patet ratio, quia cuiuſq; natura dicitur finis, & terminus generationis. Nam perfecta generatione.i.cōpleta re & perducta ad ſuam perfectionem & finem, qualis ipſa eſt,talem dicimus eſſe ſuam naturam. Ergo finis cuiuſque rei naturalis,eſt natura illius rei : cuius autem gratia vnumquodq; eſt,& ſubſtantia ipſius hęc exiſtit,vt inquit philoſophus in libro œconomicæ. cum igitur ciuitas ſit finis omnium ſocietatum, reſoluendo vſque ad ſimplices ſocietates domini & ſerui,viri & vxoris,& illæ ſint naturales, ciuitas erit naturalis : non quod ciuitas fiat à natura,vt arbos, lapis & alia generis eiuſdem, ſed eſt maxime naturalis homini, quia ad eam naturaliter inclinatur. *Perfectæ generationis.* ideſt perfecta generatione. *Natura eſt finis.* nominatiui eſt caſus, & non ablatiui. *Inſuper cuius gratia.* Probat eādem concluſionem hoc pacto. quod habet rationem finis optimi,eſt naturale, ſed ſufficientia vitæ eſt huiuſmodi in tali genere viuendi,ergo eſt naturalis : at hæc ſufficientia quæritur & reperitur in ciuili ſocietate,ergo ciuilis ſocietas eſt naturalis, & ſic probata eſt concluſio,vel ſententia. Notandum, quod domus accipi bifariam poteſt: aut pro ędificio,aut pro ſocietate perſonarum. Primo modo dicitur res artificialis : ſecundo modo naturalis eo pacto, quo dictū eſt antea. Similiter de ciuitate dici poteſt. Notandū quod ſufficientiam vitæ humanæ complectitur ciuitas,tamen hoc non videtur verum : nam videmus ciuitates, alias ciuitates requirere, & illis indigere & quaſi ſine illis nō poſſe conſiſtere. Dicendum, quod talis ſufficientia ſumenda eſt, non ſecundum cupiditatem, ſed ſecundum rationem.

Ex his igitur patet, ciuitatem eſſe ex ỹs, quæ natura ſunt, & quod homo natura ciuile eſt animal. Et qui abſq; ciuitate eſt propter

pter naturam, non propter fortunam, aut nequam est, aut potior quàm homo: vt ab Homero per contumeliam increpatur: Sine tribu, sine iure, sine domo: nam simul natura talis, & belli cupidus est, veluti qui nullo retinetur iugo, vt neq; volatilia.

Tertia sententia est, quod homo est natura animal ciuile, & hoc sequitur ex antecedēti: & probari potest hoc modo. Illud animal quod naturaliter appetit ciuilem societatem, est animal ciuile: sed homo est huiusmodi. ergo &c. Patet maior, minor declaratur dupliciter. Primo quia homo fertur naturaliter ad societatem coniugalem, ex qua fit domus, quæ ordinatur naturaliter ad pagum, & pagus ad ciuitatem. Secundo, quia homo appetit naturaliter sufficientiam vitæ humanæ; quæ non potest haberi nisi per ciuitatem, ergo appetit societatem ciuilem naturaliter. Post hæc philosophus infert veluti corollarium, quod homo carens ciuitate, non per fortunam, sed per naturam, aut est improbus ex deprauatione naturæ, aut est perfectior homine. Improbus quia non vult parere legibus, & bonis institutionibus, & ideo est seditiosus, & belli cupidus, de quo Nestor ille apud Homerum sic loquitur, Sine domo, sine tribu &c. Aut perfectior homine, quia talis paucissimis contentus viuit suprema vita contemplatiua, & ab omni perturbatione remota, vt plura exempla sanctissimorum virorum afferri in medium possent. Dicit autem non per fortunam, quia plerique aut propter inopiam colētes agros, aut propter aliquam calamitatem viuunt extra ciuitates, & hoc non est cōtrarium ei quod dixit philosophus, quod homo est animal naturaliter ciuile, quia tales non carent ciuitatibus per naturam, sed ob aliam ingentem causam, vt dictum est.

Ex quo patet, sociale animal esse hominem magis quàm omnis apes, magis quàm omne gregarium animal. Nihil enim (vt dicimus) frustra natura facit. Sermonem vero homo habet solus omnium animalium. Vox autem molesti, atque iucundi signum est: quapropter alijs quoq; existit animalibus. hucusq; enim natura in his processit, vt sensum habeant iucundi, & molesti, & hæc inter se signifi

significare possint. At sermo ad hoc datus est nobis, vt ostendamus vtilitatem, & damnum: quare & iustum, & iniustum: hoc enim præter cætera animalia hominibus proprium est, vt boni et mali, ac iusti & iniusti, & aliorum huiusmodi, sensum habeant soli: horumq; societas faciat domum, & ciuitatem.

Quarta sententia est, quod homo est animal sociale magisquàm aliquod aliud animal. Illud animal, cui natura plura tribuit accomodata ad societatem, est magis sociale: sed homo est talis, ergo &c. patet maior per philosophum, qui dicit, quod natura nihil facit frustra: minor est clara, quia natura tribuit homini sermonem præter ipsam vocem, quæ datur quibusdam animalibus ad exprimendum dolorem, & voluptatem: homini vero ex animalibus soli datur sermo ad exprimendos conceptus suos, vt naturaliter homo concilietur homini, & ad orationis, & vitæ societatem, & significetur iustum & iniustum, & damnum atq; vtile, circa quæ versantur eius operationes: & hæc ab eo percipiuntur, & sermone exprimuntur, non autem à cæteris animalibus. Nam hac re maxime, homines prestant bestijs, quod loqui possunt. vt inquit Cicero. *Ex quo patet*, id est, patet autem. *Sermonem homo habet solus*, nec obstat, quod dicit, quod quædam animalia videntur loqui, vt quis expediuit psitaco suũ chære: quia talis vox non est sermo, vel locutio.

Et certè secundum naturam prius est ciuitas, quàm domus, & quam singuli nostrum. Nam totum prius esse, quàm partẽ, necessarium est: perempto enim toto, non erit pes, neq; manus, nisi æquiuocè: veluti si quis dicat lapidem: nam corrupta quidem erit talis. Cuncta autem opere definita sunt, & potentia. Itaq; cum amplius non sint tales, non est dicendum illas esse easdem, sed æquiuocas. Esse igitur ciuitatem natura, & prius quàm singuli, manifestum est: si enim non est sufficiens vnusquisq; separatus, perinde se habet, ac reliquæ partes ad totum. Qui autem in communi societate nequit esse, quiq; nullius indiget propter sufficientiam, nulla is ciuitatis pars est: quare aut bestia, aut Deus.

Quinta sententia est, quod ciuitas prius est, quàm domus, & quàm singuli homines, & hoc non videtur conue

nire

nire cum his, quæ alibi dixit philosophus, quod societas simplex pręcedebat natura cópositam, & domus ciuitatem. Sed considerandum, quod ibi partes dicuntur esse priores composito prioritate originis & generationis: Hic autem intelligitur, quod ciuitas est prior natura, quàm domus, prioritate perfectionis: probatur hoc pacto. Omne totum est prius natura quàm partes, sed ciuitas est totum, domus vero & singuli homines sunt partes, ergo ciuitas est prius natura, prius inquam perfectione. Nam totum subit rationem perfecti, pars autem imperfecti. Quòd si pars separetur à toto, non erit amplius pars, vt si quis manum amputatam à corpore dixerit esse manum, non verè dicet, nec est manus appellanda, nisi æquiuoce, vt lapidea, quia nomen est sibi commune cum vera manu, ratio autem substantiæ diuersa, simili modo pes & caput. Describitur enim pes, quod sit membrum instrumentale, habens potentiam ambulandi: at corrupto corpore, corrumpitur pes, & separatus à corpore, non est amplius munus suum exercens, nec potentiam, nec operationem ambulandi habet, per quam definitur: Cum sit membrum, & pars corporis non dicitur vere pes, nisi quando est in corpore suum munus exercens, vel exercere potens. Cuncta enim secundum potentiam & opus suum sunt definita. Eodem pacto pars ciuitatis separata à ciuitate, quæ se habet ad partes suas, sicut corpus ad membra, non est proprie eius pars, nec habet sufficientiam vitæ: nec munus, ad quod ęst naturaliter ordinatum. Quòd si contingat vt aliquis separatus homo non ferat viuere in ciuili societate propter suam nequitiam, talis est peior homine, & veluti quædam bestia. Sin autem per se habens sufficientiam non indigeat aliquo, longe præstãtior esse videtur, quàm homo: & quasi excedere vires conditionis humanę. Concluditur ergo, quod ciuitas est prius natura, quàm domus, vel aliæ partes się. Notandum, quod aliquid dicitur prius esse natura, duobus modis, aut prioritate perfectionis, & sic ciuitas est suis partibus prior: vel prio-

ritate originis, ac ita, vt possit esse sine aliquo, & aliquod nō possit esse sine eo, & sic domus est prior natura, quàm ciuitas, scilicet origine & ordine generationis, vt in œconomicis ostendit philosophus.

Notandum, vt quidam expositores dicūt, quod illa auctoritas allata à philosopho non valet in ipsis inanimatis, quæ habent partes similium partium, & eiusdem rationis cum toto, vt in massa auri, si auferatur pars, non dicetur corrupta. Quare intelligitur hæc sententia in ipsis animatis, nec in omnibus. Nam in animalibus annulosis: si auferatur pars, licet totum non sit idem totum vt erat antea, tamen pars permanet aliquandiu pars, & est pars, non ęquiuoca, quia retinet etiam formam suam, & sicut erat pars in toto, sic est etiam extra totum vt dicunt. In animalibus autem, quæ habent partes instrumentales distinctas, valere videtur, quia pars separata amittit formam suam, vt si auferatur pes ab equo, ille pes non retinet formam suam, nec habet potentiam exercendi suam operationem, vel officium suum ad quod est ordinatus.

Natura igitur omnibus ad huiusmodi societatem est appetitus. Qui autem primus instituit, maximorum bonorum causa fuit: vt enim perfectione suscepta, optimum cunctorum animalium est homo: ita si alienus fiat à lege, & à iudicijs, pessimum est omnium animaliū. Sæuissima enim est iniustitia, tenēs arma. Homo vero arma tenet, per innatam prudentiam, atque virtutem, quibus plurimum valet in contrarium vti. Itaque impijssimum, & immanissimum est, sine virtute, et ad libidinem cibationemque deterrimum. Iustitia verò ciuile quiddam est: nam ius, ordinatio est ciuilis societatis: ius autem, iusti iudicium.

Sexta sententia quæ sequitur ex supradictis est, quòd qui primus instituit ciuitatem fuit causa maximorū bonorum. Collocauit enim hominem in optima ratione viuendi, secūdum genus actiuæ vitæ, quę habet per multas nobilissimas partes, sed præcipue sunt ipsæ virtutes & iustitia inter eas. Homo autem perficitur per operationes virtutum, & ipsius iustitiæ, atque vt est optimum anima-

animalium virtute perfectus & regulatus: Sic à iustitia alienus, & à legibus, erit pessimum. Quia sæuissima est iniustitia tenens arma,& sine virtute,irę, & libidini magis seruiens,quàm fortitudini & temperantię,aut alicui rectę rationi,pręsertim cum nec secundum leges,nec secundum iustitiam viuat; quę maxime viget in ciuili societate,à qua quidē iustitia profluit ius,id est, iudicium, quod est effectus iustitiæ,& est iusti iudicatio,idest iustę rei diiudicatio.

Ex quibus concluditur, quod & si homo naturaliter inclinetur ad societatem ciuilem,& ciuitas sit naturalissima homini,tamen perficitur industria,& causa fuit maximorum bonorum, Qui primus, vt orator inquit, dispersos homines in agris, & in tectis siluestribus abditos ratione quadam compulit in vnum locum, & congregauit, eos in vnamquamq; rem inducens vtilem atque honestam: primo propter insolentiam reclamantes, deinde. propter rationem atque orationem studiosius audientes ex feris, & immanibus mites reddidit & mansuetos. *Per innatam* PRV*dentiam*. Hic accipitur prudentia non pro habitu,sed pro aptitudine naturali,quam habilitatem vocant. Similiter innata virtus, non pro habitu, qui dicitur propriè virtus, sed pro naturali accommodata ad suscipiendum habitum. Et hæc distinctio maxime percipi potest per philosophum in sexto Ethicorum. *Nam ius*. Iudicium ordinatio est ciuilis societatis,& est iusti iudicatio.

Quoniam declaratum est, quibus ex partibus constituta sit ciuitas, necessarium videtur, primum de re domestica dicere: Omnis enim ciuitas ex domibus constat. Rei domesticæ rursus partes sunt, ex quibus domus est constituta: domus autem perficitur ex seruis & liberis. Cum verò prima quæque sint in minutissimis perquirenda, primæ verò, ac minutissimæ partes domus existant, dominus & seruus, maritus & vxor, pater & filij: de tribus vtique his partibus considerandum fuerit, quid vnaquaque, & qualem esse oporteat: hoc est, & de dominica, de coniugali (nam & ipsa proprio nomine non nominatur) de paterna re familiari:

Sint autem hæ tres, quas diximus. Est insuper quædam pars, quæ videtur quibusdam esse res familiaris, quibusdam verò maxima eius pars: loquor autem de illa parte, quæ versatur circa acquirendum, quæ et ipsa quemadmodum se habeat, considerandum erit. At primum de seruo & domino dicamus, vt ea quæ ad vsum necessaria sunt intueamur: & si quid de his melius comprehendere possimus, quam ea quæ nunc existimantur. Quibusdam porrò videtur scientia quædam esse dominatio, eademque esse disciplina domestica, & dominatio, & gubernatio ciuilis & regia, vt in principio diximus. Alijs autem, præter naturam videtur esse dominatio: quoniam natura nihil differat, sed lege dumtaxat inductum sit, vt alij liberi sint, alij serui. Quapropter neque iustum: violentum enim.

Hoc est secundum capitulum huius primi tractatus, in quo posteaquàm declarauit ciuitatem ea ratione, qua est quoddam totum, & ostendit ex quibus partibus est compositum, nunc cõsiderat quid, & quales sint illæ partes, & incipit ostendere diligenter atque exacte domesticam societatem, & eius particulas. Et primo de societate domini & serui: vt habita cognitione domus, habeatur deinde perfecta cognitio ciuitatis: Ex domibus enim constat ciuitas: diuiditur autem hoc capitulum in duas partes principales. in prima proponit intẽtionem suam & ordinem procedendi. in secunda exequitur ea, quæ proposuit. Dicit igitur in primis, quòd considerare oportet ipsam domum, & partes eius minimas & simplices: at domus perfecta ex tribus combinationibus constat: quę sunt istæ, scilicet domini & serui, viri & vxoris: tertia parentis & filij, quę oritur ex secunda: at vxoris & viri coniugatio non habet proprium nomen, sed vocetur coniugalis, nec etiam patris & filij, sed vocetur inquit paterna. De istis igitur tribus est considerandum, vt vnaqueq; etiã minutissima particula declaretur, quo facilior sit doctrina & apertior via ad cognitionem totius, & primo de domino & seruo tractandum est, & videndum, si possumus afferre, aliquid melius, quàm ea, quæ nunc circunferuntur de opinionibus antiquorum,

quorum

quorum alij alia opinati sunt, vt patet in textu, scilicet vt dominatio sit scientia, vel eadem disciplina &c. *Domus autem perficitur,* id est, domus perfecta constat ex seruis & liberis. *ea quæ natura sunt*, id est, quæ ad vsum necessarium pertinent.

Cum igitur possesio sit pars domus, certè & illa per quam acquirimus, pars erit domesticæ disciplinæ: nam sine necessarijs, imposibile est & viuere, & bene viuere. Vt vero in artibus definitis necessarium est subesse propria instrumenta, si opus modo confici debeat, sic etiam in re familiari.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus inuestigat diffinitionem serui: ex cuius cognitione oritur cognitio domini, cum sint relatiua. Affert autem ad hoc propositum quinque conclusiones, ex quibus concludit diffinitionem serui. Prima est quod seruus est instrumentum, & probat hoc pacto. Quęlibet res possessa in domo est instrumentum rei familiaris. seruus autem est res possessa in domo, ergo seruus est instrumentum. Patet ratio, exemplo artium, & est notandum quod diffinitiones inuestigantur aut per diuisionem aut per resolutionem, vt docet philosophus in secundo posteriorum: hic inuestigat talem diffinitionem diuidendo, & gradatim descendendo.

Instrumentorum uero quędã inanimata sunt, quædam animata: veluti gubernatori nauis, quæ quidem inanimis est, qui vero prorã regit, animatus. Nam minister in artibus locum instrumenti obtinet, sic res possessa instrumentum est ad vitam: possesio autem, multitudo instrumentorum: & seruus possessum quiddam animatum, & tanquàm instrumentum ante instrumenta, omnis minister. Si possent enim instrumenta ad iussum vel nutum domini suum opus conficere, quemadmodum Dædali aut Vulcani tripodes (quos inquit poeta, sponte sua diuinũ prodijsse in certamen) sic & pectines texerent ipsi, & plectra citharam pulsarent: neque architecti sanè ministris, neque domini indigerent seruis.

Secunda est conclusio, scilicet quod seruus est instrumẽtum animatum sic, Omne instrumentum aut est animatum aut inanimatum. At seruus est instrumentum,

ergo est animatum aut inanimatum: maior declaratur à philosopho, exemplo nauis, in qua sunt animata & inanimata instrumenta: minor est antea probata, quod seruus est instrumentum, cum sic res possessa in domo; sed non est instrumentum inanimatum, ergo animatum. Verum vt in artibus duplex est instrumetum animatum & inanimatum, sic in domo res possessa est instrumentum ad vitam, & possessio multitudo est instrumentorum deseruiens vitæ humanæ:

Cum autem seruus sit quædam res, quę possidetur, merito, vt alia quæ possidentur in domo, potest appellari instrumentum in re familiari: instrumetum inquam animatũ, & ante alia instrumenta, quia præcedit omnia alia instrumenta, cum sit medium inter dominum & ipsa instrumenta inanimata: & est veluti minister in artibus, sic ipse in domo instrumentũ valde necessarium, quia instrumenta inanimata non possunt conficere opus suum ad nutum domini, id est vt ante percipiant nutum domini sui. Nam si hoc esset, domini non indigerent seruis. Est igitur seruus instrumentum animatum, vt patet. *Sic & acquisitio*, id est res possessa: *res autem possessæ*, id est possessio quę postea sequitur, multitudo est instrumentorum. *Ad iussum vel nutum*, id est ante percipientia.

Quæ igitur instrumenta dicuntur, factiua sunt: quod vero possidemus, actiuum est, a pectine quidem aliquid fit, præter ipsius vsum, à veste verò atque lectica, vsus solum. Præterea cum specie differant facere & agere, & indigeat vtrunque instrumentis, necessarium est et illa eandem habere differentiam. Vita certè actio est, & non factio. Quapropter seruus, minister est eorum, quæ ad actionem.

Tertia conclusio est ista, quod seruus est instrumentum animatum actiuum: probatur sic, Omne instrumentum aut est actiuum, aut factiuum, at seruus non est instrumentum factiuum, ergo est actiuum: maior declaratur ex sufficienti diuisione. Nam instrumenta illa dicuntur factiua, quibus in artibus efficitur aliquid præter suum vsum, vt patet de pectine, dolobra, & alijs

generis

generis eiusdem: actiua verò dicuntur ea, quibus in re familiari nihil quæritur præter vsum, vt est vestis atque lectica,& alia similia,quæ dicuntur possideri. Minor est nota, quod ex opera serui nihil quæritur vltra vsum. Præterea agere & facere differunt specie,ergo & instrumenta, quibus illa indigent. Nam sicut operationes distinguuntur per obiecta, & potentiæ per operationes, ita instrumenta per effectus suos:differunt igitur instrumenta specie accōmodata ad agendum & efficiendum, sicut differunt actio & affectio. Seruus autem est minister ad actionem. nam est instrumentum aptum ad vitam. Vita autem est actio ex præmissis, itaque concluditur, quòd seruus est instrumentum actiuum, & non factiuum, vt patet. *Quod uero ad acquirendum*, id est, res possessa,vel quod possidetur.

Id autem quod possidetur, dicitur quemadmodum & pars ad totum: pars uero alterius non solum est pars, sed etiam omnino alterius: similiter autem & quod possidetur. Quapropter dominus, serui est dominus solum, sed illius non est: seruus autem non solum domini seruus, sed omnino illius.

Quarta conclusio est,quod seruus,qui est instrumentum animatum, actiuum est alterius: probatur hoc pacto,sicut se habet pars ad totum, sic res quæ possidetur ad possidentem: sed pars non solum dicitur per relationem totius, sed etiam omnino esse continentis ipsam. Sic etiam res possessa dicitur omnino & absolute esse possidentis: contra vero non fit,vt totū sit partis omnino atq; simpliciter. Tunc vltra res, quæ possidetur non solum est alterius per relationem possidentis, sed etiam illius omnino. At seruus,vt probatum fuit, est res, quæ possidetur à domino, ergo est eius, non solum quia seruus refertur ad dominum, & sic per inclinationem dicitur domini,vt dominus dicitur serui; Sed est etiam seruus domini,vt res possessa à domino,& vt res sua omnino, vt vestis dicitur esse possidentis: huic sententiæ similis est illa, quam in Parmenide affert Plato, vbi ostendit, quod seruus non solum refertur ad dominum:

sed est etiam ipsius domini.

Quæ igitur sit natura serui, & quæ potestas, ex his patet: qui enim suÿ ipsius non est secundum naturam, sed alterius: homo autem hic natura est seruus. Sed neq; homo est quicunq; possidetur, homo existens: possidetur autem instrumentũ actiuum, & separabile.

Hęc est quinta conclusio, vbi ex supradictis concluditur diffinitio serui, quæ talis est. Seruus est instrumentum animatum, actiuum, separatum, alterius homo existens, & hæc est completa diffinitio serui. Sed hic colligendo supradicta & concludendo diffinitionem addit duas particulas, separatum & homo, quas non probauit, vt alias, quia per se patebant. Notandum, quòd in hac diffinitione instrumentum est vt genus, reliquæ partes, vt differentiæ. Nam per animatum differt ab instrumentis inanimatis, vt est securis, dolabra, & similia: Per actiuum differt à ministris in artibus, qui dicuntur factiui: Per esse alterius, differt ab ijs, qui cum sint liberi, tamen possunt conduci mercede ad agendum aliquid in re familiari, & tamen non sunt conductoris: Per separatum, distinguitur à manu, vel pede, vel similibus membris, quæ sunt alterius, non tamen separata: Per hominem, distinguitur à brutis animalibus, quæ non sunt proprie serui, de quibus loquitur philosophus in perfecta domo. Sic igitur patet diffinitio & sufficientia partium diffinitionis allatæ. *Quæ potestas*, id est, quæ potentia. *Ad acquirendum*, id est dicitur res possessa, vel quod possidetur, vt supra. *Alterius autem est*, id est, alterius autem homo est, qui possidetur homo existens:

Vtrum verò sit aliquis natura talis an non, & vtrum melius, ac iustius sit alicui seruire an non, sed omnis seruitus sit præter naturam, post hæc considerandum est: nec sanè difficile est ratione perspicere, et ex his quæ fiunt cognoscere. Imperare.n. & parere, non solum necessariorum sunt, verumetiã vtilium: ac statim ex generatione quædã distincta sunt, alia quidem ad imperandum, alia verò ad parendum. Et species multæ & imperantium & parentium existunt: et semper melius imperium, meliorum ac parentium est: ceu hominis, q̃ bestiæ. Nam quod à melioribus perficitur

melius

melius est opus: vbi verò aliud imperat aliud paret, est aliquod horum opus. Nam quæcunque ex pluribus constant, & fiunt vnum quippiam commune, siue ex coniunctis, siue ex separatis, in ijs omnibus apparet & quod imperat & quod paret. Ex hoc ex tota natura inest animatis. Nam & in ijs quæ expertia sunt vitæ, est quoddam imperium instar harmoniæ: sed hæc forsan aliena sunt ab ista consideratione. Animal verò constat primum ex anima & corpore: quorum altera imperat secundum naturam, alterũ paret. Oportet autem considerare quod est à natura, in ijs quæ magis se habent secundum naturam, non in corruptis. Quocirca eum hominem qui & anima & corpore optimè dispositus sit, inspiciundum est: in quo certe id manifestum est. Nam prauorum quidem aut prauè se habentium, sæpe inuenietur corpus imperare animæ, ex eo, quia peruerse & præter naturam se habent. Est igitur vt dicimus, primum in animali contemplandum imperium dominicum & ciuile: nam anima quidem in corpus dominicum habet imperium: mens vero in appetitum, ciuile & regium: in quibus clarum est, secundum naturam & vtilitatem imperari ab anima corpori, & ab ea parte quæ habet rationem, ei parti quæ subiacet perturbationi: æqualitatem vero ac vicissitudinem omnibus nocere. Rursus in homine & in animalibus alijs eodem modo: mansueta quidem meliora natura sunt, quàm fera: his autem vniuersis melius est, vt homini pareant: nam salutem ita recipiunt. Præterea autem masculus & fœmina, alter melior secundum naturam, altera deterior, & hic imperans, illa verò parens. Eodemque modo necesse est in cunctis hominibus esse.

Hoc est tertium capitulum, in quo post assignatam diffinitionem serui, mouet quæstiones ad hanc materiã pertinentes, & eas soluit: & hæc declaratio videbatur necessaria, vt de seruo & domino haberetur cognitio perfecta, vtrum sint natura tales, vel nõ: maxime autem inuestigãda erat talis notitia ob diuersas opiniones priscorum, quas superius tetigit. Diuiditur hoc capitulum in quatuor partes, quę suis locis patebunt. In prima igitur parte philosophus quærens vtrum sit seruus natura, ostendit quod est hoc pacto. Id quod competit alicui necessario, & est ei vtile competit ei naturaliter. Sed seruo

uo competit necessario, & est ei utile obedire, ero obedire & seruire cõpetit ei naturaliter. Præterea quædam ab ortu suo nascuntur, ut sint apta ad imperandum, quædã ad parendum: ergo parens & imperans sunt natura talia. Verum multę sunt species imperantium, & obedientium. Conueniunt tamen in eo, quod omnę imperium & omnis obedientia est ex ordinę naturæ, quamuis diuersæ sunt rationes parendi, & imperandi, ex quo infertur sententia, quam appellant corollariũ, scilicet quod melius & perfectius est imperium, respectu meliorum obedientium, veluti hominis, quàm bestię. Nam illa imperandi ratio, quæ habet perfectiorem operationem, est perfectior; sed ratio imperantis habet perfectiorẽ operationem respectu hominis, quàm bestiæ, & est respectu meliorum, ergo est perfectior. Post hæc philosophus sequitur probando quod imperare & parere est naturale, & affert exemplum primo in rebus inanimatis, idest in harmonia, & concentu vocum, in quo acuta vox dominatur, grauis obtemperat: philosophus autem se excusat à tali considerationi harmonię, quia pertinet ad musicam, & non ad præsentem materiam. Deinde affert exemplum animalium, in quibus anima præsidet, corpus paret: Item adducit exemplum hominis, in quo mens imperat appetitui sensitiuo, & hoc intelligitur de ijs, qui bene sunt dispositi secundum ordinem naturæ, Nam in ijs qui sunt praui, atq; corrupti, contrario modo fit. Sed ad iudicandum quid sit naturale, oportet considerarę ea, quæ se habent secundum ordinem naturæ non deprauatæ. Præterea ostẽdit philosophus, quod animus habet in corpus dominicum imperium: Mens vero in appetitum, ciuile, & regium. Nam cum animus dominatur corpori, perinde est ac si dominus imperaret seruo, qui quidem seruus iubenti domino resistere non potest, cum sit omnino & absolute res domini. Simile est de anima & corpore, Membra enim vt manus & pedes iubente anima statim applicantur ad opus. Mens quoque seu ratio imperat appetitui: Sed imperio quodam ciuili atq; regali,

gali, quod est ad liberos: Vnde videmus aliquando eos repugnantes. Sic etiam appetitus repugnat interdum rationi, causam huius diuersitatis assignant nonnulli expositores, quia corpus mouetur ab anima tãtum, & ideo totaliter subijcitur ei. Appetitus vero etiam à sensu, & ideo interdum repugnat rationi. Sufficit tamen quod in vtroque imperio subiectio est secundum ordinem naturæ. Quidam etiam referunt ciuile imperium mentis in appetitum sub freno rationis collocatum, regale uero in appetitum, qui extinctis perturbationibus sine vlla repugnantia rationi obtemperat. Vlterius ostendit eandem sententiam exemplo hominis & brutorum, & maris & fœminæ: quorum alterum homo respectu brutorum, & mas respectu fœminæ imperat, & alterum paret, secundum ordinem naturæ: & vtile est omnibus istis, vt quod imperare debet, imperet, & quod obedire debet, obediat .i. vtile est imperantibus imperare, & obedientibus obedire, & inutile contrario modo se habentibus.

Notãdum secundum quorundam expositionem, cum philosophus dicit, quod mens dominatur appetitui, intelligit ibi rationem continentem in intellectum & voluntatem. Per appetitum intelligit appetitum sensitiuum. Nam voluntas est rationalis potentia imperatiua per essentiam. Appetitus sensitiuus est irrationalis per essentiam: *Semper melius* .i. & multæ species imperantium ac parentium fiunt. *Instar harmoniæ* .i. quemadmodum est in harmonia.

Quicunque igitur tantum distant quantum anima à corpore, & homo à bestia, per hunc modum se habent. Quorũcunq; est opus in corporis vsu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt natura serui: quibus melius est vt imperetur hoc imperio, quemadmodum in præmissis. Est enim natura seruus, qui potest alterius esse: quapropter & alterius est. Et qui tantum particeps est rationis, vt sentiat quidem, at non habeat: nam cætera quidem animalia rationem non sentiunt, sed passionibus inseruiunt, & vsus variat parumper: necessariorum enim corpori auxilium fit ab vtrisque, à seruis videlicet & mansuetis animalibus. Vult autem natura, & differentia facit cor

pora

pora liberorum & seruorum: alia quidem robusta ad necessarios vsus, alia verò recta & inutilia ad tales operationes, verum vtilia ad ciuilem vitam. Hæc autem diuisa est in belli opportunitates & pacis. Accidit verò sæpe & contrà, hos quidem corpora habere liberorum, illos verò animas. Nam id quidem patet: quòd si tantum præcellant corpore solum, quantum Deorum imagines, reliqui omnes digni apparerent illis seruire. Id si verum est in corporibus, multò iustius fuerit in anima idem putare. Sed non vt corporis, ita & animæ pulchritudinem discernere facile est. Quòd igitur sint secundum naturam alij liberi, alij serui: manifestum: quibus & seruire prodest, ac iustum est.

Hæc est secunda pars principalis, in qua ostendit quinam sunt illi, & quales natura serui, & consequenter, qui sunt natura domini. Nam cum anima naturaliter dominetur corpori,& homo beluis ob rationem & mentem: quicunque præstant alijs mente tantum, quantum anima corpori, & homines bestijs, ij videntur esse natura domini:& qui deficiunt,& ita sunt dispositi,vt eorum præcipuum opus in corporis robore, ac vsu consistat, ij sunt natura serui: quibus prodest,vt imperetur, sicut dictum est antea. Et bene dixit, quod hoc est in eis potissimum, quia magis vigent uiribus corporis, quàm mentis:& quia natura dominus potest habere robustum corpus,tamen non est in eo potissimum, cum in genere suo magis vigeat intellectu, quàm corpore. Ille igitur est naturaliter seruus, qui deficit prudentia, & est aptus,vt sit alterius, non quod habeat liberum agendi principium: Sed cum non sit sufficiens ad se regendum secundum vires propriæ rationis,per quam homo dicitur dominus,innititur ratione alterius, & sic non est sui iuris, sed alterius. Dicit philosophus præterea, quod serui natura sunt participes rationis,vt ei pareant,non tamen habeant, idest non vtantur ea. Et considerandum est, quod omnes homines sunt participes rationis eodé modo secundum essentiam animę rationalis: diuersificantur postea ob complexiones, & instrumenta corporis, quibus

quibus vtitur anima ad suas operationes exercendas.vnde fit, quod homo homini interdum maxime præstet naturaliter. Est igitur homo hebes mente,atque prudentia naturaliter aptus ad obediendum viro præstanti intellectu. Et licet sit particeps rationis ad exequendum mandata eorum, qui consilio præstant: beluæ vero passionibus & affectibus ducantur,tamen quantũ ab vtrisq; sumitur vsus corporis necessarius ad vitam,non multum differunt,dicit philosophus. Deinde ostendit,quod natura vult facere, idest habet quandam inclinationẽ ad faciendum corpora differentia liberorum & seruorum, quia horum sunt robusta & accommodata ad vires corporis exercendas, vt ad ferenda onera, & fodiendum in agro & alia generis eiusdem. Sunt .n. vasti corporis & minus valẽt intellectu.vt dispeream,inquit ille,si est in tam vasto corpore mica salis. Illa vero, idest bene disposita corpora secundum naturam,& inutilia ad seruiles vsus,ob delicatam complexionem. Vnde in libro de anima dicit philosophus, quod molles carne, sunt plerunque apti mente: vtilia vero ad ciuilem vitam, quæ diuiditur in belli opportunitates, & pacis, & vtroque tempore est aptus homo ciuilis ad exercendas operationes,tam militares,quàm paci acommodatas.Deinde dicit, quòd accidit interdum oppositum. Nam & si natura inclinet ad faciendum talem differentiam corporum: tamen deficit aliquando,vt in alijs,quæ generantur præter intentionem naturæ,& ideo producuntur interdum homines, qui habent egregium intellectum,& corpora seruilia,interdum vero qui habent corpora liberorũ,& mentem seruilem. Et videtur hæc diuersitas esse præter ordinem naturæ, quæ intendit accommodata corpora producere. Notandum quod semper conuenit quod apti mẽte,quos liberos natura appellat philosophus,habeant egregias dispositiones internas sensitiuas sibi conformes: Habẽtes vero mentem seruilem habeant etiam internas dispositiones ignobiles. Falli tamen regula potest in exterioribus instrumentis & formis. Reperiuntur

tur enim quidam præstantes ingenio, atque consilio deformes liniamentis exterioribus. Quidam etiam hebetes intellectu, tamen forma egregij. Talis igitur dissimilitudo reperitur in instrumentis exterioribus. Quòd si interdum præstantes, pulchritudine existimantur ita excedere alios, vt sint digni reuerentia: vt forma prima digna est imperio, quid dicendum de illis, qui animo ingenioque excellunt: licet non ita discernatur extra? concludit ergo, quod alij sunt natura serui, alij liberi, & quod ijs qui sunt naturaliter serui, vtile est, ac etiam congruum, vt seruiant. *Differentia facit*: idest vult facere.

Quod autem & contrà dicentes quodammodo rectè dicant, non difficile fuerit intueri. Dupliciter enim dicitur, seruire & seruus. Est .n. aliquis secundum legem seruus & seruiens: nam lex consensio quædam est, per quã bello capta, illorum fieri dicuntur, qui ceperunt. Hoc aũt ius multi eorum qui circa leges versantur, accusant, tanquam oratorem qui iniqua decreuerit. Quasi sit graue, si eius qui vim afferre potest, & potentia præcellit, seruus fiat & subditus is qui vim patitur: & quibusdam hoc modo uidetur, quibusdam illo, etiam sapientum. Causa uero ambiguitatis & uariationis sermonum huiusmodi est, quia quodammodo uirtus freta potentia, uim potest maximè afferre, & semper id quod superat, est in excellentia alicuius boni. Ex quo fit, ut uis non absque uirtute esse uideatur: sed de iusto solum esse ambiguitatem, propter hoc sanè, quòd alijs quidem beneuolentia uidetur esse iustum, alijs hoc ipsum uidetur iustum, potentiorem dominari. Quoniam discordantibus inuicem huiusmodi sermonibus, alteri nec ualidum quicquam, neque probabile continent, quod non oportet meliorem secundum uirtutem præesse ac dominari. Omnino usurpantes quidam (ut arbitrantur) aliquod iustum (nam lex iustũ quid est) seruitutem quæ ex bello prouenit, iustam posuere. Atqui simul non iustã esse aiunt: nam fieri potest, ut belli principium nequaquam sit iustum. Et indignum seruire, nemo diceret esse seruum: alioqui continget eos qui nobilissimi uidentur, seruos esse, atque ex seruis, si contingat eos capi atque uenundari. Itaq; istos non uolunt seruos dicere, sed barbaros. Atqui cum ista dicunt, nihil quærunt aliud quàm naturæ seruos, ut ab initio diximus: necesse est enim dicere, aliquos esse, & hos

hos quidem ubique seruos esse, alios uerò nusquam. Eodemq; modo de nobilitate: ipsos enim non solum apud seipsos nobiles, sed ubique existimant: barbaros uerò domi solum nobiles: quasi existat alia simpliciter nobilitas libera, alia simpliciter, ut Theodecti Helena inquit: Ex dijs ab utraque stirpe prognatam, quisquam appellabit seruam? Sed cum hoc aiunt, nullo alio quàm uirtute & uitio definiunt seruum & liberum, nobilesque & ignobiles: putant enim ut ex hominibus hominem, ex bestijs bestiam, sic ex bonis bonum generari: sed natura quidem hoc vult, attamen plerunque non potest.

Hæc est tertia pars principalis huius tertij capituli, in qua philosophus postea quam declarauit esse natura seruum, nunc affert opinionem eorum, qui dicebant non esse seruum natura, sed lege. Primum vero disserit pro vtraque parte quæstionis. Deinde ponit differentiã serui secundum naturam, & serui secundũ legem, & soluit quæstionem. Dicit igitur in primis philosophus, quod in hac materia, qui contrarium opinantur de seruo & domino, quodammodo rectè sentiunt, quia seruitus non accipitur vno modo: nam est seruitus secundum naturã eo modo, quo dictum fuit, alio modo secundum legem, vel communem quandam consensionem, qua fit, vt victores bello victis dominentur. Et circa hoc affert diuersas opiniones. Quidam enim accusant hanc legem, seu communem consuetudinem: dicentes non esse iustũ, immo nimis durum, vt ij, qui bello superantur fiant victorum serui. Nam vera ratio imperandi ex virtute sumi debet, non ex potentia, aut victoriȩ prosperitate, qua interdum euenit, vt meliores seruiant, potentiores vero, non autem meliores dominentur. Accusant igitur quidam hunc seruiendi modum, vt iniquum. Quidam vero aliter sentiunt, non imperiti solum, sed etiam sapientes, causa huius diuersitatis est, quia victor excellere videtur aliquo bono, vt constantia vel robore corporis, vel alijs eiusdem generis. vnde isti dicunt, quod victores & afferentes violentiam victis, non habent talem vim sine virtute, & ideo decet illos dominari. Alij vero

negant hoc esse iustum, vt propter excellentiã cuiuscun que boni victores imperent victis, interdum etiam melioribus. Diuersæ igitur opiniones oriuntur; vnde dicunt quidam, hanc legem de captis & victis bello positam esse. Secundum beneuolentiam quandam, idest bene placitum eorum qui præualebant, & in eorum fauorem, vel ciuium suorum, vt incitarentur homines ad fortiter pugnandum: Alij vero negant hoc esse iustum, ut propter excellentiam cuiuscunque boni, victores imperent victis, interdum etiam melioribus. Aliqui vero dicunt aliqua ratione esse iustum, vt potentiores & superiores dominentur, quòd si non est simpliciter iustum, tamen esse iustum secundũ quid. *Discordantibus inuicem*.i. si separatim isti sermones discutiantur, alter sermo nihil habet validum nec persuasiuũ, videlicet eorum, qui dicunt meliorem deteriori dominari non oportere. *Omnino retinentes quidam vt aiunt*. idest omnino auté quidam amplectentes iustum quoddam, vt putant. Nam lex iustum quid est. Seruitutem, quę ex bello prouenit iustum posuere. *Et simul non aiunt*: idest aliqua ex parte etiam non dicunt verum.. Vnde philosophus vult, quod qui fit bello seruus, nõ fit simpliciter seruus, sed aliqua ex parte. Soluitur aũt quæstio, quia iustum sumi bifariam potest, scilicet iustũ simpliciter, & iustum secundum quid. Iustum simpliciter dicitur, quod est iustum secundũ naturam suam. Iustum secundum quid, est respectu vtilitatis humanæ. Non est.n. iustum secundum naturam, vt bello victi victoribus seruiant, sed positione & lege, quę introducta est ob humanam commoditatem: videtur.n. esse vtile victis, vt seruiant, quia propter hoc à victoribus conseruantur: vtile etiam victoribus, quia ex eo incitantũr homines ad fortiter dimicandum. Et est vtile, vt sint aliqui fortes viri pro conseruanda patria, & iniurijs propulsandis. Quod si lex humana potuisset determinate eligere prestantiores virtute viros, proculdubio illos dominos constituisset, sequendo ordinem naturæ. Hoc cum fieri non posset, quod proximum fuit, accepit,
aliud

aliud signum prærogatiuę, ideſt victoriam,quæ plerunque comparatur ex aliqua excellentia virtutis. Patet igitur ſolutio dubitationis: quia ſeruus ſimpliciter eſt ſecundum naturam: ſeruus ſecundum quid, eſt poſitione & lege, qua fit, vt iuſtum tale non ſit ſimpliciter iuſtum,ſed iuſtum quodammodo, & ſecundũ quid, & ideo ſimul non aiunt,ideſt non omnino dicunt verum. Nam vt manifeſtius declarat philoſophus,fieri poteſt, vt bellum oriatur ex principio & cauſa iniuſta. ergo ſeruitus, quæ ſequitur ex tali bello, non videtur eſſe ſimpliciter iuſta. Contingit etiam meliores interdum,& præſtantiores virtute viros ſuperari,quos ſeruire eſt indignum, ergo non erit iuſtum ſimpliciter ſeruire eos, qui bello ſuperantur. Accideret enim aliquando,nobiliſſimos viros eſſe ſeruos,ſi caperẽtur in bello:& vlterius ſi venundarentur, contingeret filios eorum eſſe ſeruos, quia ex ſeruis naſcerentur, quod videtur eſſe abſurdum. Ergo abſurdum eſt,etiam dicere,bello captos ſimpliciter eſſe ſeruos. Verum ad euitandum hoc inconueniens,cum dicunt bello victos eſſe ſeruos, non intelligunt viros nobiles, & generoſos futuros fuiſſe tales,ſi cõtingeret eos capi,ſed barbaros homines & abiectos & mente debiles. Ergo redeunt ad id,quod initio diximus,ideſt ad naturalem ſeruitutem,quę eſt in barbaris,ob defectum mentis atque prudentiæ. Et enim oportet alios videlicet deficientes prudentia,vbique eſſe ſeruos,alios ſcilicet,præſtantes ingenio atque conſilio,non eſſe alicubi. Eodem modo de nobilitate dicendum. Barbari vero ſolum dicuntur nobiles & liberi in domo propria, quia propter defectum prudentię nemo eſt ſecundum naturam præſidens, reſpectu cuius, debeant dici ſerui. At nobiles & ingenui ſecundum naturam,vbiq; terrarum ſunt ſimpliciter liberi,& non fiunt ſerui, niſi ſecundum quid, ideſt calamitate belli. Non igitur ſunt ſimpliciter nobiles, & ſerui niſi ſecundum naturam, quia virtute mentis & vitio determinantur nobiles,atque ignobiles,liberi atque ſerui: non autem bellica potentia, quia natura in-

D tendit

tendit facere simile ex simili. Vnde sicut ex homine fit homo,& bestia ex bestia, sic intendit natura,vt ex bonis fiant boni. Deficit autem interdum,præter intentionem ob aliquod impedimentum,vel obstaculum.

Quòd igitur hæc dubitatio habeat rationem quandam,& quòd sint alij natura serui, alij liberi, manifestum est: & quod in quibusdam determinatum est, esse tale aliquid,quibus ob idipsum prodest & iustum est, alium seruire, alium esse liberum: & conuenit alium imperare, alium parere ei imperio quod innatum est, quare & dominari. Quod aũt male, vtriſq; inutiliter fit. Nam idem prodest toti & parti, & animæ & corpori. At seruus pars quædam est domini, quasi animata quadã corporis, sed separata pars: quapropter aliquid est quod simul prosit, & amicitia est seruo & domino inuicem secundum naturam ita dispositis: illis verò qui secundum legem & per violentiam, contrarium.

Hac in parte philosophus declarat & ponit differentiam inter seruum secundum naturam,& seruum secundum legem, & dicit, quòd dubitatio hæc superius mota habet quandam rationem,ita quòd non sunt alij natura serui, alij liberi, idest sicut sunt serui secundum naturam, sic etiam sunt liberi secundum naturam. Et dato quod sit aliquis seruus secundumlegẽ,tamẽ est differentia inter talem seruum & natura seruum: & ponit duas conditiones. Prima quod seruo secundum naturam idem prodest, quod prodest domino suo secundum naturam: seruo autem secundum legem, non idem proderit, quod domino secundum legem. Secunda conditio, quod seruo secundum naturã est amicitia ad dominum suum. Seruo aũt secundum legem tantum non est amicitia ad dominum suum. Prima conditio probatur hoc pacto. Sicut se habet pars ad totum, ita seruus secundum naturam ad dominum suum. Sed parti confert, vt regatur à toto & contineatur ab illo, & vtrique etiam hoc confert, & corpori,vt regatur ab anima, ergo seruo confert vt regatur à domino, & est iustũ,& vtile ijs, qui habent naturalem aptitudinem, vt dominentur seruis. Sed si male dominentur & contra aptitudinem naturæ

inutile

inutile est vtrisque. At illis, qui sunt serui secundum legem, non accidit hoc, quia talis non est pars illius, cum sit aliquando perfectior qui seruit, quàm ille, qui dominatur. Secunda conditio probatur quòd non est amicitia seruo ad dominum, secundum legem tantum hoc pacto. Inter illos non est amicitia, qui non idem volunt, nec habent concordiam: Sed seruus & dominus lege tantum sunt huiusmodi, ergo inter illos non est amicitia. Notandum quòd inter dominum & seruum natura est amicitia secundum inæqualitatem, & eo, quo vterq; est homo: Sunt autem vtrique homines: Differunt tamen in eo, quia in altero viget ratio, & est aptus ad imperandũ: In altero nõ viget ita ratio, vt possit imperare: Sed tamen est ratio, quæ potest obtemperare iubenti, & sentit quidem rationem, non tñ habet eam in vsu, idest in secundo actu. i. non vtitur, vnde illud Hesiodi poetæ. Optimns ille quidem, qui per se se omnia nouit. Ille bonus rursus monitus qui recta sequetur &c. Qui vero extra istos terminos est, nec parere potest, nec ipse per se intelligere, vt iubeat, post habẽdus esse videtur, vt inutilis: ex his patent duæ conditiones, vel differentiæ, quibus ostensum est, quod serui, vel domini tantũ secundum legem non sunt simpliciter domini vel serui. Notandum cum dicitur, quod seruus non est pars domini separata, intelligitur, quod seruus obtẽperat domino, quasi pars toti, & ordinatur ad bonum domini, sicut pars ad bonum totius.

Patet autem ex his, quòd non idem est dominatio & gubernatio reipublicæ, nec omnes inuicem principatus, vt quidam aiunt: nam aliud liberorum secundum naturam, aliud seruorum est. Et in re familiari imperium est vnius: nam ab vno regitur omnis domus: in republica autem, liberorum & æqualium est gubernatio. Dominus ergo non dicitur secundum scientiam, sed quia est talis: eodemque modo & seruus & liber. Scientia verò est & liberalis & seruilis: seruilis quidem, qualem Syracusis quispiam docebat: nam ibi quidem mercede pueros docebat seruilia ministeria. Fuerit sanè etiam complurium eorum quæ talia sunt, disciplina, ceu coquina-

ria, et alij huius generis famulatus: sunt enim opera alijs quædam honestiora, alia verò necessaria magis, & vt est in prouerbio: Seruus præ seruo, & dominus præ domino. Hæ igitur omnes scientiæ, seruiles sunt. Domini autem scientia, est, per quam vtitur seruis: nam dominus est, non in possidendo seruos, sed in vtendo seruis. Continet autem hæc scientia non magnum aliquid, neq; gloriosum: quæ enim seruum scire facere oportet, illum oportet scire iubere. Quapropter quibuscunque est facultas à laboribus cessandi, vicarius quidem hunc honorem suscipit: ipsi verò aut reipublicæ administrandæ, aut studijs philosophiæ intendunt. Acquirendi verò disciplina, alia est ab vtraque istarum, ceu bellica quædam iusta, aut venatica. De seruo igitur & domino, in hunc modum determinatum sit.

Hæc est quarta pars huius tertij capituli, in qua philosophus postea quam disseruit de opinione dicente seruitutem non esse naturalem, hic accedit ad inquirẽdum de alia opinione, quæ dicebat, quod dominatio, & gubernatio rei p. est idem. Nam si recte meminimus, supra philosophus attulit plures obiectiones vel opiniones, videlicet quod quibusdam videtur dominatio esse scientia quædam, quibusdam videtur dominatio non solum esse scientia, sed eadem esse scientia dominatio, & gubernatio ciuitatis, siue illa sit plurium, siue vnius, præterea quod quibusdã videtur dominatio esse præter naturam & potius esse ex lege: cui opinioni paulo ante responsum est: nunc accedit ad declarationem aliarum opinionum, quod facilius fieri potest ob ea, quæ discussa nuper & declarata sunt. Primum igitur ostendit quòd dominatio & gubernatio ciuitatis non est idem, vt dicebant quidam: probat hoc pacto: Illi principatus seu imperia differunt, quæ habent terminos diuersos secũdum naturam. Sed imperium dominicum, idest domini domus & rei ciuilis, idest gubernatoris habent terminos diuersos, ergo differunt: maior patet, quia diuersitas terminorum arguit diuersitatem eorum, quæ terminantur. Minor declaratur, quia principatus dominicus, idest domini domus, est respectu seruorum: ciuilis, re-

ſpectu liberorum. Dominus igitur & ſeruus item gubernator, & ciuis habent relationes diuerſas. Præterea in domo eſt vnus præſidens, qui dicitur dominus reſpectu ſeruorum: In re pu. ſunt plures liberi atque æquales: & horum alij præſident, alij parent: & ij rurſus parent, & illi præſident. Talis autem viciſſitudo non fit in gubernatione domus, quia dominus manet dominus reſpectu ſerui: ergo non eſt idem dominatio & gubernatio ciuilis. Quæ quidem concluſio pertinere videtur ad declarationem eius, quod ſuperius dictum fuit contra ſententiam priſcorum, dicentium tales gubernationes nõ differre ſpecie. *Nec omnia ſimul principia*, ideſt nec omnes ſimul principatus, vt quidã aiunt, ſcilicet ſunt ijdem. Notandum, quòd differentia aſſignata ſecundum aliquos non videtur eſſe conueniens. Primum, quia non omnis gubernatio domus eſt monarchia .i. principatus vnius; Sed ſolum cum paterfamilias domum regit. At cum vir & vxor gubernant, ariſtocratia: cum vero fratres, dimocratia, vt in octauo ethicorum oſtendit philoſophus. Præterea monarchia eſt vna ſpecies ciuilis gubernationis, vt in tertio huius oſtendet philoſophus. Dicendum ad primũ quòd philoſophus loquitur de principatu domus ſecundum optimum ſuum ſtatum, qui perſeuerare poteſt, qui eſt vnius vel domini reſpectu ſeruorum, vel patris reſpectu filiorũ, vel viri reſpectu vxoris: & tamen eſt vnus & idem. Ad ſecundum dicendum, quòd philoſophus loquitur hic de gubernatione rei p. ideſt de ea, quæ diſtinguitur à regali, & comparat gubernationem vnius regentis domum, cũ gubernatione ciuili, vbi plures per magiſtratus regunt. Vnde in œconomicis res familiaris & reſpublica inter ſe differunt, non ſolũ quantum domus & ciuitas (hæc enim ſunt earum ſubiecta) verum etiam illo, quod in republica quidem plures imperãt, in re familiari vero vnus duntaxat eſt imperator & rector. *Dominus ergo non dicitur:* Hac in parte philoſophus oſtendit dominum non eſſe talem ſecundum artem, vel ſcientiam, quam habeat dominandi: ſed ſecundum na-

turã, & dicit, quò d dominus non est talis scientia: Tunc enim non esset natura talis, & similiter seruus. Quòd si volumus aliquã scientiam tribuere illis, dicemus quod est aliqua scientia dominandi dominis conueniens, alia seruiendi, idest seruis conueniens, qualis erat illa, quam docebat quidam Syracusis, & tamen dicit, quòd in his seruilibus scientijs siue ministerijs dantur gradus, quia seruientis facultas alia est honestior alia, sic etiam dominantis, cuius scientia est in vtendo seruis, non in possidendo, & non habet quicquam præclarum, quod probat experientia, quia sunt multi patres familias, qui habent hanc scientiam præcipiendi seruis vel eius vsum, & tamen constituunt loco sui vicariũ, qui eis præcipiat, vt possint vacare rei p. vel studio sapientię. *Acquirendi vero*, scilicet seruos, idest scientia acquirendi seruos differt à scientia vtraq; iam dicta seruiendi vel præcipiendi. Talis autem est multiplex, veluti scientia acquirendi seruos ex iustis bellis, & non aliter. Alia scientia est venandi, & acquirendi bestias, vt seruos. Verum cum philosophus proposuisset tractare de societate dominica coniugali & paterna & insuper de acquirendi disciplina, vt de parte rei domesticæ, absoluit eam partem, quæ est, vt vidimus, de societate domini & serui.

Omnino autẽ de vniuersa possessione & de acquisitione intuebimur secundum antecedentem modum, quandoquidem & seruus possessionis erat pars. Primum igitur dubitare possit vtiq; aliquis, vtrum illa disciplina quæ ad acquirendum spectat, eadem sit facultati rei familiaris, vel pars aliqua eius, vel ministra: & si ministra, vtrum quemadmodum pectinaria textoriæ, aut quemadmodum æraria statuariæ, non enim eodem modo subministrant, sed altera quidem organa præbet, altera materiam: dico autem materiam, ceu id quod subiacet, ex quo aliquod perficitur opus, ceu textori lana, statuario æs. Quòd quidem igitur non sit eadem rei familiaris disciplina illi quæ pertinet ad acquirendum, manifestum est. Nam huius quidem parare est, illius verò vti: quæ enim vtitur ijs quæ sunt in domo, nisi rei familiaris disciplina: Sed vtrũ sit eius pars vel alia species, dubitationem habet. Nam si est diligentis

ligêtis patrisfamilias videre quomodo pecuniæ & possessio adsint: possessio autem & pecuniæ multas complectuntur partes: primum certè dubitatio est vtrum agricultura pars aliqua sit illius acquirendæ disciplinæ, an aliud quoddam genus? & omnino circa alimentum cura & acquisitio.

Hic est secundus tractatus huius libri: in quo postea quàm docuit de prima societate domus, quæ est inter dominum & seruum: nunc docet de alia parte rei domesticæ, vt supra proposuit, quæ est facultas acquirendi: & quia nuper tractauit de seruo, qui dicebatur esse res possessa, consequens visum est, tractare communiter de vniuersa possessione, siue de facultate acquirendi possessiones, quæ sunt instrumenta rei familiaris. Diuiditur autem hic tractatus in tria capitula: In primo tractat de facultate acquirendi victum: In secundo de facultate acquirendi pecunias, quæ dicitur pecuniaria: In tertio docet ea, quæ ad vsum huiusmodi facultatum pertinent.

Primum capitulum diuiditur in quattuor partes, quę suis locis patebunt: In prima igitur proponit intentionem suam, & mouet duas quæstiones, quarum prima est ista. Vtrum facultas acquirendi pecunias sit idem, quod facultas rei familiaris gubernandæ, an sit pars eius, an ei ministra: Et, si sit ministra, vtrum sit subministrans ei instrumentum, vel materiam. Notandum quòd vna scientia potest se habere ad aliam, sicut quædam pars subiectiua, veluti gladij factiua se habet ad artem fabrilem; alio modo se habere potest, vt subministratiua, & hæc potest esse dupliciter, vel quia subministrat instrumentum, vt frenefactiua se habet ad equestrem, & pectinaria ad textoriam: vel subministret materiam, vt æraria subministret æs arti statuariæ, & sic de alijs. philosophus igitur soluit quæstionem, quantum ad primã eius partem, ostendendo, quòd facultas acquirendi non est idem, quod facultas gubernandi. Probatur: illæ facultates non sunt eędem, quarum altera acquirit, altera vtitur: sed facultas primo modo est accommodata ad acquirendum, & rei familiaris facultas ad vtendum, ergo

non sunt eædem : maior nota est, minor probatur à philosopho, cum dicit, quòd non est alicuius facultatis præter quam domesticæ gubernationis, vti his quæ sunt in domo: ergo patet conclusio, quòd disciplina, seu acquirendi facultas non est tota facultas gubernandæ domus. Restant aliæ partes quæstionis, videlicet, vtrum talis facultas sit pars an ministra. Et si sit ministra, vtrum subministret instrumentum, an materiam. Et hanc partem non soluit hoc loco. Sed emanare quodãmodo videtur solutio; quia parum refert, utrum facultas acquirendi dicatur gubernationi rei familiaris subministrare instrumẽta, an materiam. Nam pecunias dicimus materiam esse belli & etiam instrumenta. Itaque parua est differentia; quanuis vt quidam expositores dicunt, ars acquirendi magis est ministra, quam pars, quia subministrat, & deseruit arti vtendi. Et magis subministrat instrumentum, quàm materiam. Nam pecuniæ sunt instrumenta quædam rei domesticæ, vt infra ostendet philosophus. Post hæc philosophus affert aliam quæstionem, videlicet, si est gubernatoris rei familiaris videre, quomodo possit acquirere. Et cum ista facultas acquirendi habeat sub se multas species, videndum est, utrum agricultura & omnino facultas acquirendi uictum, sit pars ipsius, scilicet acquirendi pecunias, an aliud genus separatum. Hanc non soluit philosophus, quia patebit inferius. Textus est aliquantulum obscurus ob nomina. In his autem locis, quæ ponuntur inferius hoc pacto declarabitur. *Quæstu*, idest pecuniaria facultate. *Antecedentium modum*. idest inspiciendo partes, ex quibus talis facultas componitur. *Quæ pertinet ad acquirendum*. idest pecuniaria: *Diligentis patris familias*. idest habentis artem pecuniariam. *Illius diligentiæ*. idest ipsius pecuniariæ.

At qui species alimentandi multæ sunt, quapropter & vitæ plures sunt animalium, & hominum: non enim fieri potest, vt viuatur sine alimento; quare diuersitates alimentorum, diuersas fecerũt animalium vitas. Nam ferarum quidem aliæ gregales sunt, aliæ solinagæ: vt hoc vel illo modo illis conducit ad victum; quoniã aliæ

viuis animalibus, aliæ fructibus, aliæ cunctis pascuntur: quare ad facultatem victus atq; delectum, ipsarum vitas natura distinxit. Cum verò non idem cuiq; dulce sit secundum naturam, sed alijs alia, & illarum quæ animalia & illarum quæ fructus comedunt, vitæ inter se differunt. Hoc idem est in hominibus, multæ enim differunt eorum vitæ. Nam qui pigerrimi sunt, pastoralem vitam sequuntur, quoniam à mãsuetis animalibus sine labore educatio ipsis prouenit ociosis. cumq; sit necesse mutare locum animalibus, & ipsi coguntur vnà sequi quasi agriculturam quandam viuam colentes: alij verò ex præda viuunt: & præda quidem alia alij, ceu alij venantes, alij piscantes, vt qui paludes, & stagna, & flumina, & mare accolunt: alij ab auibus & feris. Sed maxima pars hominum à terra viuit, & fructibus non syluestribus. Vitæ igitur fermè tot sunt, quot secundum propriam, et innatam habentur operationem, & non per commutationem, & commertia sibi præparant alimentum, pastoralis, agricultura, prædatoria, piscatoria, venatoria. Sunt & qui ista miscentes, iocundè viuunt, supplentes deficientem vitam qua deficiens est, vt sufficientia adsit: ceu quidam pastoralem simul & prædatoriam, alij vero agriculturam, & venationem. Eodem modo & circa alias, vt indigentia compellit, in hunc modum degunt.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua ostendit esse modos acquirendi, vt det modum acquirendi res necessarias ad victum, & incipit à facultatibus maxime necessarijs, & quibus immediate acquiritur victus. Et dicit, quòd multę sunt species acquirēdi alimenta, & quia non est possibile viuere sine nutrimentis, ideo oportet, vt secundum diuersitates alimentorum, oriantur diuersi modi viuendi in animalibus. Nam ex ijs quædam sunt gregaria, alia soliuaga, vt enumerat philosophus. Eodẽ modo in hominibus oritur talis varietas. Nam quidam sunt ociosi, & hi quęrunt victum ex pastorali vita, quæ videtur quasi viua quædam agricultura. Quidam viuunt ex præda, diuersa tamen. Nam alij venantur, alij piscãtur, maxima tamen pars ex agricultura viuit, & istæ sunt diuersæ vitæ, quibus homines diuersimode viuunt. Et istæ vitæ oriri videntur, quasi naturaliter, id est à rebus quas produ-

producit natura ſine nimio artificio, & ſine mercatura & permutatione, quæ ſunt poſteriores facultates viuendi. Illæ autem ſunt immediatæ afferentes hominibus victum, videlicet paſtoralis, agricultoria, prædatoria, piſcatoria, venatoria, vel mixta, vt patet in textu. *Non idem cuiq. dulce*, id eſt iocundum, nam ſunt alij ſapores præter dulce, qui ſunt iocundi, vt late experientia patet.

Talis igitur acquiſitio ab ipſa natura videtur omnibus data, vt ſtatim poſt genituram, ſic etiam ad perfectionem deductis: nam ab ipſo generationis initio quædam animalium coexprimunt tantum alimenti, vt ſufficiat donec poſſit ſibiipſi acquirere, quod generatum eſt, vt quæcunq; ex putredine vel ex ouis gignuntur. Quæ verò pariunt viuentia, alimentum habent in ſeipſis, ad natorum educationem vſq; ad tempus quoddam, quam lactis naturam dicimus. Quare ſimiliter eſt de perfectis quoque exiſtimandum: plantaſq; animalium eſſe gratia, & cætera animalia hominum cauſa: manſueta quidem propter vtilitatem & cibum: fera autem (etſi non omnia, at plurima illorum) propter cibum, & alia adiuuamenta, vt & veſtis, & cætera inſtrumenta ex illis fiant. Si igitur natura nihil neq; imperfectum faciat, neq; fruſtra: manifeſtum eſt, illa omnia hominum gratia feciſſe naturam. Quapropter & bellica ſecundum naturam quoddammodo acquiſitiua erit: nam & venatoria pars illius eſt, quia vti oportet contra beſtias, & contra eos homines, qui ad parendum nati ſunt, nec volunt parere: quia natura id bellum, iuſtum exiſtat.

Hæc eſt tertia pars huius capituli, in qua oſtendit talem artem, vel facultatem acquirendi victum, eſſe maxime naturalem homini, ſeu animali, hoc pacto. Illa ars, qua acquiritur ſine medio, id quod natura fecit propter ipſum animal, eſt maxime naturalis homini: ſed ars acquirendi victum, eſt huiuſmodi, ergo eſt naturalis homini ſeu animali: patet ratio, quia natura nihil facit fruſtra, nec deficit in neceſſarijs. ipſa enim producit animalia, & à prima eorum generatione parat eis nutrimẽtum, donec poſſint ſibi per ſe ipſa prouidere, & hoc patet in diuerſis animalibus. Nam quædam ex vermibus, quædam ex ouis naſcuntur. Quædam etiam viuos producunt

ducunt fętus,& cunctis natura prębuit alimentum antequam sint perfecta, & producta ad perfectionem: idem est conueniens,vt natura instituerit,vnde ipsa animalia iam genita atq; perfecta habere possint alimentum. Et enim aliméta,quę sunt ab extra,facta sunt à natura propter animalia perfecta, veluti plantæ sunt propter animalia, vt ex eis nutriantur, reliqua vero animalia propter hominem,vt late patet in textu: certe concluditur, quòd ars,qua acquiritur,id quod fit à natura propter animal, est naturalis animali: acquirit enim alimentum paratum, & productum à natura pro necessitate animalis immediate,quod additur ob nummularium,quæ non est eius rationis,vt est manifestum. Posthęc loquitur de bello, & dicit quodammodo quia non omne bellum est tale,& etiam quia acquiruntur ea,quæ non subministrãt victum immediate: sed parantur serui, per quos postea comparatur victus, & dicit id bellum esse iustum natura,per quod homines persequũtur feras,ac eos, puta barbaros,& infideles, qui digni sunt seruitute, & eam recusant: & ideo compelluntur ad seruiendum non propter malum ipsorum, sed propter bonum, quia expedit illis seruire,vt antea ostensum est. *Ex putredine*, id est ex vermibus. Nam generatio prima diuisione est duplex,vt ex putrefactione, aut ex semine: ex semine rursus tripliciter,aut ex vermibus,aut ex ouis, aut viuentibus fetibus.

Vna igitur acquirendi species secundum naturam, pars est rei familiaris,quam oportet subesse iam: aut illam parare,quo ea subsint, quorum est comparatio rerum in vita necessariarum,et vtilium ad societatem ciuitatis & domus. Et videntur quidem veræ diuitiæ ex his constare. Nam sufficientia huiusmodi acquisitionis ad vitam bonam,non infinita est,ceu Solon poetico more dicebat: Diuitiarum homini finis nõ ponitur vllus: at certè ponitur,vt in alijs artibus: nullum enim instrumentum cuiusquàm artis infinitum est neque magnitudine,neque multitudine: diuitiæ autem sunt multitudo instrumentorum rei familiaris,& reipublicæ. Quòd igitur sit aliqua acquisitio secundum naturam patribusfamilias,& gubernatoribus reipublicæ, propter, et quam ob causam,manifestum est.

Hęc

Hęc est quarta pars huius capituli, in qua concludere videtur ex antedictis, quòd hæc ars acquirendi victum secundum naturã, maxime est pars rei familiaris, vt subministrans & instrumenta ad vitã, quæ oportet, aut præexistere, aut acquiri non solum rei familiari, sed etiam ciuili. Hæ autem sunt possessiones, atq; diuitię veræ, per quas immediate habetur sufficiẽtia, & repletur indigentia humanæ vitæ, quarũ est aliquis terminus, & non sunt vt illæ diuitiæ, quæ non replent hominis appetitum, de quibus locutus est Solon. Sed istę diuitiæ, quę cõsistunt in rebus necessarijs, & sufficientibus ad victum, sunt finitæ. Hoc probat philosophus, quia nullius artis instrumentum est infinitum, veluti faber tignarius non habet infinitas serras numero, nec vnã infinitæ magnitudinis: at diuitiæ dictæ sunt instrumenta rei familiaris atq; ciuilis, vt patet in textu. Concluditur ergo quod est quædam ars acquirendi naturalis, & necessaria rei domesticæ & rei publicæ. *Ad vitam bonorum*, scilicet hominum: pro facultate autem pecuniaria, nõ intelligit hic nummulariam, vel nummos, quia de ijs loquetur inferius; sed intelligit diuitias ipsas, vel opes ad sufficientiam victus pertinentes.

Est aliud genus acquirendi, quod maximè vocant & meritò vocari debet pecuniarium ob id quod nullus finis uidetur esse diuitiarum, & acquisitionis, quòd esse vnum & idem cum illa specie, de qua supra diximus, plerię; tradiderunt, propter uicinitatem. Sed neq; est idem, neque ab illa ualde remotum: est.n. illorum altera secundum naturam, alterum verò non secundum naturam, sed magis secundum peritiam, et artem, de quo dicere sic exordiamur.

Hoc est secundum capitulum huius secũdi tractatus, in quo postquam docuit de facultate acquirendi alimentum, vel victum: nunc docet de facultate acquirendi pecunias, quæ dicitur pecuniaria. Diuiditur autem hoc capitulum in septem partes: in prima comparat supradictam facultatem acquirendi victum cum pecuniaria: in secunda ostendit ortum commutationis rerum, quæ ad vitam pertinent: in tertia ostendit ortum pecuniarię &

nummu-

nummulariæ, vel mensariæ : in quarta ostendit, esse differentiam inter nũmos, & ipsas diuitias: in quinta ostendit diuitias nummorum partim esse finitas, partim infinitas : in sexta narrat quomodo se habet ars medendi ad patrem familias : in septima ostendit quæ pecuniaria facultas est digna laude, & quæ non . In prima igitur parte philosophus comparat pecuniariam facultatem nuper allatam cum facultate acquirendi victum : quam sit prædixit esse secundum naturam. Hanc vero facultatem pecuniariam, quam sic merito appellandam putat, magis esse dicit secundum peritiam & artem, & propterea non sunt idem, vt plerique crediderunt, nec multum distant, scilicet in quantum subministrare possunt necessaria vitæ quamuis acquisitiua, vt ita loquar cibi immediate subministrat . hæc autem mediate : illa est secundum naturam . hæc autem secũdum artem, vt patet in textu.

Cuiusq; enim (quæ possidetur) rei duplex est vsus : uterq; uerò rei secundum se, sed non similiter secundum se, verum alter proprius, alter non proprius rei, ceu calcei quidem est calceatio & uenditio : uterq; enim usus calcei est . nam qui calceum indigenti uendit pro pecunia uel cibo, utitur calceo qua calceus est, sed non secundum proprium usum. non enim commutationis gratia est calceus. eodem modo se habet in alijs rebus, quas posidemus. est enim permutatio in omnibus, cœpta quidem ab initio ex eo, quod est secundum naturam, quòd alij plura quàm opus sit, alij pauciora habeant homines. Ex quo manifestum est, nũmulariam non esse secundum naturam eius quæ pertinet ad acquirendum. quoad enim ipsi sufficeret, necessarium erat permutationem fecisse . In prima igitur societate, id est in domo, manifestum est nihil opus esse illius, sed iam in maiori existente societate . alij enim illorum communiter habebant omnia, alij separati multa rursus et alia, quorum secundum indigentiam necesse erat permutationem facere . quemadmodum adhuc faciunt barbarorum nationes multæ, alia pro alijs dantes, recipientesq; . utilia enim pro utilibus tradunt . ultra enim nihil ; ceu uinum pro tritico, & cæteris talibus . Huiusmodi ergo permutatio neq; præter naturam est, neq; nũmulariæ species ulla est, cum sit in supplementum indigentiæ, secundum naturam.

Hæc

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophs volens tradere ortum pecuniariæ, affert originem commutationis, à qua orta est, & dicit, quòd cuiusque rei duplex est vsus, & vterque videtur esse per se, & non per accidens: differunt tamen, quod alter est proprius, alter verò nõ proprius, sed communis causa commutationis, vt de calceo affert exemplum, ac eodem modo de alijs rebus eiusdem generis dici potest. Post hæc dicit philosophus, quod permutatio potest fieri de omnibus rebus, & primum cępta est ab ijs, quas natura ministrat ad necessitatem humanæ vitæ, eo quod de ijs quidam homines habebant plura, quidam pauciora, veluti quidam habebant maiorem copiam vini, quidam tritici, vnde oriebatur commutatio, quousq; habebat vnusquisq; sufficientiam suam, ex quo manifestum est, nummulariam non esse à natura. *Ex quo manifestum est*. ex quo manifestum est pecuniarię nummulariam vel mẽsariam non esse secundum naturam. Tales autem dicuntur, qui ratione pecuniæ tantum non pro vsu illius, sicut requirit vera facultas acquirendi pecunias in ijs augendis assidue perseuerant. Commutatio igitur rerum ad habẽdum necessaria, inuenta est, quæ quidem cõmutatio est vsus rei non proprius, sed consequens: at in prima societate, quæ est ipsius domus, non erat opus tali cõmutatione, cum omnia essent communia, & ipsius patris familias. Verum multiplicatis pagis, & ciuitatibus quidã habebant omnia communia, inter quos non erat opus commutatione, alij rursus separatim multa, quorum permutatio secundum indigentiam cępta est fieri de rebus naturalibus ad res naturales, quem morem seruant adhuc permultæ ex barbaris nationibus. & talis modus permutationis non est prę ter naturam, nec est pars pecuniarię facultatis, quam diximus esse secundum peritiam, vel artem, & non esse secundum naturam. *Alij separati*, idest illi rursus qui sunt separati, multa. *neque ad amplificationem patrimonij*, id est neq; pecuniariæ facultatis est pars vel species.

Ex hac tamen illa non ab re processit. Nam cum à remotioribus

quæ re-

quæreretur auxilium,importando illa quibus indigebant,& exportando illa quibus abũdabant,necessario nũmi introductus est usus. non enim facile ferri possunt singula eorum, quæ sunt secundum naturam necessaria. Quare ad permutationes faciendas,tale aliquid composuerũt inter se dare et accipere,quod utilium quippiam existens haberet vsum commutandi facilem ad uitam: ceu ferrum, et argentũ, et si quid aliud tale: primò simpliciter definitum quantitate & pondere: postmodum verò etiam signo impressum, quo à mensura liberi essent. nam signum positum est ad quantitatem demonstrandam.

Hæc est tertia pars huius capituli, in qua ostendit ortum pecuniariæ,atque exinde ortum nummulariæ, quæ est pars pecuniariæ. Dicit ergo quòd ex hac commutatione rerum naturalium emersit pecuniaria, commutatio atque facultas secundum rationem & prudẽtiam inuenta. Multiplicatis enim populis, longeq; inter se distractis,cum alij aliorum rebus indigerent,& difficultas oriretur non mediocris rerum portandarum ad remotiora loca, cœperunt commutare ferrum, æs,argentum, & huiusmodi metalla ob maiorem commoditatem, primum non signata,deinde impressa signo. Et sic introductus est nummus,vt late patet in textu, & in ethicis philosophus meminit.

Reperto igitur nũmo, ex necessaria permutatione, alia species acquirendi emersit,nummularia: primò forsan simpliciter, postea per experientiam artificiosior, unde,& quomodo permutando,plurimum faciat lucrum. Quapropter nummularia maximè circa quæstum nummorum versari videtur: illius esse opus, posse discernere, unde proueniat multitudo pecuniarum: diuitiarum enim & pecuniarum effectiua est.

Ostendit nunc quomodo emersit nummularia. Et notandum quòd non intelligit per nummularios campsores mensarios tantum, sed omnes negotiatores, qui operantur vt augeant nummos ratione nummorum non ad vsum aliquem familiæ,aut ciuitatis,sed solũ gratia congregandi nummos. Dicit igitur quòd reperto nummo ex illa necessitate commutationis emersit alia species

acqui-

acquirendi, scilicet nummularia, & ista est, quæ considerat quomodo permutando faciat plurimum lucri. propter hanc rationem videtur pecuniaria maxime versari circa nummos: & hoc non est omnino verum. Nam hoc est proprium nummulariæ, quę cum sit pars pecuniarię, videtur quòd pecuniaria idem faciat, ideo dici videtur, cū non sit. *Quapropter videtur nummularia:* sed pecuniaria. *Nam & diuitias plerunque ponunt esse multitudinem nummorum: ex eo videlicet, quòd circa illam intendunt pecuniaria nummulariaq́; . Contra verò interdum futile quiddam videtur nummus, et vna lex omnino, & nequicquam secundum naturam. Quoniam mutatis ijs qui vtuntur, nullius precij aut vtilitatis est ad aliquod necessariorum: & locuples nummis, penuriam patietur necessarij alimenti. Atqui absurdum est tales esse diuitias affirmare, quarum abundans quis fame perire possit: vt de Mida illo in fabulis traditur, cui propter insatiabilitatem desiderij, quicquid apponebatur, fiebat aurum. Quamobrem quærunt diuitias alias, et aliam acquirendi rationem. Et rectè quidem: est enim alia acquirendi ratio, & diuitiæ sunt secundum naturam: & hæc quidem rei familiaris disciplina, illa verò nummularia pecuniarum effectiua, non omnino, sed per ipsarum pecuniarum commutationem est. Et videtur circa nummum ista versari: nam nummus primum est, & vltimum in commutatione.*

Hæc est quarta pars huius capituli: in qua affert diuersas opiniones de ipsis diuitijs. Nam quidam dicebāt, diuitias nil aliud esse, quam nummos, & putabant idem esse pecuniariam & nummulariam, quod non est, cū nummularia sit species pecuniariæ. Alij putarunt diuitias veras diuersas esse à nummis, & hanc sententiam probat philosophus duabus rationibus, primum quia diuitię veræ sunt stabiles, & secundum naturam de rebus necessarijs ad vitam, vt vinum, triticum, & alia eiusdem generis. At nūmi non sunt necessarij, nec stabiles, patet hoc quia mutata sententia, & constitutione vtentium illis, pereunt nummi, & non sunt vllius vsus. Alia ratio est, quia illæ non sunt veræ diuitiæ humanæ, quibus abundantes quandoq; moriuntur ob defectum necessariorum ad vitam:

ad vitam, sed nummi sunt huiusmodi, ergo patet conclu sio & probatur à philosopho exemplo Midę. *Nummus & lex*: quasi nummus, qui videtur esse tãtum ex lege vnde gręce dicitur ἀπὸ τοῦ νόμου: *Mutatis his*.i.mutata sñia eo rum, qui vtuntur. & *aliam acquirendi rationem*, id est aliam acquirendi facultatem, & recte quidem scilicet quęrunt diuitias in rebus naturalibus consistentes. *Et hæc quidem rei familiaris disciplina*, idest pertinens ad rei familiaris di sciplinam, *illa verò pecuniaria*, id est nummularia verò pe cuniarum est effectiua non simpliciter & omnino, sed solum per nummorum permutationem, vnde tota versa tur circa nummos, & incipit à nummis, & desinit in num mis, & nummus est primum, & vltimum circa quod talis versatur.

Et infinitæ sunt huiusmodi diuitiæ, quæ ab hac ratione rei augendæ proficiscuntur. Vt enim medicina sanitatis in infinitum est: & unaquæq; ars eius finis in infinitum. (nam quẽm maximè uolunt illum efficere) eorum uerò quæ sunt ad finem, non in infinitũ: finis enim extremum omnibus: sic & huius rationis augendæ rei, non est finis terminus: finis autem tales diuitiæ, et pecuniarum acquisitio. sed rei familiaris, non augendæ rei, est finis: non. n. hoc est rei familiaris opus. Quapropter in hac uidetur necessarium, ut sit finis omnium diuitiarum. Sed contrà uideo fieri: omnes. n. in infinitum augent, qui student congregare nummum. Causa uerò huius est, illarum propinquitas. uariatur. n. usus eiusdẽ rei, cum sit utriusq; acquisitionis: ipsius. n. usus acquisitio, sed non secundũ idem. ac huius quidem alius finis, illius uerò amplificatio. Quare uidetur quibusdam hoc esse rei familiaris opus, & perseuerant existimantes oportere, aut conseruare, aut augere nummorum substantiam in infinitum. Causa uerò est huius dispositionis, studium uiuendi, sed non bene uiuendi. Cum ergo cupiditas in infinitum extendatur, illa quoque quæ efficiunt, infinita cupiunt. Sed qui bene uiuere student, ad fruitionem corporis quærunt diuitias. unde cũ hoc quoq; in acquisitione consistere uideatur, omnis eorum cura circa acquirendum est. Et altera augendi species hinc processit. cum enim fruitio modum excedat, illam quærunt quæ huiusmodi excessum adimplere possit: & si per hanc acquirendi speciem nequeãt

E para-

parare, per aliam causam efficere conantur, unaquaq; freti potentia non secundum naturam. fortitudinis.n.non est pecuniam parare, sed fiduciam animi. neque rei militaris, aut medicinæ: sed illius quidem uictoriam, huius uero sanitatem: at illi cunctas ad pecuniam conuertunt, quasi hic sit finis: ad finem uerò cuncta oportet tēdere. De illa igitur acquirendi specie, quæ necessaria non est, & quænam ea sit, & propter quam causam ipsius usum nobis asciuimus, diximus: & de illa quæ necessaria est, quòd altera ab illa: & disciplina rei familiaris, secundum naturam, circa alimentum nec infinita, sicut illa, sed finem habens.

Hæc est quinta pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, quo pacto à pecuniaria partim finitę, partim infinitæ diuitiæ progrediantur. Et notandum, quod pecuniaria hic sumi potest tanquam genus, cuius species sit pecuniaria nomine generis ad rem familiarem pertinēs, quæ habet finem suum præparationem rerum necessariarum ad rem familiarem pertinentium. Alia species sit nummularia, quæ habet finem multiplicationem nummorum. Affert igitur duas conclusiones: prima est, quod pecuniaria facultas, quæ est nummularia, intendit semper pecunijs, & diuitiæ eius progrediuntur in infinitum: secunda conclusio est, quod illæ, quæ sunt pecuniariæ pertinentes ad rem familiarem non proficiscuntur in infinitum. Prima conclusio probatur hoc pacto, cuiuslibet artis finis appetitur in infinitum, sed diuitiæ sunt finis nummulariæ, ergo appetuntur in infinitū, & in infinitum progrediuntur. Maior probatur exēplo medicinæ, quæ intendit sanitatem meliorem, atque meliorem quantumcunq; potest vsq; in infinitum, si subiectum paterętur, non tamen quæ ducunt ad illum finem, vel vt alij exponunt medicina appetit producere, non vnam sanitatem tantum, sed aliam atque aliam vsque in infinitū si posset, quasi medicinæ est sanare in infinitum, sic de alijs facultatibus. Minor est clara, quod nummularia habet finem ipsas diuitias. Secunda conclusio probatur hoc pacto, ea, quæ sunt ad finem alicuius artis vel facultatis, non appetuntur, nec prodeunt in infinitum: at di-

at diuitiæ,quæ ſunt pecuniariæ facultatis pertinentis ad rem familiarem,ſunt ad illius finem,ergo non ſunt infinitæ. Patet ratio,quia pecuniæ appetuntur à tali facultate,& à gubernatore rei familiaris tanquam inſtrumenta neceſſaria ad finem: Quòd ſi illa media eſſent infinita,nunquam poſſet conſequi talem finem. *Vt enim medicina ſanitatis*, id eſt,vt medicina ipſius ſanare in infinitum: ſic quælibet ars eſt ipſius finis in infinitum. Notandum, quod pecuniæ ſe habent ad nummulariam,quam expoſitores appellant cāpſoriam,ſicut finis: appetit enim multiplicationem continuam pecuniarum: ad rem familiarem vero non ſicut finis,ſed ſicut ea,quæ ſunt ad finem, ergo altera quærit pecunias in infinitum, & ſine termino,altera cum termino: atq; vt magis aperiatur textus, intelligendum,quod quęſitum eſt ſupra,vtrum acquirendi facultas ſit idem, quod diſciplina rei familiaris, an eius pars: & cum ſit eius pars habens ſub ſe alias partes, tamen non omnis acquirendi facultas eſt eius pars, cum ſit aliqua ſpecies, quæ non pertinet ad rem familiarem. Qualis autem hæc ſit, nunc dicit philoſophus in principio huius partis allatæ. Nam cum facultas acquirendi pecunias, quæ appellari poteſt pecuniaria, diuidi bifariam poſſit, & altera eius pars habeat finem ſuum præparationem rerum neceſſariarum accōmodatum ad finem familiarem: altera vero, quæ nummularia appellari poteſt,(vtimur enim nominibus,quę ſenſum aperiant) habeat finem ſuum augumentationem pecuniarum cuius non ſit terminus, ſed infinitæ ſunt tales pecuniæ, & infinitus earum eſt appetitus, illius vero ſit finitus, & determinatus modus: dicemus, quod hæc pertinet ad rem familiarem: nummularia non pertinet, nec eſt pars diſciplinæ rei familiaris. philoſophus igitur ſe continuat ad præcedentia,vbi loquebatur de facultate nummularia: Et dicit, quod tales diuitiæ ſunt infinitæ, quia poſt vnam acquiſitionem vult aliam facere,& non acquieſcit appetitus ſtudio iterum acquirendi,vt exemplo medicinæ & cæterarum artium oſtéſum eſt. Sed media,quę ten

dunt ad finem non sunt infinita, neq; in infinitum fit eorum progressio, quia finis est terminus eorum, quæ sunt ad finem. Sic igitur huius nummulariæ, quam expositores appellant campsoriam, vel mensariam, non est terminus ipsius finis in obliquo casu: ita enim se habet textus huius rationis augendæ rei non est finis terminus, quia talis facultatis, scilicet nummulariæ sunt tales diuitiæ infinitæ, & pecuniarum possessio finis, cuius finis nunquã est terminus, sed semper hunc finem, id est pecuniarum acquisitio vult in infinitum non inueniens terminum, in quo quiescat. Allatæ sunt igitur ad hoc propositũ duę conclusiones: prima quod intendit semper pecunijs, & diuitiæ eius progrediuntur in infinitum: secunda conclusio, quę sumitur inde. *Sed rei familiaris*, id est pecuniarię facultatis pertinentis ad rem familiarem est terminus, & diuitię non sunt infinitæ, nec est finis ipsius augumentatio pecuniarum, nec est eius opus, vel officium. sed diuitię se habent ad eam tanquam media, & tanquã instrumenta subministrantia necessaria vitę. Est igitur rei familiaris non autem nummulariæ determinata, vt ita loquar pecunia. Verum his conclusionibus probatis, dicit quod ratione pecuniariæ facultatis pertinentis ad rem familiarem sunt diuitiæ determinatæ, tamen contrarium videtur accidere. Pleriq; enim gubernatores rei familiaris procedunt in infinitum acquirendo pecunias: ergo ex parte facultatis est determinatus finis, sed ex parte acquirentium, non est definitus. Affert igitur huius rei triplicem causam: vnam ex parte pecuniariæ facultatis: duas postea ex parte talium hominũ: Nam pecuniaria facultas est duplex: vna quæ appellatur tali nomine, videlicet nomine generis, & est accõmodata rei familiari: alia quæ dicitur nummularia, quæ tantum lucro intendit. Et istæ videntur ferè eędem, sunt.n. valde similes atq; propinquæ, quia ambæ versantur circa pecunias, & licet non versentur secundum idem, id est eandem rationem, tamen interdum confunduntur, & capiũtur pro eodem, ideo pleriq; gubernatores rei familiaris vertuntur

tur ad nummulariam, & non ad illam, quę est ministra rei familiaris, tamen differentia est inter illas, quia vna versatur circa nummos, vt sunt instrumenta rei familiaris, & vt possunt ei gubernationi subministrare. altera vero versatur circa nũmos ea ratione, qua nummi sunt, id est propter nummos. Habent igitur propinquitatem ex eo, quod habent eundem actum & vsum, idest acquisitionem pecuniæ, sed non ad eundem finem. Quare gubernatores rei familiaris ob eam propinquitatẽ ab vna ad aliam facile dilabuntur. Aliarum duarum causarum, quas affert ex parte talium hominũ: prima est ista, quod plerisq; uertunt animos ad parandas diuitias in infinitũ, propter studium viuendi, cui tantum intendunt, vt cogitent semper de vita, & parent semper pecunias, & in infinitum expetant eas, quibus satisfaciant tali cupiditati. De quibus illud Ciceronis dici potest: ò fallacem hominum spem, & inanes nostras contentiones: quæ in ipso cursu sepe frangũtur & corruunt, in ipso spatio obruuntur, antequã portum conspicere potuerint. secunda causa est ex parte eorundem hominum, quæ est tertia in ordine trium causarum. Nam quidam homines cupiunt non solum viuere, sed bene viuere. Et non cupiunt bene viuere, id est viuere secundum rationem, sed vt vulgus, id est voluptuose lautè, & delicatè viuere, ad quam vitam degẽdam, cum sint necessarię multę pecunię, ideo maxime intendunt nummis, vt per illos eam vitam consequi possint, quam bonam esse putãt. Quin etiam si per nummulariam non possunt acquirere nummos, tunc abutuntur reliquis facultatibus, conuertentes eas ad lucrũ & acquirendas pecunias. Nam fortitudinis finis est fiducia animi. medicinæ sanitas, rei militaris victoria, tamẽ isti abutuntur finibus dictarum facultatum, vertẽtes eas ad lucrum, vt diximus, & nummos parandos. Verum vt textus magis aperiatur declarandi sunt quidam loci. *ab hac ratione*, id est ab hac nummularia. *Huius rationis augendæ rei*, idest huius pecuniariæ, & nummulariæ facultatis. *Finis igitur non est terminus*, id est non est terminus ipsius fi-

nis nummularię. *Sed rei familiaris*, id est pecuniarię pertinentis ad rem familiarem est terminus, & est aliquod extremum: Sed non est terminus augendę rei, id est, nũmulariæ non est terminus, vel vltimũ. Nam ipsius opus non est gubernatio rei familiaris. *Vt sit finis*, id est vt sit terminus vel vltimum, vel extremum, videlicet secundum pecuniariam facultatem pertinentem ad rem familiarem. Nam differunt isti termini à fine, quia finis est id cuius gratia cętera fiunt. Termini vero extrema sunt, ad quę terminãtur res, & in quibusdam idem est terminus, & finis: vt opus est terminus, & finis operationis. Punctus vero est terminus lineę, & superficies est terminus corporis, at non est finis. Itaq; lucrum videtur esse terminus pecuniariæ facultatis, secundum aliquam operationem, quæ terminatur ad lucrum, sed non tanquam ad finem suum, cum eius finis sit gubernatio rei familiaris, ideo paulo inferius. *At huius quidem alius finis*, id est huius pecuniarię est alius finis quam nummularię, quia talis pecuniarię finis est gubernatio, & sufficientia rerum necessariarum ad rem familiarem pertinentium. *Huius vero*, scilicet nummulariæ finis est amplificatio nummorum. *Hoc esse rei familiaris opus*, id est opus facultatis pertinentis ad rem familiarem *cupiditas*, scilicet viuendi. *Sed bene uiuere*, hic accipit pro lautè & delicatè viuere. *hinc*, scilicet ex cupiditate benè & lautè viuendi. *Et si per hanc*, scilicet nummulariam. *Vnaquaq; freti potentia non secundum naturam*, id est qualibet vtentes facultatum non secundum naturam: postea sequitur fortitudinis enim non est pecunias parare, sed fiduciam animi. *De illa igitur acquirendi specie*, id est de illa pecuniaria, quę nummularia dicitur: *Et disciplina*, scilicet accommodata disciplinę rei familiaris. *Finem habens*, id est terminũ & vltimum. Dubitatur, quia dixit cupiditátem augẽdi pecunias per nummulariam, seu mensariam extẽdi in infinitum, quod probauit, quia si est cupiditas habendi vnum nummum, sicut nummi augeri possunt in infinitum, similiter cupiditas augebitur in infinitum, quod videtur esse absurdũ,

quia

quia datur hoc pacto infinitum actu, si datur vnus actus cupiditatis infinitus. Expositores græci soluunt, & dicunt quod sicut augêtur nummi, ita cupiditas, vt crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit: vnde si cupio centum, & postea ducentos nummos, quãuis sit dupli cupiditas, tamen non proceditur in infinitũ in cupiditate, quia illa cupiditas, qua cupiuntur ducenti, est illa eadem, qua antea appetebam centum: & sic potest dici, quod intendatur cupiditas, non tamen est infinita actio in cupiendo, vel vt dicũt quidam, si semper augendo cupiditatem proceditur in infinitum, vt dixit philosophus, hoc nõ est dare infinitum actu, sed potius potentia, vt in multiplicatione numeri, quia successiue fit talis cupiditas.

Ex quo patet id quod ab initio dubitabatur, vtrum gubernatoris domus, & ciuitatis sit acquirere, an non, sed oporteat prius subesse. sicut enim homines non facit respublica, sed factos à natura suscipiens, vtitur illis: sic et alimentum oportet naturam præbere aut à terra, aut à mari, aut alio quopiam: sed quemadmodum hæc administranda sunt, ad gubernatorem pertinet domus. Neq; enim textoriæ est lanas facere, sad factis vti, & discernere qualis sit bona & apta, & mala & inepta.

Soluit philosophus dubitationem superius motam, vtrum pecuniaria, & acquirendi facultas pertineat ad gubernationem rei familiaris, vel ciuilis, & vult quod nummularia nullo modo pertineat ad ipsam: sed illa facultas pecuniaria, cui est terminus aliquis accommodatus ad rem familiarem, & est eius ministra, non quod sit eadem, sed ordinatur ad eam, vt ministra. Nam oportet subesse necessaria vitę, deinde vt domus gubernetur. facere autem vel acquirere necessaria nõ est proprium & immediatum munus rei familiaris gubernationis, vel ciuilis: sed factis & paratis bene vti. Vt enim natura producit latiam, & mercatoria comparat, & defert ad textorem, & textoris est non facere, vel acquirere lanam, sed vti: Sic natura producit alimentum mari vel terra, & acquirendi facultas pecuniaria terminata acquirit, gubernatio vero vtitur ipsis factis, vel acquisitis. Dubitatur,

tur,quia si facultas acquirendi est ante rem familiarem, & presupponitur ab ea cuius sit,an patrifamilias,an alicuius alterius.Et puto quod sit eiusdem hominis,tamen aliter se habentis. Nam anteaquam ipse constituat domum,oportet vt preparentur sibi ea,quæ possunt subministrare ad vsus reifamiliaris: Postea vero cõstitutus paterfamilias debet regere ac gubernare familiam, & res suas. Quòd si ad acquirendum & lucrandum se vertit, non vt paterfamilias,aut gubernator rei familiaris id facit,sed vt alius quidam sic se habens.

Enimuero dubitarit vtiq; aliquis,cur ea diligentia, quæ ad acquirendum pertinet, pars rei familiaris sit: medicina verò non sit eius pars. Atqui sanam esse familiam oportet, quemadmodum & victum habere,aut aliud quicquam necessariorum. Sed cum sit vt patrisfamilias, & gubernatoris de sanitate prouidere: sic etiam vt non, sed medici. itaq; etiam de pecunijs est, vt patrisfamilias; est etiam vt non, sed vt lucro inseruientis. Maximè verò (vt prius dictum est) natura oportet hæc existere. naturæ enim opus est, alimentum genito præbere: nam cuiq; ex eo ex quo generatur, alimentum relinquitur: quare secundum naturam est comparandi facultas omnibus,ex fructibus,& animalibus.

Hæc est sexta pars huius capituli,in qua philosophus quærit,cum familia,quæ est in domo indigeat sanitate: sicut & victu,& alijs rebus necessarijs,cur medicina non pertineat ad rem familiarem,& sit eius pars, sicut pecuniaria. Nam si pecuniaria est pars rei familiaris propter necessaria vitæ, & vitam conseruandam, eadem ratione videbitur esse medicina.Respondet,quòd medicina alio modo pertinet ad patremfamilias, vel gubernatorem ciuilem: & alio modo ad medicum,pertinet enim ad gubernatorem rei familiaris, vel ciuilis: aliquo modo videlicet vtendo consilio medicorum non autem curãdo. Idem accidere videtur de pecuniaria, quæ pertinere videtur ad patrem familias,in quantum vtitur pecuniaria acquisita,vel ministerio eorum,qui acquirunt: sed considerare ex quibus rebus pecunia possit acquiri,vel quomodo in hoc non pertinet ad talem patrem familias,vel

guber-

gubernationem,sed ad facultatem pecuniariam subseruientem sibi. Non est igitur medicina pars subiectiua rei familiaris, sed subministrans ei ob sanitatem, sicut pecuniaria ob necessaria vitæ acquirenda,vel præparanda. *Ea diligentia,qua ad acquirendum pertinet,*id est pecuniaria. *Sed cum sit,* id est, sed cum partim spectet ad patrem familias, & gubernatorem prouidere de sanitate, scilicet subiectorum partim non pertineat, sed ad medicum spectet. *Natura enim opus est alimentum præbere,* s. genitæ. *Cuique autem ex quo,* id est cuiq; enim, id est alimentum, quod restat,& à quo generatur.Vt fetus, dum est in ventre matris,nutritur sanguine menstruo: postquam editus est, sanguis mẽstruus, qui restat vertitur in naturam lactis,& sic genito præbet alimentum.Cum igitur à natura debeat prodire nutrimentum,merito ex rebus naturalibus paranda sunt necessaria ad victum,& pecuniaria præstare debet illa non improbanda, quæ est acquisitiua ciborum, vel nummorum, pro cibo ex rebus naturalibus,id est ex fructibus & animalibus,non autem illa nummularia, quæ acquirit nummos non ex rebus naturalibus, sed ex ipsis nummis, quia non est secundum naturam,vt patebit.

Cum vero & hæc sit duplex, vt diximus,& altera numularia, altera vero disciplina rei familiaris: & hac quidem necessaria & laudabilis, illa verò translatitia, & meritò improbanda, quia non secundum naturam, sed ab hominibus acquirit,rationabiliter habetur odio ipsa numularia: quoniam à numo ipsa facit acquisitionem, & non ad quod inductus est: commutationis enim causa numus inductus fuit: fœnus autem seipsum maius facit: vnde & nomen accepit: quoniam illa quæ pariuntur, similia gignentibus sunt, in fœnore autem numus numum parit. quare maxime præter naturam est, hic acquirendi modus.

Hæc est septima pars huius capituli, in qua philosophus ostendit pecuniariæ facultatis,quænam sit laudanda,& quæ vituperanda,& dicit,cum duplex sit pecuniaria videlicet nummularia, quæ habet sub se plures species,alia sit pertinens ad rem familiarem,& seruiens ei, quæ

in tres partes. In prima tractat de prima specie pecuniariæ facultatis quantum ad vsum. In secunda tractat de secunda specie, scilicet de nummularia, in quantum ad vsum ipsius, & diuidit eam in plures partes. In tertia docet modum habendi pecunias & affert quædam documenta. In prima igitur proponit intentioné suam. Deinde diuidit facultatem acquirendi, quæ est genus, & videtur sumere facultatem acquirendi victum & facultatem pecuniariam secundum eam partem, quæ est accõmodata rei familiari, simul relinquendo alteram partem sibi oppositam, scilicet nummulariam, de qua tractabit in sequenti parte immediate. Dicit igitur quod primæ partes talis facultatis scilicet pecuniæ necessariȩ ad vsum sunt eæ: quod oportet comparare animalia, vt boues, equos, & alia huiusmodi: atque considerandum, vt sint optima in genere suo. Sed ipsius agriculturæ cura habenda est, tum apum, & aliarum rerum, quæ nobis sunt datæ à natura vt nutriamur, vt in œconomicis etiã ostendit philosophus, secundum naturam potissimum, inquit, est agricultura. *Sunt autem circa acquirendum,* idest sunt autem pecuniariæ. *Propriæ acquisitionis,* idest pecuniariæ facultatis accommodatæ rei familiari, videlicet pecuniariæ domesticȩ & pertinentis ad rem familiarem. *Primæ*, scilicet in genere.

Eius verò quæ per translationem dicitur, potissima pars est mercatura, & huius partes tres, nauigatio, deuictio, negociatio. differunt autem hæc inter se, cum alia securiora sint, alia fructuosiora. Secunda pars est fœneratio. Tertia mercenaria, & huiusmodi alia vilium artium, alia sine arte solo corpore ministrante est. Et quarta acquirendi species media inter hanc & primam (habet.n. partem eius quæ est secundum naturam, & partem eius quæ per translationem dicitur) & est in ijs omnibus quæ à terra, & ab ijs quæ terræ sunt, non à fructibus, sed vtilibus: ceu sylua cædua, & omni metallica: hæc rursus multas complectitur partes: nam multæ sunt ex terra, metallorum species. De singulis horum in genere dictum est nunc, in specie verò de his dicere vtile quidem foret ad opera conficienda, sed graue nimis in his edocendis persistere.

Sunt

Sunt enim operationes illæ artificiosissimæ, in quibus minimum est fortunæ: illæ sordidissimæ, in quibus maxime inquinatur corpus: illæ seruilissimæ, in quibus corporis est vsus plurimum: illæ verò ignobilissimæ, in quibus minimum requiritur virtutis.

Secunda est pars huius capituli in qua docet de ijs, quæ sunt ad vsum secundæ speciei pecuniariæ, cui tribuit tres partes, scilicet mercatoriam: fœneratoriam: mercenariam. Mercatoriam vero diuidit in tres species, nauigationem: deuictionem per terram: negotiationem assistentem in eodem loco, quæ sunt tria membra sub genere ipsius mercatoriæ, quæ mercatoria prima est pars nummulariæ facultatis. Secunda fœneratoria, valde vituperanda. Tertia est mercenaria. Est & alia quarta species quasi mixta quædam consistens inter nummulariam & acquisitiuam; siue pecuniariam familiarem, quæ dici potest metallica, quia est ex ijs, quæ sunt à terra, & licet non capiatur ab his alimentum immediate, vt à frugibus, tamen habent hæc aliquem usum utilem mediate, quia per commutationem sunt vtilia, cum sint naturalia. Vnde philosophus in libro œconomices, secundo inquit loco, quæ sunt à terra, ceu metallorum, aut si qua alia huiusmodi. Post hęc philosophus comparare videtur operationes istarum facultatum, declarando quòd alię sunt artificiosissimę, &c. & sunt fabrorum artes, aliç sordidissimę sunt, in quibus maxime inquinatur corpus, & tamen aliqua industria ingenij adhibetur in ijs: vilissimæ autem, in quibus plurimum corporis est opus, industrię vero parum, vt sunt baiuli, & alij huiusmodi. Ignobilissimę, in quibus parum corporis & minus industrię, vt patet in textu. *Sunt enim,* sunt autem.

Cum vero sit à quibusdam de his scriptũ, vt à Charete Pario, & Apollodoro Lemnio de cultu agrorum tam nudorum quàm consitorum: & similiter ab alijs de alijs: ea quidem (cui cura est). præcepta consideret. Etiam quædam à frugi patribusfamilias dicta colligere oportet, per quæ consecuti sunt diuitias, qui acquirere studuerint. quale est illud Thaletis Milesij (id enim consideratio

ratio quædam est ad acquirendum) sed illi quidem attributũ propter sapientiam: contingereq́; potest, cum sit vniuersale: cum enim obijceretur illi philosophiæ studium, propter inopiam, quasi inutile & infructuosum, prospexisse illum ferunt per astrologiam oliuarum vbertatem futuram. Cumque coegisset pauxillum pecuniarum, hyeme adhuc vigente emptionem oleæ fecisse in Mileto, & in Chio, pro paruo admodum precio, vtpote nemine plus offerente, arrasq́; dedisse. Cum itaq; postea tempus venisset, multis subitò quærentibus vendidisse oleum quanti ipse voluit, ac magnam vim pecuniariam inde superlucratũ: ostendisse amicis, perfacile esse philosophis ditari, si vellent: sed hoc non est illis curæ. Thales igitur in hunc modum dicitur scientiam suam ostendisse. Est autem (quemadmodũ diximus) vniuersalis hic quærendi modus, si quis possit sibi soli venditionem comparare. quapropter ciuitates quædam hunc faciunt quæstum, cum indigent pecunijs: venditionem enim sibi soli reseruant. In Sicilia quidam cum apud eum pecunia reposita esset, quicquid erat ferri, ex ferrarijs emit: postea verò mercatoribus illuc accedentibus vendebat solus, non magnum excessum precij faciens, sed tamen ita vt pro quinquaginta talentis, centum conficeret. hoc itaq; sentiens Dionysius, pecunias quidem illi iussit efferre, sed amplius Syracusis morari vetuit, vt qui quæstus reperisset ipsius rebus inutiles. Iste vidit aliquid tale quale Thales viderat, atque hoc idem: vterque enim sibi soli venditionem comparauit. Vtile etiam est videre hæc in republica. nam ciuitates pecunijs indigent, & huiusmodi quæstibus, quemadmodum domus, sed & magis: quamobrem in republica quidam huic soli parti intendunt.

Hæc est tertia pars capituli in qua philosophus videtur afferre quędam documenta, pertinentia ad has facultates. Et primum dicit de prima, quæ est agricultura, de qua & Cares & Apollodorus scripsere, à quibus accipi possunt documẽta, & hoc dixit, vt intelligamus has esse subministrantes facultates gubernatori reipublicæ. Sed oportet patrem familias habere huiusmodi præcepta. Affert autem philosophus exempla quædam Thaletis Milesij, & cuiusdam in Sicilia commorantis, vt patet in textu. *Præcepta etiam quædam sugi patribus familias.* idest adhuc

adhuc autẽ dicta sunt sparsim, per quæ adepti sunt quidam pecunijs intendentes. Dicit autem primo, quòd sunt scripta, deinde dicta circa hanc materiam, vt patet in textu. *Hæc .n.* idest cuncta hæc vtilia sunt pecuniariæ intendentibus, *Emptionem oleæ*, idest conduxisse officinas oliuarum, seu in quibus exprimitur oleum, *Nemine plus offerente.* idest nemine adeunte, vel aduertente, *Vendidisse oleum*, idest collocasse officinas vbi fiebat oleum. Vidimus igitur in hoc capitulo breuiter ea quæ dixit philosophus. Vt autem melius & apertius percipiantur, talem facere possumus diuisionem. Domus constituitur, ex quattuor partibus, tribus videlicet essentialibus, vt societate dominica, coniugali, & paterna, vna quodãmodo accidentali, vt facultate acquirendi, hanc diuidere possumus ex sentẽtia philosophi hoc pacto: Facultas acquirendi sit genus, cuius species vna sit alimẽti & victus acquisitiua sine medio, vt agricultura, & similia, alia cũ medio, vt ipsa pecuniaria, cuius plures sunt species: Nã alia habet terminum acquirẽdi, & est accommodata rei domesticæ, & versatur circa res naturales, ex quibus sumit fructus, & nummos pro rei familiaris gubernatione: alia est species ipsius pecuniariæ quæ nummularia dicitur quęrens in infinitũ sibi nummos acquirere, & nõ est accommodata rei familiaris gubernationi. Nummularia rursus diuiditur in tres partes scilicet, in mercatoriam, in fœneratoriam, in mercenaria: mmercenaria iterum in nauigationem, deuectionem, & negotiationẽ. Sed inter illa duo primæ diuisionis, idest inter illam necessariam acquisitiuam accommodatam rei familiari, & nummulariam, cadere videtur vna mixta vel media scilicet metallica, vt patet legentibus textum.

Quoniam verò tres erant partes rei domesticæ, vna dominica, de qua suprà diximus, alia paterna, tertia coniugalis. Nam & vxori præest & filijs, tanquam liberis quidem ambobus: sed non eodem imperij modo: sed vxori quidem ciuiliter, filijs autem regie: masculus enim, quàm fœmina natura principalior est, nisi aliter præter naturam constiterit, quod & antiquius est & perfe-

Ctius

ctius iuniore & imperfecto. In ciuilibus autem principatibus plerunq; commutatur is qui praeest, & is qui subest: nam aequales esse volunt secundum naturam, nec quicquam differre: attamen cum hic quidem praeest, ille verò subest, requirit differentiam, & habitu, & sermonibus, & honoribus, vt Amasis inquit de pedum lotore: enimuero masculus ad fœminam semper ita se habet. Filiorum autem imperium est regium: quod enim genuit, quodque per amicitiam praeest & aetatem, idipsum est idem quod species quaedam regij imperij: ideo bene Homerus de Ioue inquit: Hominum pater atque deorum, sic appellans omnium regem. Natura enim excellere regem oportet: genere autem esse eundem: quod accidit seniori ad iuniorem, & parenti ad natum.

Hic est tertius tractatus huius primi libri: in quo postea quàm determinauit de prima societate, quæ est inter dominum & seruum, & de acquirédi facultate: nunc tractat de duabus societatibus domus, quæ restabant ex tribus propositis societatibus, videlicet de societate viri & vxoris: patris & filij. Diuiditur autem hic tractatus in duo capitula: in primo tractat breuiter de duabus istis societatibus: in secundo monet quasdam quæstiones circa istas societates, considerando quomodo se habent ad virtutes morales.

Primum capitulum diuiditur in duas partes, quę suis locis patebunt. In prima talem sententiam afferre videtur: Cum tres sint societates ex quibus constituitur domus, de prima iam diximus, quæ differt ab his duabus, vt patet ex diuersitate terminorum. Nam vt differt seruus à libero, ita societas illa ab istis. Præterea alius est terminus paternæ societatis, alius vel alij termini coniugales. Quare & istę duę societates distinguũtur etiam specie: Paterna autem videtur similis regiæ societati coniugalis ciuili. Quare si illæ, scilicet ciuilis & regia, distinguuntur specie, similiter & istæ. considerandum, vt dicit philosophus, quòd idem homo, qui est & vir & pater, præest vxori, & filijs, non vt seruis, sed liberis. In quo differunt hæ duæ societates à societate domini & serui. Deinde intelligendum, quod etiam differunt istę

duæ

duæ inter se secundum præsidentiã, quia vir præest vxori ciuiliter, vt quidã magistratus in republica præsunt secundum leges: Verum pater præest filijs regali quadam præsidentia, & ita constare videtur ordine naturæ, vt principalius dominetur. At mas est principalior naturaliter, quam fœmina, nisi aliter accidat, præter intentionem naturæ; quod euenit raro, & similiter pater est principalior filio, & antiquus iuniore, & perfectius imperfecto. Dictum est autem coniugale imperium esse simile ciuili, verum non omnino conuenit, quia mas naturaliter præest vxori, & non fit vicissitudo dominandi, nisi accidat. At ciues modo alijs ciuibus præsunt, modo alijs obtemperant, ob vicissitudinem magistratuum. Aequales enim esse volunt secundum naturam. At masculus, quàm fęmina principalior est secundum naturã, nisi aliter eueniat vt supra diximus. Simile est tamen in eo, quia vir præsidet ciuili quadam præsidentia, non dominica, nec regia. *Principalior*, idest natura aptus ad imperandum, accidit tamen interdum, vt vxor sit pręstabilior viro. *Sermonibus*, idest appellationibus. *Vt Amasis*, scilicet poeta inquit de pedum lotore, cui si circumponerentur huiusmodi insignia, & honores non videretur differre ab eo, qui est in magistratu. *Semper ita se habet*, quia non fit vicissitudo. *Quadam* non vult esse in textu. *Eundem* non alienigenam. *Figuris*, quo ad habitum exteriorem & insignia.

Manifestum ergo est, quòd plus studij domesticæ disciplinæ est circa homines, quam circa possessionem inanimatorum: & circa eorum virtutes, quàm circa virtutes possessionis, quas diuitias appellamus: & circa liberos magis, quàm circa seruos.

Hæc est secunda pars capituli, in qua refert sententiã ex supradictis, quam appellant corollarium, idest quòd rei familiaris disciplina magis intendere debet circa curam hominum, quàm circa possessiones, & huiusmodi, & magis circa curam liberorum, quàm seruorum, vt patet in textu.

Primum igitur de seruis, dubitauerit vtique quispiam, vtrum præ-

præter ministeria & corporalia opera sit aliqua uirtus serui excellentior, puta modestia & fortitudo & iustitia, & alij huiusmodi habitus: an non sit ulla præter corporalia ministeria. Ambiguitatem sanè id vtraque ex parte habet: nam siue sit aliqua, excellentiores erunt serui, quàm liberi: siue non est aliqua (cum homines sint rationis particeps) absurdum videbitur. Eadem ferè est quæstio de muliere & puero: vtrum & horum sint virtutes: & oporteat mulierem esse modestam & fortem & iustam. &, an puer sit intemperans & modestus, an non. Et uniuersaliter illud quærendum est de imperante natura, & parente, utrum eadem uirtus an alia. Si enim oportet utrosque participes esse probitatis, cur tandem alter imperare debet, alter parere penitus? Non.n.secundum magis & minus possunt differre: nã imperare & parere specie differunt, & non secundũ magis & minus. Sin verò alium oportet, aliũ non, admirabile est. nã si imperans non erit temperatus & iustus, quomodo bene imperabit? sin uero is cui imperabitur, quomodo bene parebit? Intemperatus .n. & timidus, nihil faciet, vt oportet.

Hoc est secundum capitulum huius tertij tractatus, in quo philosophus posteaquam determinauit breuiter de alijs duabus societatibus domus, quæ sunt inter virũ & vxorem, & inter patrem & filium, nunc mouet quasdã dubitationes, & soluit circa virtutes, quę cõueniunt terminis talium societatum. Diuiditur autem hoc capitulum in quattuor partes, quæ suis locis patebunt. In prima igitur philosophus affert dubitationẽ de virtutibus pertinentibus ad tres illas societates. Et primo circa societatem domini & serui dubitatur, vtrum præter virtutem ministratiuam pertinentem ad corporalia ministeria, sit aliqua virtus moralis competens seruo: vt temperantia, fortitudo, & huiusmodi. Antea enim dicebatur, quod seruus est natura seruus. Quòd si ei tribuitur virtus, vt libero, tunc nihil intererit inter seruum, & dominum. Sed hoc absurdum, ergo & antecedens: contra, cum seruus sit homo rationis particeps, attribuenda est ei virtus. nam homo, vt homo, est aptus ad consequendã felicitatem per virtutes, vt in ethicis ostendit philosophus. Quare virtus nunc seruo tribuenda videtur: nunc

F non

non videtur. Merito dubitatur ex vtraq; parte. Item de viro & vxore oritur dubitatio. Nam ex vna parte non videtur mulieri tribuenda virtus sicut viro, cũ sit imperfectior, ex altera parte cũ sit homo, & libera, videtur congruere ei virtus & etiam vt consistat talis societas. Item de patre & filijs eodem modo oritur quæstio, & vniuersaliter dubitatur, vtrum sit eadem virtus imperantis, ac parentis vel non. *Nam siue sit aliqua,* idest si sit aliqua virtus serui, in quo differret à liberis *Imperare debet* .s. continue, sine vicissitudine. *Non secundum magis & minus*: quia magis & minus .i. intensio vel remissio virtutis non facit differre specie. Sed imperare & parere differunt specie, ergo requiritur aliud quã habere plus, uel minus de virtute. Sin verò dicatur, quod aliũ oportet habere virtutẽ, aliũ non habere: quomodo imperans si nõ habeat virtutẽ, bene imperabit, vel obtemperans, si nõ habeat quomodo bene obediet? merito igitur dubitãdum videtur.

Constat igitur oportere vtrosq; habere virtutem, sed in ipsa virtute esse differentiam: quemadmodum in ijs quæ natura obediunt, id apertè in animo inspicitur: est .n. in animo quod natura imperat, & quòd paret: quorũ diuersam censemus esse virtutem, vt rationem habentis & irrationalis. patet igitur eodem modo se habere in alijs. Quare pleraque sunt natura imperantia & parentia. alio enim modo liber præest seruo, & masculus præest fæminæ, & vir puero: & omnibus insunt partes animæ, verum differenter insunt, seruus enim omnino non habet deliberandi arbitrium: mulièr verò habet quidem, sed inualidum: puer autem habet, sed imperfectum. Eodem igitur modo se habere necesse est circa morales virtutes. Putandum autem est omnes participes esse oportere, sed nõ eodẽ modo, sed quantũ cuiq; opus est. Ex quo fit, vt is qui imperat, perfectam virtutem habere debeat moralem (nam eius opus est illius qui simpliciter præcipit ac præsidet: ratio autem præcipit atq; præsidet) aliorũ verò vnusquisq;, quantum sibi competit. Quare patet virtutẽ moralem esse omnium supradictorum. Nec eadem temperantia mulieris & viri, neq; fortitudo neq; iustitia, vt Socrates putabat: sed hæc quidem iubens fortitudo, illa verò obediens: eodem modo & in alijs. Patet autem id magis particulariter

lariter considerantibus: nam qui vniuersaliter dicunt, quòd animam bene se habere, virtus est, aut rectè agere, aut aliquid tale, seipsos decipiunt. multo .n. melius dicunt, qui enumerant virtutes, quemadmodum Gorgias, quàm qui ita definiunt. quapropter oportet, sicut Poeta de muliere dixit, ita censere in omnibus: Mulieri decus affert taciturnitas, sed non idem viro. cum verò puer sit imperfectus, patet quòd virtus huius non ipsi ad seipsum est, sed ad perfectum & ducem: similiter & serui ad dominum. Posuimus autem seruum ad necessaria esse vtilem. quapropter patet ipsum virtute indigere parua, & tanta, vt neq; propter intemperantiam, neque propter timiditatem in operibus deficiat.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus perpulchre soluit propositam quæstionem. Nã ijs omnibus tribuenda est virtus: sed tamen diuerso modo. Vt.n. imperare & parere differunt specie, sic etiam imperantis & parentis virtutes differentes specie esse debent. Est.n.imperans, vt architectus: obedientes vero, vt operarij: quorum sunt diuersa officia diuersęq; vitutes. Hoc probatur in nobis & ex viribus animæ nostræ, in quibus secundum naturam ratio dominatur: appetitus sensitiuus obtemperat, & sicut harum potentiarum sunt diuersæ virtutes: Nam rationalis sunt virtutes intellectiuæ: irrationalis vero sunt virtutes morales differentes specie, vt latissime docet philosophus in libris ethicorum: sic in hominibus euenit, quod virtutes imperantium, & virtutes parentium sunt diuersæ specie. Nam alia virtus tribuitur appetitui sensitiuo, vt temperantia: fortitudo: alia rationi, vt prudentia. Eodẽ pacto alia virtus hero, alia seruo. Item alia patri, alia filio. Et viro similiter & vxori alia, atq; alia, & omnino imperanti atq; parenti tribuenda est virtus diuerso modo, & perfectius vni quàm alij. Nec solum hæc diuersitas sumenda est, vt dictum fuit, de partibus animæ, quarum alijs competunt virtutes intellectiuæ, alijs morales, sed etiam circa virtutes morales diuerso modo tribuenda est modestia mulieri, & viro fortitudo, similiter & iustitia contra opinionẽ Socratis, qui tribuebat istis morales virtutes eo-

dem modo,& sine differentia vlla. Nos autem dicimus quod diuerso modo tribuendę sunt,vt imperanti fortitudo iubens: parenti obediens est tribuenda. & affert Gorgię sententiam. Tum etiam dictum Sophoclis Poetæ,videlicet quod taciturnitas affert decus mulieri,non item viro. Debet igitur esse virtus serui accommodata ei, & respiciés imperium domini, idest virtus obediens. Sic dicendum est de alijs societatibus,seruatis gradibus vnius cuiusq;, vt late patet in textu philosophi. Notandum quod imperantis & parentis, vt quidam expositores volunt,possunt esse eædem virtutes speculatiuæ,veluti eandem geometriã,specie habere potest imperans, & obediens,sed non eandem prudentiam,quæ est actiua virtus, nec easdem virtutes morales. Itē dicunt easdem esse virtutes imperantis & parentis,vt sunt homines. Verum non cum hac reduplicatione imperantis, vt imperantis, & parentis, vt parentis. *In ipsa virtute esse differentiam*, idest virtutes esse differentes, vt sunt differentes termini societatum. *Cuiq; opus*, scilicet ad suum munus exercendum. *Præcipientis* melius architecti,vbi dicit ratio. *Præcipit*, videlicet ratio architecti,vt in sexto ethicorum ostendit philosophus. *Nam qui vniuersaliter dicunt quod bene se habere*, falluntur,quia loquuntur vniuersaliter de bene agere: sed tamen non eodem modo se habet in hoc seruus & dominus. Est enim facienda distinctio, vt Gorgias faciebat. Nam sermo vniuersalis,vt ille inquit insufficiés est, cum actus humani sint particulares, ideo particulariter loqui oportet, vt etiam in ethicis ostendit philosophus. Notandum primo,vt dicunt quidam expositores, quod viro competit perfectior virtus respectu subiectorum, siue sit seruus, siue mulier, siue puer, qui ab eo regitur. Item seruus,vt seruus non dicitur habere consilium, ex eo, quia consultamus de ijs, quæ à nobis agi possunt,vt in tertio ethicorum ostendit philosophus. Seruus autem agit ea, quæ à domino sibi præscribuntur. Ergo in actibus & consilijs suis reseruatur ad dominum. Competit enim habere tantum virtu-

tis,

tis', atque consilij, vt sufficiat ad obedientiam necessariam. Fœmina vero habet consilium, sed inualidum. Puer autem imperfectum, quia non habet perfectum vsum rationis.

Dubitabit verò aliquis (si verum est quod nunc diximus) vtrũ artifices oporteat habere virtutem. Nam sæpe propter intemperantiam deficiunt in operibus. An hoc longè differt? nam seruus quidem adhæret nobis communione vitæ: ille autem remotior est: & tantum sibi competit virtutis, quantum seruitutis. vilis enim artifex determinatam habet quandam seruitutem. Et seruus est secundum naturam: sed nemo sutor neque alius opifex.

Hęc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus postquam ostendit virtutem accommodatam cuiq; termino societatis, dubitationem mouet orientem ex supradictis, & eam soluit. Dubitatur, quia si seruo accommodatur virtus morum, vt ministro vitæ nostræ: Eodem modo tribuenda videbitur cuiq; artificum, cum subministrent indigentiæ vitæ nostræ. Ex quo sequitur, quod quisque sordidus artifex debet esse studiosus, puta iustus, temperatus, & huiusmodi, ne propter intemperantiam deficiat in operibus suis, vel ob aliquem defectum virtutis. Respondet philosophus, quod multum differt. Nam licet seruo sit accommodata virtus, tamen non sequitur, vt ipse artifex necessario debeat esse studiosus, quia seruus est constitutus in societate vitæ humanæ, & versatur circa dominum, & pendet ex nutu illius. Artifex vero non est ita coniunctus gubernatori rei familiaris, vt ille. Ideo oportet, vt seruus sit accommodatus domino per singulas virtutes, quæ reddunt eum aptum ad bene recteq; parendum. Ille autem est remotior de tali conuersatione. Præterea seruus est natura seruus vt dictum fuit, artifex vero non est de natura talis. Multum igitur interest inter seruum & artificẽ, ideo non requiritur necessario virtus artifici, sicut seruo. *Nisi quantum seruitutis habet,* idest cum sit aliqua ex parte seruus. s. electione: propterea aliqua ex parte sibi competit virtutis tantum, quantũ exhibet de seruitute & artificio suo ad

vitam humanam. *Vel hoc longe differt,* hic soluit philosophus. *Vilis,* idest sordidus. Notandum quod solutio consistit in hoc, ut quidam expositores dicunt, quod artifices in eo quod artifices non indigent simpliciter uirtutibus moralibus, sed in quantum artificium respicit conuersationem humanam, & communicant cum hominibus in contractibus, indigent uirtute morali. Non est igitur simile de seruis & artificibus quãtum ad indigentiam uirtutum moralium. Nam operationes serui, ut seruus est, consistunt in actibus humanis & in conuersatione humana. Est enim seruus minister ad uitam: cum igitur uirtutes morales perficiant hominem in conuersatione humana, oportet seruum eas habere. Verum artifex remotior est, & operationes artificis, ut artifex est, non sunt immediate ad uitam, nec circa agibilia: Sed proprie circa factibilia. Quare artifex, ut artifex, non dicitur bonus, uel malus secundum uirtutem moralem, uel uitium, sed oportet, quod tantum participet de uirtute, quantum artificium respicit conuersationem humanam, & bonam fidem in operibus faciendis, ut in sexto ethicorum tetigit philosophus. Notandum quod bonum ad hoc propositum bifariam dicitur, uno modo bonum moris: alio modo bonum, ut pertinet ad aliquam artem. Primo modo dicitur bonus, idest bonis moribus institutus, & studiosus: Secundo modo bonus sutor, uel pictor. Itaque non ualet, ut in libro perihermenias inquit philosophus, iste est bonus musicus, ergo est bonus. Quare bonitas serui intelligitur de bonitate accommodata moribus, in quantum est obtemperatiua, propterea dicitur simpliciter bonus seruus, de sutore non dicimus, quod sit bonus simpliciter: sed cum additione, idest bonus sutor. Notandum quod artes suscipiunt latitudinem, & habent gradus, & alia est nobilior alia. Bonum igitur moris, & si non competit simpliciter artifici, ut artifex est, tamen competit ei, ut homo est, & artifici competit secundum quid, ac magis uni artifici, quam alij, quanto alius alio magis prodest societati

tati humanæ, & utilior eſt ad uitam.

Patet ergo quòd huiuſmodi quidem virtutis cauſam eſſe oporteat dominum ſeruo, non eum qui doctrinam habet in operibus dominicam. quapropter non bene dicunt, qui ſeruos ſpoliant ratione, dicentes, præcepto vti duntaxat: admonendi ſunt enim magis ſerui, quam pueri. Et de his in hunc modum determinatum ſit. De viri autem & mulieris, filiorumq; & patris virtute, & conuerſatione inuicem, quid rectè vel contrà, & quomodo oportet hoc quidem facere, ab illo autem abſtinere, in ijs qui de republica, neceſſe eſt intueri. Nam cum omnis domus ſit ciuitatis pars, iſta autem pars domus, partis autem uirtus ad totum reſpicere debeat: neceſſarium eſt reſpicientes ad rempublicam filios uxoresque inſtruere, ſi quid refert ad rectam inſtitutionem reipublicæ, pueros & mulieres eſſe bene inſtitutas. enimuerò referat neceſſarium eſt. nam mulieres media pars ſunt liberorum, ex pueris autem ſumuntur qui rempublicam gubernant. At uerò cum de his determinatum ſit: de reliquis autem in alijs ſit dicendum, omiſſis ijs quæ nunc agitantur, tanquam finem habentibus, alio aſſumpto principio diſſeramus, & primum conſideremus quæ tradita ſunt de optimo ciuitatis ſtatu.

Hæc eſt quarta & ultima pars huius capituli, uel corollarium, vt quidam dicunt, ex ſupradictis illatum, vbi philoſophus poſteaquam declarauit, cuiq; termino ſocietatum virtutem competere. Nunc oſtendit de quibus profluunt tales virtutes. Et primum vnde competit virtus morum accommodata ſeruo, & dicit, quod inſtitutio domini eſt cauſa, vt ſeruus imbuatur virtutibus. Nam vt ciues debent fieri ſtudioſi per legis latorem: ſic ſeruus per inſtitutionem domini, qui eſt ſibi tanquam legis lator, & vt artificis eſt parare inſtrumentum ſibi aptum, ſic domini erit parare ſeruum aptum ad exequēda præcepta, quaſi ſibi accommodatum inſtrumētum. Eſt enim ſeruus domini ſeruus, & veluti animatum inſtrumētum, vt dictum eſt antea, quare virtus ſerui proficiſci debet ab inſtitutione domini, & non ab eo, qui docet, artē ſeruilem in ſordidis miniſterijs, veluti in epulis faciendis huiuſmodi operibus ſeruilibus. Nam dominus non ſolum ſeruo præcipere debet, vt dicunt quidam ſpoliantes

seruos ratione, quasi sint beluæ: Sed etiam monere & instituere, ut sit temperatus, & bonis moribus institutus & addit, quod magis sunt monendi serui, quam liberi, & hoc dicit philosophus non simpliciter, sed propter ætatem puerilem, in qua pueri non sunt capaces admonitionis. Præterea & si liberi sint termini vnius societatis: tamen non sunt ministri vitę sicut serui, ut admonendi sint ad munera seruilia exercenda. Debent .n. habere uirtutes, quibus postea vtantur ad imperandũ, serui uero ad obtemperandum. *Qui habet doctrinam dominicam*, idest talem doctrinam, ut possit dare præcepta seruilia. *De uiri autem & mulieris*. Nunc declarat secundo loco unde proficisci debent uirtutes conuenientes uxori & filijs, & primum ostẽdit à qua causa proficiscuntur, & ad quem pertinent. Deinde differt hanc consideratio nem in alium locum, puta in septimum. Nam cũ domus sit pars ciuitatis, & istæ societates sint partes domus, oportet considerare uirtutes partium per uirtutem totius. inde est, quod à ciuili institutione istæ dependent tanquam partes à suo toto, & totum uicissim à partibus. Quare uidendum est de optima re p. tanquam de optimo toto, ut perfectam habeamus disciplinam uiuendi in ciuitate, & per consequens in partibus eius circa bonos mores, atq; uirtutes, quia magnopere pertinet ad ciuitatem regendã studiosos esse liberos & mulieres, cum sint partes eius, & ex liberis sumãtur, qui eã gubernant: Qualis igitur erit respublica, tales erunt liberi, & contra quales liberi, qui eam postea gubernaturi sunt, talis deinde erit respublica, ut in fine decimi ethicorum inquit philosophus. Vt autem bene percipiamus optimam ciuilitatem afferendi sunt modi nonnullarum ciuitatum: qui partim scriptis traduntur, partim re ipsa fiunt, ut uideamus quæ bonæ, & quæ non bonæ, & quæ partim bonæ, partim non bonæ esse uidentur, & sic magno ordine procedit philosophus transitionem faciens ad secundum librum, in quo aggredietur doctrinam rei ciuilis, ut deinceps patebit.

DONATI ACCIAIOLI FLORENTINI

IN II. POLITICORVM ARISTOTELIS,

Explanatio.

*Q*VONIAM *propoſuimus conſiderationem facere de ciuili ſocietate, quæ ſit optima omnium, ijs qui poſſunt viuere maximè ad votum: oportet quoq; alias cõſiderare reſpub. quibus utuntur ciuitates aliquæ earum, quæ bene legibus inſtitutæ videntur: & ſi aliquæ ſint aliæ ab aliquibus ſcriptæ, quæ bene ſe habere videantur, vt recta inſtitutio vtilitasque appareat. Nec putetur eſſe ad oſtentationem, et ſuperfluitatem, quærere quippiam aliud præter illas: verum quia illæ non bene ſeſe habẽt, ideo hunc diſciplinæ laborem à nobis eſſe ſuſceptum.*

HIc eſt Secundus liber Politicorum, in quo philoſophus, poſteaquam declarauit partes conſtituentes ipſam domum, quæ ſunt quaſi elementa quædam ciuitatis, & facultatem ipſam acquirendi, quæ dicitur miniſtra rei familiaris: nunc aggreditur doctrinam ciuilem ſecũdum eum modum, quem tetigit in decimo Ethicorum, & in fine huius primi libri, remouẽdo prius illas reſpublicas, vel exiſtentes, vel ſcriptas, quæ putabantur eſſe bene inſtitutæ, & ſibi non probantur, vt ſuam deinde ſententiam inferat. Diuiditur autẽ hic liber in duos tractatus: in primo redarguit ſcriptas reſpublicas: in ſecundo reſpublicas extantes, quæ ſua tempeſtate recte gubernari videbantur.

Primus tractatus diuiditur in quinque capitula, & in

tribus redarguit ipsum Platonem, id est in primo refellit sententiam Platonis in eo, quod dixit, vxores & liberos communes esse debere: in secundo refellit eundem in eo, quod dixit possessiones debere esse communes: in tertio aggreditur eundem Platonem introducẽtem Socratem, quantum ad legum constitutiones: in quarto arguit contra Phaleam Carthaginensem: in quinto arguit contra Hippodamum. Primum capitulum diuiditur in sex partes, quæ suis locis patebunt: in prima igitur parte philosophus proponit suam voluntatem, & rationem illius: Nam cum sit propositum inquit, nobis tractare de ciuili societate, operæ pretium est considerare alias respublicas, vt posthabitis his, quæ sibi non probantur, restet ea, quæ sua sententia existimabatur optima.

Incipiendum autem est ab eo, quod est secundum naturam, huius confœderationis principium. Necessarium est quidem, aut omnia esse communia inter ciues omnes, aut nulla, aut quædam, & quædam non. Enimuero nulla esse communia, impossibile constat esse, cum ciuitas sit communio quædam. Ac primo necesse est locum esse communem; nam locus æqualitas est vnius ciuitatis, ciues autem socij vnius ciuitatis. Sed vtrum melius fuerit in bene instituenda republica, quæcunque recipere communionem possunt, ea omnia esse communia: an quædam communia esse, quædam non esse, melius? nam fieri posset, vt filij & vxores, & res quæ possidentur communes essent ciuibus inuicem, quemadmodum in Platonis repub. ibi enim Socrates inquit, oportere communes esse filios, & mulieres, & facultates: id verò vtrum præstat ita fieri, vt nunc fit, an secundum legem illam in repub. scriptam? Continet porrò & alias difficultates permultas, ista mulierum omnibus communio. Et id propter quod censuit hanc legem esse ferendam, non videtur consequi ex rationibus. Præterea ad finem, quem inquit oportere ciuitati existere (vt nunc quidem dictum est) impossibile. Quomodo autem distinguere oportet, nihil ab eo determinatum est: dico autem, vt quòd vna videlicet sit ciuitas tota, tanquã id sit maximè optimum; suscipit enim hanc suppositionem Socrates.

Hæc est secunda pars, in qua affert per modum dubitationis diuisionem quandam, cui accommodare videtur

tur

tur ſententiam Platonis Socratici,vt deinde eam refellat. Dicit igitur faciendo conſiderationem aptiſſimam ſecundum naturam ciuitatis, quæ eſt communitas quædam,quod neceſſe eſt, aut omnia eſſe inter ciues communia,aut nulla,aut quædam communia,quædam nõ communia. Et ſtatim videtur exterminare illud membrum, quo dicitur,nulla debere eſſe communia,quia nõ poteſt eſſe ſocietas, quin ibi ſit communicatio quædam: quare relinquuntur illa duo membra, ſcilicet vtrum oporteat omnia debere eſſe communia,vt putauit Plato, aut quędam communia,quædam non communia,vt hodie videmus in ciuitatibus fieri,quæ extant. *Turbationes*.i.difficultates.*Non videtur cõſequi*,ſ.vt ciuitas ſit vna & optima. *Finem quem inquit oportere adeſſe ciuitati*, ſ. vt ipſa ſit vna. *Tranſigere* diſtinguere. *Suſpicionem*, ideſt ſuppoſitionem. Supponebat enim tanquam principium, quod optimum eſt ciuitati,vt ipſa ſit vna. Deinde oſtendebat, quod ciuitas maximam habet vnitatem per communia, nam ſicut res per propria diſtinguuntur inuicem,ſic per cõmunia coniunguntur, & fiunt vna.

Atqui conſtat,quòd ea ſi procedat,atque vna ſit magis,ciuitas non erit: eſt enim ciuitas multitudo quædam ſecundum naturam, quæ dum ſit vna magis,domus erit ex ciuitate, & homo ex domo: vnam enim magis domum cenſemus eſſe quàm ciuitatem, & hominem vnum quàm domum. Quare etiam ſi quiſpiam poſſet hoc facere,tamen non eſſet faciundum, quia perimit ciuitatem.

Hæc eſt tertia pars,in qua refellit ſuppoſitionem Platonis dicentis optimum eſſe ciuitati vnitatem,atque ob eam cauſam oportere omnia eſſe communia. Hoc fundamentum deſtruit philoſophus tali ratione: id quod deſtruit ciuitatem,non eſt optimum ciuitati,maior eſt nota,minor probatur quatuor rationibus. Prima,id,quod ad vnam domum, vel vnum hominem redigit ciuitaté, deſtruit eam: ſed maxima vnitas eſt huiuſmodi,ergo maxima vnitas deſtruit eam: maior patet,quia id,quod reſoluit compoſitum in ſuas partes,deſtruit illud: ciuitas autem eſt compoſita ex domibus, & ex partibus conſtituen-

tuentibus domum: minor probatur, quia ciuitas est multitudo, quæ si redigitur magis, atque magis ad vnitatem, redigetur ad vnam domum, quæ est magis vna, quàm ciuitas, deinde ad vnum hominem, vbi erit maxima vnitas: sed talis vnitas vnius hominis destruit ciuitatem. Nam si redigeretur ad vnum hominem, iam nõ esset amplius ciuitas. Sic igitur maxima vnitas, quæ excludit multitudinem destruit ciuitatem.

Nec solum ex multitudine hominum cõstat ciuitas, verumetiam ex eorum multitudine, qui specie differunt: non fit enim ciuitas ex similibus, aliud enim ad bellum confœderatio, quàm ciuitas: illa enim quantitate prodest, etsi eadem sit specie, cum auxilij gratia suapte natura fieri nata sit huiusce confœderatio, ceu si pondus amplius trahat. Differt autem, & eo modo ciuitas à gente, quando per pagos diuisa non sit multitudo, sed quemadmodum Arcades. Ex quibus autem unum fieri oportet, specie differunt, quapropter æquale repensum ciuitatem conseruat, ut in Ethicis dictum est prius.

Secunda ratio, id quod destruit multitudinem hominum differentium specie, vel conditione, destruit ciuitatem, sed maxima vnitas est huiusmodi, ergo maxima vnitas destruit ciuitatem. nam potuisset dicere Plato, non tam curandum est de vnitate, quæ excludit multitudinẽ hominum, quàm de vnitate, quæ excludit multitudinem hominum differentium specie, vel conditione. Et ideo subiungit, quod ciuitas constat ex pluribus dissimilibus, nec est, vt confęderata quędam multitudo, idest societas in bello gerendo, vbi est multitudo eiusdem speciei, & conditionis sibi inuicem auxilium præstans, quasi pondus trahens, nec vt multitudo in diuersis locis singulatim habitans, vt Arcades populi, sed est, vt vnum, scilicet perfectum cõstans ex partibus dissimilium partium, vnde in rebus naturalibus reperitur perfectum, illud, quod constat ex partibus dissimilibus. Sic etiam ciuitas est quoddam perfectum constans ex omnibus differentibus specie, non quia non sint eiusdem speciei, id est animalia rationalia, sed quo ad diuersas conditiones, & officia.

ficia. quare bene dictum est in quinto moralium contra passum conseruare ciuitatē. Tollit igitur multitudinem talis vnitas, multitudinem inquam etiā ex dissimilibus cōstantem, vt est ciuitas, quia communia esse omnia adducit similitudinem, & tollit dissimilitudinem. *Fœderatio,* id est societas in bello gerendo, vbi est multitudo ex similibus congregata, id est ex cunctis militātibus, quasi pondus trahens. *Quapropter,* quia constat ciuitas ex dissimilibus.

Quoniam inter liberos, & æquales necessarium est hoc esse: nam omnes simul magistratum gerere, impossibile est: sed aut per annum aut per aliam præfinitionem, & tempus. atque isto modo fit, vt omnes gerant magistratum, ceu si mutarentur sutores, & fabri, nec semper ijdem fabri, & sutores essent, cum vero melius esset ita se habere ea quæ sunt circa societatem ciuilem, manifestum est melius esse si ijdem semper magistratum gererent, modò id fieri posset. Sed in quibus nequit hoc fieri, propterea quod omnes natura sunt æquales: simul est etiam iustum (siue bonum, siue prauum est gerere magistratum) vt omnes huiusmodi muneris participes fiant, & in eo imitentur vicissim æquales, cedendo inuicem alios alijs, vtpote qui ex principio sint æquales. nam alij regunt, alij reguntur in parte, tanquàm si ipsi alij fiant. eodem modo illorum qui regunt, alij alios gerunt magistratus. Patet igitur ex his, quòd non recipitur sic aptam esse vnam ciuitatem, ceu dicunt quidam: & quod maximum esse commodum ciuitatibus dicebatur, id interimit ciuitates. atqui singulorum bonum, singula conseruat.

Tertia ratio, id quod tollit vicissitudinem parendi & imperandi, destruit ciuitates: sed maxima vnitas se habens eodē modo, est huiusmodi, ergo maxima vnitas destruit ciuitatem, & tollit dissimilitudinem, & partes dissimile ex quibus constituitur ciuitas. *Non recipitur,* id est non est accommodatum ciuitati. *Singulorum bonorum singula conseruat,* non destruit singula, quasi dicat: si esse maxime vnum, esset bonum ciuitatis, non destrueret illam, nunc autem destruit, vt ostensum est, ergo non est bonum ciuitatis.

Patet

Patet etiam alio modo, quòd quærere nimium vnire ciuitatem, non est melius. Domus enim magis sufficiens est, quàm vnus homo: ciuitas autem quàm domus, et vult ea quidem iam esse ciuitas, cum habet sufficientiam multorum societas. Si igitur magis expetendum est, quod magis sufficientiam habet, certè minus vnum eo quod est magis expetibilius est.

Quarta ratio sumitur ex fine ciuitatis, idest ex sufficientia vitæ hoc pacto: id quod destruit maximam sufficientiam, destruit ciuitatem: sed maxima vnitas & redigere ciuitatem maxime ad vnum, est huiusmodi, ergo destruit ciuitatem. patet ratio ista, quia maiorem sufficientiam habet domus, quàm vnus homo, & pagus, quã domus, & ciuitas, quàm pagus. ex quo sequitur, quòd minus expetendum erit, quod est magis vnum, & magis expetendum erit, quod est minus vnum, & progreditur ad plura, vbi est maior sufficientia vitæ.

Enimuero nec si optimum sit, unam quàm maximè esse ciuitatem, non tamen id demonstrari videtur ex sermone, si omnes simul dicant meum & non meum. hoc enim Socrates putat esse signum ciuitatis perfectè unitæ: At enim verbum, omnes, duplex est. Si igitur tanquàm singuli, forsan esset magis quod efficere uult Socrates. singuli enim eundem filium suum esse dicerent, & mulierem eandem: & de substantia, & facultatibus quibusuis eodem modo: nunc autem non ita dicunt, qui communibus utuntur mulieribus & filijs: sed omnes quidem, at non, vt singuli ipsorum: eodem modo de facultatibus, omnes quidem, sed non ut singuli eorum. Quòd igitur aberratio quædam sit in uerbo, omnes, manifestum est, nam & uocabulum, omnes, & vtraque, & imparia, & paria dicunt, propter duplicitatem: & in sermonibus posita litigiosos faciunt syllogismos: quare hoc ipsum omnes dicere uno quidem modo bonum est, sed nequaquam possibile: alio autem modo nihil consentaneum.

Hæc est quarta pars huius capituli, in qua philosophus destruit motiuum Platonis, propter quod redigebat ciuitatem ad vnum. Dicebat enim Plato, si ciuitas redigatur ad vnitatem, per hoc, quod omnia sint cõmunia, tollentur contentiones, & lites inter ciues: quia omnes

omnes possent dicere, hoc est meum, & non reperietur contrarium dicens,non est tuum, cum sit res communis. Aristoteles igitur tollit hanc rationem, ostendendo, quod iste terminus, omnis, sumi potest duobus modis: aut distributiue, aut collectiue. Si distributiue, videlicet,vt omnes, idest vnusquisque diceret hoc est meum, tunc forsitan procederet intentio Platonis: sed est impossibile de re communi dicere, hoc est meum, si collectiue, tunc omnes dicent, hoc est nostrum non meum: Quia de re propria verum est dicere, hoc est meum, de communi,hoc est nostrum, & isto modo loquendi vtuntur habentes possessiones communes. & dicit philosophus,quod tales termini etiam in disputationibus pariunt summas controuersias, vt dicere vtraque paria, & imparia, vt si ponantur hinc tres vnitates, illinc tres aliæ,& dicatur, hæc vtraque sunt paria, hæc vtraque sunt imparia,verum dicetur diuersis respectibus. Nam si iste terminus vtraque accipiatur collectiue, idest tria, & tria simul iuncta,verum est dicere, quod hæc vtraque sunt paria: sin autẽ distributiue, verum est dicere, quod hæc vtraque sunt imparia,seorsum sumpta. Cõcluditur ergo,quod dicere omnes de eodem,quod sit suum, scilicet distributiue esset bonum, sed non est possibile, quia ex hoc,quod est proprium huius, non est commune alteri, collectiue autem si accipiatur, non est cõsentaneum, id est congruum,vel consonum,vt patet ex supradictis.

Habet præterea quod dicitur, nocumentum aliud: quod enim multorum commune est,in eo minimè adhibetur diligentia: nam de proprijs maximè curant homines: de communibus autem minus, quàm de eo quantum singulis competit, tanquàm enim alio curante,ab alijs negliguntur. quemadmodum in seruilibus ministerijs,famulantes multi interdum deterius inseruiunt, quàm pauci. Fiunt etiam vnicuique ciuium mille filij, & ipsi non vt singulorum, sed vt cuiusuis quiuis similiter est filius, quare omnes similiter negligent. Præterea hoc modo singuli ciuium,meus est dicent,de eo qui benè agit,aut malè (quotcunque contigerit numero) dicent hoc modo,videlicet, meus est, aut illius, de singulis ex mille,vel quotquot

ciuitas

ciuitas nacta sit, & hoc dubitantes: nam incertum est, cui contigerit genuisse filium, & saluum esse genitum.

Hęc est quinta pars huius capituli, in qua ostendit, nō prodesse ciuitati communes esse vxores, & liberos, vt ponebat Plato, & hanc sententiam refellit multis rationibus, ostendens, quę absurda sequerentur ex tali positione, & lege. Prima ratio est, quod illa lex & positio est perniciosa, qua negligitur cura liberorum: sed lex atq; positio Platonis est huiusmodi, ergo est perniciosa: nam Plato vult ex tali communione sequi bonum, & sequeretur oppositum, idest nocumentum ciuitati, quod minime adhiberetur diligentia circa vxores & liberos, quia de cōmunibus minus curanţ homines, quàm de proprijs, & minus curæ suscipiunt quam cuiq; competat, vt patet in textu. Præterea sequeretur hoc inconueniens, quod singuli de quolibet dubitantes dicerent suum filium, vel nepotem, vel alium quomodocunq; suum ex ciuibus esse bonum, aut malum, in quocunque numero sit, siue decimus, siue centesimus ex mille: nam cum in multitudine alij bene, alij male agāt, & sit incertum cuius quisq; sit, singuli possunt dicere, quod tam suus sit, qui bene agat, quàm qui male. Et similiter possunt dicere, vnumquenque vel suum esse, vel alterius seruatum, aut non seruatum in vita.

Atqui vtrum præstat sic dicere meum ita, vocantes unumquęq; duorum millium, & decem millium, an magis, ut nunc in ciuitatibus meum uocant, hic quidem filium suum, ille fratrem suum, ille nepotem, aut per aliam quandam coniunctionem ex consanguinitate, uel familiaritate, & affinitate illius primum, uel suorum, & præterea alium sodalem, alterum contribulem? præstat enim esse proprium nepotem, quàm illo modo filium.

Secunda ratio est talis. Illa lex seu positio est perniciosa rei p. quæ tollit gradus propinquitatis: Sed lex seu positio Platonis est huiusmodi, ergo est perniciosa. Nam ordine naturæ producuntur gradus propinquitatis, & consanguinitatis, constituuntur etiam coniunctionis gradus, vt sit maior inter homines societas propter

bonum

bonum ipsorum: at positione Platonis tollitur illud bonum,& sequitur magna confusio,quia non potest discerni filius,vel nepos, siue alius coniunctionis,vel societatis gradus.

Quinimmo nec vitari quidem potest, quin suspicentur à quibusdam fratres & filij, & patres & matres: nam per similitudinem natorum ad parentes,necessarium est,vt fidem de seinuicem recipiant: quod tradunt quidam, qui terræ ambitus describunt: esse enim aiunt,nonnullis superioris Libiæ populis mulieres communes, filios tamen partiri secundum similitudines. Sunt enim fœminæ, quædam etiam aliorum animalium,ceu equæ & boues, quarum ea natura est,vt simillimos genitoribus edant fœtus,vt equa illa apud Pharsaliam,nuncupata iusta.

Tertia ratio est,qua ostendit expositione Platonis nō sequi id, quod volebat Plato: volebat enim communes esse liberos: at nō pōt effugere quin agnoscant̄ aliqui filij: qui ore & liniamentis,& alijs similitudinibus parentes referunt. quare eueniet, vt non existimētur communes,sicut volebat Plato: sed eorum proprij, quorum similes esse apparent,vt in superiore Libia accidit.

Præterea huiusmodi molestias non facile erit vitari ab ijs, qui iam statuunt communitatem, puta plagas & neces, partim voluntarias, partim inuoluntarias,& rixas,et iurgia: quæ nefas est committere aduersus parentes et propinquos,magis quàm aduersus extraneos. Sed frequentius illa euenire necesse est,vbi ignorāt, quàm vbi sciunt: & ea si contingant,à scientibus expiationes debito modo fieri possunt, ab ignorantibus verò,ne vna quidem fieri potest.

Quarta est ratio,qua ostenditur,quod ex illa communitate Platonis facile sequi possunt vulnera,& cędes, & alia huiusmodi absurda inter consanguineos,& propinquos,& interdum inter filios & parentes, quæ euitarentur, si essent propriæ,vxores & filij, & non communes, vt volebat Plato.

Illud etiam absurdum,quòd qui filios communes fecerunt,coire solum amantes vetuerunt, amare verò non uetant, nec alios usus, quos esse patri ad filios, & fratri ad fratrem: omnium deformissimum est: cum & amare solum,aliquid absurdū sit,& non aliam

ob causam coitionem illorum vetuisse, nisi quia nimia voluptas sit inde prouentura; sed quòd pater sit aut filius, aut fratres, ob eam rem nihil putare referre.

Quinta est ratio, qua ostenditur illud absurdum, nam cum vidisset Plato, non modo, quam sceleſtum esset, sed etiam horrendum, coire patrem cum filia, vel filiũ cum matre, & hoc euenire facile posse, si liberi & uxores ponerentur communes, remedium adhibere voluit, & incidit in aliud inconueniens. Concessit enim inter eos, qui putari poterant sanguine esse coniuncti, amorem: vlterius vero progredi vetuit, scilicet simul coire tales se inuicem amantes. Hoc increpandum esse dicit philosophus, & reprehendendum, concedere amores patri & filijs, & fratribus inter se, quanuis etiam vlterius non progrediantur, cum tales amores solum sint turpissimi, & dicit hoc etiam esse absurdum prohibere tales coitus inter illos, quia sequeretur nimia voluptas, & non quia scelestissimum sit, committi talia inter consanguineos, & propinquos.

Videtur autem magis prodesse, vt agricolis communes sint mulieres & filij, quàm custodibus: minus enim erit amicitia si communes sint nati & mulieres: enimuero tales sint quibus imperatur, oportet, quo ipsi pareant imperio, nec res nouas in ciuitate moliantur.

Sexta ratio est, quia arguit contra eandẽ positionem Platonis, & ostendit, quod illa magis prodesset agricolis, & hominibus infimæ conditionis, quàm custodibus ciuitatis. Diuisit enim Plato suam rem p. in custodes & agricolas, vel operarios: & voluit, quod custodes pręessent agricolis. Nunc vero si vxores, & filij sint communes, hoc magis prodest agricolis, quàm custodibus, quia agricolę extollentur, & custodes deprimentur, habita ratione graduum vtriusque, & hoc sequetur, quod minor erit amicitia, & minor obseruantia agricolarũ erga custodes, quorum gubernationi obtemperare debent. Tolletur enim causa, qua seruatur amicitia inter eos, qui sunt inęquales, cuius quidem amicitiæ cõseruatio est, vt impe-

imperando & parendo tribuant sibiinuicem,quod suum est,proportione seruata,vt ostendit philosophus in nono Ethicorum. Quòd si minus amici erunt inter se, inobedientes euadere ipsi agricolę, & conspirare possunt contra custodes, quibus obsequi debent, quod est absurdum, ergo & illa lex, atque positio inutilis, vnde illud euenire posset.

Penitus autem contrarium eueniat necessarium est ob huiusmodi legem,quàm ea sint, quorum causa optimas leges esse oportet,& quàm id cuius gratia Socrates censerita instituendum de natis, & mulieribus. amicitiam etenim putamus maximum esse bonum ciuitatibus: nam sic minimè seditionibus agitabuntur. sed vnam esse ciuitatem laudat maximè Socrates: quod & videtur,et ipse ait esse amicitiæ opus: vt in amatorijs sermonibus scimus dicentem Aristophanem: propter eximiam amantium cupiditatem,applicari simul,& ex duobus fieri vnum. hic ergo necessarium est ambos corruptos esse, vel vnum. at in ciuitatibus necesse est amicitiam infirmam fluxamq; fieri propter huiusmodi communitatem,& minimè dicere meum,aut filium, patrem: aut patrem filium. vt enim parum dulcis multa in aqua diffusum, insensibilem facit mixturam: sic accidit eam inuicem familiaritatem,quæ ab huiusmodi nominibus prouenit curare,minimè esse necessarium in tali republica, vel patrem vt filij interest,vel filium ut interest patris,vel fratres inuicem. Duo enim sunt,quæ faciunt homines curam habere et amare: proprium scilicet, et affectio: quorum neutrum sit necesse est in huiusmodi republica.

Septima est ratio,contra eandem sententiam hoc pacto. Illa lex est inutilis rei p. quæ tollit amicitiā & concordiam ciuium,sed lex Platonis est huiusmodi,ergo est inutilis:patet ratio vel conclusio ista, quia legum latores maxime student concordiæ & amicitiæ ciuium, existimantes in ea consistere salutem ciuitatis. Plato quoq; idem velle videtur, & vnitatem ciuitatis maxime laudat. quin etiam in sympofio,vbi loquitur de amore,inducit Aristophanem dicentem,quod amor duos amatores ita cōpellit inuicem,vt ex duobus vellent fieri vnū: sed hoc fieri non pōt,dicit philosophus, sine corruptio-

ne amborum vel saltem alterius. Verum ex hac lege,& communione Platonis euenit oppositum eius,quod ipse met vult & contrarium eius,quod intendunt conditores legum.Tollitur enim vel saltem minuitur amor, & amicitia in ciuitate,quia amor quo ad plures se extendit,eo minor ac tenuior est. si ergo per illam cõmunionem de vxoribus,& liberis in multos diffunditur amor,erit valde remissus,vt probat philosophus idem in octauo physicorum: sic igitur patet quod talis lex erit inutilis,quia tollitur,vel saltem remittitur amicitia,quæ in ciuitate, & in omni genere vitæ est maxime expetẽda,vt Marcus Cicero asserit:De amicitia inquit,omnes ad vnum idem sentiunt,& ij,qui ad rem p. se contulerunt, & ij, qui rerum cognitione doctrinaq; delectantur, & ij, qui suum negotium gerunt ociosè: & paulo inferius: serpit enim per omnium vitam amicitia, nec vllam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui. *Vt enim parum mellis*, sic se habet sensus: sicut parũ mellis in multa aqua diffusum insensibilem facit dulcedinẽ,sic accidit inter patrem & filium,& fratres, quod illa coniunctio fit fluxa, & debilis. *Affectio*, idest amabile, sic enim se habet sensus. Nam affectio est in eo,qui afficitur, amabile vel affectabile est res ipsa cui afficitur, quod mouet vt obiectum: itaque de re propria,& amabili videtur loqui philosophus.

Insuper translatio illa natorum ex agricolis, & artificibus in custodes, & ex his in illos, magnam continet difficultatem, quemadmodum tandem fiet: & cognoscant necesse est dantes & trãsferentes,quibus quos dedant. Præterea superius etiam dicta magis in his necessarium euenire, puta rixas, & plagas, & amores, & cædes. nam non amplius appellant custodes fratres & filios, & patres & matres, qui alijs ciuibus deduntur: & rursus qui ex custodibus,alijs ciuibus, ut caueant tale aliquid perpetrare propter consanguinitatem: De communitate igitur natorum & mulierum, determinatum sit in hunc modum.

Hæc est sexta pars huius capituli, in qua redarguit eũdem Platonem in eo,quod iussit filios custodũ transferen-

ferendos esse ad agricolas, & artifices, & contra ab illis ad ipsos,vt per talem commutationem nemo cognosceret proprium filium,& sic existimarentur omnes esse cõmunes. Hoc redarguit philosophus ostendendo maximam sequi turbationem,nec vitari posse, quin agnoscantur ab illis saltem,qui tradẽt,& quibus tradentur: & sic non tolletur opinio de proprijs filijs, nec sequetur illa communio: ergo inanis erit constitutio illa. Præterea ob hanc translationem præcipue acciderent ea, quæ superius dixit vulnera,& cædes, & alia huiusmodi scelera inter consanguineos,quia si nõ educarentur apud suos, non eos ita diligerent,nec ita vererentur, nec ita cauerent à talibus delictis,sicut cauerent,si apud illos nutrirentur. sic igitur philosophus in hoc capitulo confutauit sententiam Platonis de communitate vxorum & liberorum,vt patet.

His consequens est de rebus quæ possidentur considerare, quomodo sit constituendum illis,qui in optima republica versari debeãt: vtrum communes esse debeant,an non communes. Hoc seorsum scrutandum est (nec simul cum ijs,quæ de natis,& mulieribus lege statuuntur) dico autem circa res,vtrum (etsi sint nati mulieresque separatim, quemadmodum nunc sunt omnibus) præstet tamen res esse communes & vsus. puta,vtrum præstet fundos esse seorsum, fructus vero in commune conferre: quod apud quasdam fit gentes: vel contra, solum quidem commune esse, & communiter coli, fructus autem partiri in proprios vsus: quod etiam facere dicuntur quidam barbarorum, vel etiam fundos, & fructus esse communes.

Hoc est secundum capitulum huius primi tractatus, in quo philosophus posteaquam confutauit opinionem Platonis de communitate mulierum,& filiorum,nũc redarguit sententiam eiusdem de communitate earum rerum, quæ possidentur. Diuiditur autem hoc capitulum in quinque partes,quę suis locis patebunt. In prima proponit intentionem suam per modum quæstionis, & diuisionis. Quærit enim quot modis res possint esse communes,& vult philosophus, quod aliquo modo non possint

nec debeant,& quærit quomodò possit esse ista communitas,afferendo triplicem modum, vt patet manifeste in textu,videlicet,fundi sint proprij,fructus cõmunes:fundi communes,fructus proprij : fundi communes, fructus communes.

Si ergo alij essent agricolæ,alius esset modus,et facilior: sed cum ipsi sibi laborent,ea quæ ad possessiones attinent , plures præbebunt difficultates . Nam si in fruendo,& laborando non sint pares , necesse est incusationes existant , contra fruentes quidem , & consumentes multa, parum verò laborantes,ab his qui minus consumunt,& multum laborant. Omnino autem conuictus, & communitas rerum humanarum omnium, difficilis est, & maximè in talibus . Probant autem eorum,qui vnà peregrinantur societates: quorum pleriq; ferè inter se dissident,de paruis vilibusq; rebus offensi. Nos quoq; etiam ministris illis plurimum aduersamur, quibus maximè vtimur ad circularem famulatum : communes igitur habere res,has,& alias huiusmodi continet difficultates.

Secunda est pars, in qua reprobat duos modos communitatis ex illis tribus. Nam modum illum,quod fundi sint proprij & fructus communes, approbat , & alios duos redarguit . Dicit autem in primis,quod si fundi erunt communes , & per alios,& externos colantur, erit modus tolerabilior,& minoris difficultatis. Verum hoc non fit,cum ipsi sibi laborent, vnde oportet,vt oriantur multæ difficultates,& incusationes,& rixæ inter plus laborantes,& minus accipientes,& plus accipientes,& minus laborantes,& hoc probat duobus signis . Primum est simul peregrinãtium,qui interdum pro vilissimis rebus faciunt altercationes,& rixas. Secundum signum est in re familiari,vbi multæ difficultates oriuntur ob seruos, quibus cum versamur. Ex his igitur vult inferre,quod si in paruis communitatibus dissident homines inter se à paruis offensi,in quibus communicant,multo magis eueniet in magna,& hoc totum accidet ex eo, quod res erũt communes,vt volebat Plato in sua re p. *Plurimum irascimur*, id est maxime offendimus.

Eo autem modo quo nunc fit, si insuper moribus, & moderatione le-

ne legum rectarum honestetur, non parum distabit: habebit enim vtriusque commoda. dico autem vtriusque, videlicet eius quod com munes sunt res, & eius quod propriæ: oportet enim omnino vt res sint propriæ, sed quodammodo communes. curæ enim diuersæ, incu sationes inuicem non parient: imò proficient, ut potè ad proprium unoquoque sedulò incumbente: at uero ob uirtutem erunt ad usum (ut est in prouerbio) amicorum communia. Est autem etiam nunc quibusdam in ciuitatibus in hunc modum subscriptum, ne putetur impossibile, & præcipue in ijs, quæ bene gubernantur, aliqua sunt, & aliqua esse possunt: propria enim vnusquisque possidens, partim vtilia facit amicis, partim vtitur communibus, ut Lacedæmone seruis utuntur uicissim, tanquam (ut ita dicam) proprijs: & præterea equis, & canibus, si forte in uijs, in agris, per regionem quis indiguerit. Patet igitur esse melius, ut propriæ sint res, sed usu facere illas communes: quemadmodum autem hoc fiat, legislatoris erit prouisio. Est sane inenarrabile, quantum intersit ad voluptatem, considerare aliquid esse proprium sui: non enim frustra quisq; ad seipsum amicitiam habet: est uero id naturale: sed cum amator sui reprehenditur iustè, nõ id reprehenditur, quia se amat, sed quia magis quàm oportet se amat, quemadmodum & amator pecuniarum: nam amant omnes (ut ita dixerim) talia: attamen & largiri, & opem ferre amicis, aut hospitibus, aut sodalibus, dulcissimum est, quod fit si propriæ sint facultates.

Tertia est pars, in qua philosophus approbat tertium modum communitatis, qui non erat Platonis, sed est ipsius philosophi, scilicet vt possessiones, & fundi sint proprij: fructus vero communes. Est enim quoquo modo compositus ex proprietate, & communitate quasi vtriusq; particeps, vel vtriusque, si verum quærimus. Nã oportet fundum esse proprium cuiusque: fructus vero communes per virtutem, idest vt conficiatur illud, quod in prouerbio dicitur, amicorum omnia esse communia, & talis communitas est accommodatissima ciuitati. Sequitur mediam viam more suo philosophus: Nam cum fundi possint esse communes, fructus proprij: vel fundi communes, & fructus communes: medium est, vt fundi sint proprij, & fructus cõmunes: & dicit, quod hoc perti-

net ad legum latorem sic instituere ciues, vt velint fructus esse communes, quod fit, si ciues euadant studiosi, & bene morati, rectisq; legibus instituti, & affert rationes, quibus approbat talem modum: Primum quia fundum habere proprium, vt sis dominus rei, magnam affert iocunditatem: & hoc fit, quia naturaliter quisq; seipsum diligit, & non est vitiosum, nisi id fiat magis, quàm oportet. Vnde amatores sui ipsius, dicit philosophus in libro Ethicorum, sunt vituperandi, loquens de eis, qui in bonis externis diligunt propriam vtilitatem, & commodum proprium magis, quàm oportet. Declarat etiam hoc, exemplo amantium pecunias. Propterea melius est fundos habere proprios dicit philosophus, quia amicis & propinquis prodesse possimus conferendo, & communicando eis fructus possessionum nostrarum, quod proueniet ex virtute liberalitatis & beneficentiæ, quàm exercere possunt ij, qui habēt proprias facultates, & illarum fructus efficiūt communes, dando quibus oportet, & vbi oportet, vt apud Lacedæmonios fieri dicit, qui seruos & equos proprios permittunt alteris vtendos. *Vehiculis*, id est cibis vel commeatibus, quando transeunt per loca sua vicissim, id est viaticis agrorū & possessionibus vtuntur, vt communibus equis, & commoditate possessionū alterutrum, quando transeunt de loco ad locum. *Quemadmodum vero ciues tales*: fiant scilicet, vt habeant fundos proprios, fructus vero communes, erit à legislatore prouidendum, *vt ita dixerim*, idest vt simpliciter, vel vniuersaliter, vel summatim dicam. Notandum quod philosophus dicit ea, quæ conueniunt cum his, quæ dixit in libro decimo Ethicorum. Ibi enim, cum loqueretur de eruditione liberorum, sic instituendos esse docuit, vt boni euaderent ciues. nam hoc est fundamentum rei publicæ, vt per leges bonas bene erudiātur, & studiosi efficiantur ciues. Quòd si hæc cura publice negligatur, debet quisque paterfamilias priuatim consulere filijs suis, ut recte instituantur, & hoc consonat ibi dictis. Nam dicit hic, quod oportet fundos esse proprios, fructus uero cōmunes

munes per virtutem, scilicet per liberalitatem, quam acquirunt homines ex legibus bene instituti, & ex bona educatione, vt patet.

Hoc autem non contingit illis, qui nimis vnam efficiunt ciuitatem. Et præter hac, duarum virtutum opera manifestè tollunt, temperantiæ erga mulieres alienas (ab ea enim quæ aliena est honestatis, opus est se ob temperantiam abstinere) & liberalitatis circa res possessas: neq; enim discerni poterit liberalis, neque liberalem operationem faciet vllam: nam in vsu earum rerum quas ipsi possidemus, liberalitatis est opus. Ergo eiusmodi legis positio faciem habet apparentem, atque humana videri possit: auditor enim libenter recipit, putans fore mirabilem quandam amicitiam omnibus erga omnes, præsertim cum quis incommoda accusat rerum publicarum nunc prouenientia, ex eo quia non sint communes omnium facultates: ceu litigia ex contractibus, falsorum testium iudicationes, diuitum adulationes: quorum nihil fit propter proprietatem, sed propter improbitatem. Cum etiam res in communi habentes, rerumque vtentes communione, multo magis inter se dissidere videamus, quàm eos qui separatim possident: sed videmus paucos qui in communi res habent, dissidentes esse aduersus multos congerentes proprias facultates. Insuper æquum erat referre, non solum quantis malis priuabuntur si communitatem rerum habebunt, sed etiam quantis bonis: videtur autē omnino impossibilis esse illa vita.

Hæc est quarta pars in qua philosophus ostēdit, quod supradictæ commoditates non sequentur ex illa positione, & communitate Platonis, qui vult tantopere vnire ciuitatem per communionem omnium rerum: sed potius deficient duæ virtutes egregiæ temperantia & liberalitas. Dicit posthæc philosophus, quod positio illa Platonis apparet esse grata, atque laudabilis, quia gignere videtur amicitiam, & quia plures contentiones oriri vidētur ex proprijs, quam ex communibus: verum si quis diligenter quærat, inueniet illa litigia non tam sequi ex natura proprietatis, quam hominum peruersitate. Videmus enim eos, qui res habent communes magis litigare, quam qui habent seiunctas, & distinctas. Sed quia pauci sunt, qui res habeant communes respectu il-

lorum

lorum,qui habent proprias, ideo pauciora videntur ori ri litigia ab illis. Tamen si proportione seruata consideretur vtrunque,plura orirentur ex communibus,si totidem essent, quam ex proprijs. *Quod eos qui separatim possident,* sequitur postea talis textus, vt est in codicibus quibusdam Græcis, scilicet uidemus paucos ex illis,qui simul communicant. *Contendentes respectu multorum, qui res proprias possident*, quia plures sunt,vt diximus, habentes res proprias, quàm communes,sententia est talis,in cõmuni viuentes magis videmus discordantes. Sed non sic apparet,quia pauci ita viuunt, respectu illorum, qui res proprias possidentes nõ ex communibus,sed ex proprijs viuunt.Posthæc philosophus refellit eandem communitatem ostendendo, quod auctores talis positionis considerare debeant non solum mala,quæ vitantur per communionem rerum,sed etiam bona, quibus priuãtur per eandem, sicut est diligens cura,& voluptas illa,quæ prouenit ex rei proprietate & alia eiusdem generis.

Causam verò Socrati huius erroris putandum est suppositionem non rectam fuisse:oportet enim quodammodo vnam esse ciuitatem & domum,sed non penitus: est enim quo si procedas.non erit ciuitas:est etiã quo erit quidem prope,vt non sit ciuitas,deterior ciuitas: veluti si quis concentum faciat vnisonum,& versum pedem. vnum: sed oportet cum sit multitudo(vt prius diximus)per disciplinam,cõmunem & vnã efficere: & eum qui disciplinam sit habiturus, putantem per illam studiosam facere ciuitatem, absurdum est per talia quædam instituendam putare(ac non per mores & per philosophiam & per leges) veluti ea quæ circa possessiones sunt in Lacedæmone, & comessationes in Creta,quarum legislator communionem induxit.Neque id sanè ignorandum est,quia oportet ad multum tempus ac multos annos inspicere, in quibus haudquaquam lateat,si hæc rectè se habuerint: ferme enim omnia inuenta sunt quidem,sed alia non inducta,alia ab expertis repudiata.maximè autem id apparet si quis per opera inspiciat rempublicam sic institutam:non aliter enim poterit fecisse ciuitatem,nisi separet illa atque distinguat, partim in commessationes, partim in partes tribuum, partim in tribus. Quare nihil aliud continget lege proui-

sum esse, nisi vt custodes agrum non colant, quod & nunc Lacedæmonij facere tentant.

Quinta est pars, in qua postquam improbauit communitatem vxorum & filiorum & aliarum rerum, quam ponit Plato in sua republica, nunc ostendit, quod non sufficiens est causa, qua motus est Plato ad huiusmodi opinionem introducendam, & affert sex sententias Socratis vel potius Platonis: Nam Plato in suis libris de republica Socratem loquentem inducit, ac eas refellit tanquam non bene consideratas. Prima sententia est, quod Plato faciebat suppositionem non rectam, quia ponebat ciuitatem oportere esse maxime vnam, atque hoc fieri posse censebat per communionem omnium rerum, ista causa vnitatis non valet, quia posset vsque adeo ciuitas ad vnitatem redigi, vt destrueretur, sicut concentus & harmonia si vniuoca fieret, idest in vna voce, quia non fieret amplius consonantia. Sed sicut ex diuersis vocibus resultat vnus concentus, sic ex differentibus specie resultare debet vna ciuitas, & non omnimodo vna, sed eo modo, quo ciuitas recipit vnitatem. Nec oportet commessationes, & communitates introducere, & alia huiusmodi ad faciendam ciuitatem vnam, & constituendam rempublicam, sed leges, & mores bonos & laudabiles consuetudines. Præterea debuit Plato considerare eas leges, quas afferebat, experientia esse probatas, quia longitudine temporum inuenta sunt omnia, dicit philosophus, quæ pertinent ad rempublicā constituendam. Verum quędam sunt inducta, & non probata experientia, quia statim mala esse apparuerunt, quædam experientia reprobata, atque posthabita. Et hoc maxime apparebit, si quis rempublicam Platonis ex communitate constantem consideret, & per opera idest actu existentem contempletur, quia fieri non potest, vt ciuitas constet, nisi ibi distinctio sit per diuersa communia, & diuersas tribus. Dictum est quod ex differentibus specie constat ciuitas. At per constitutionem Platonis non fit illa prouisio distributionis, nisi quod vetat custodes co-

bebunt omnia communia, custodes non different ab illis, & si non different non sustinebunt imperium custodum vt vult Plato. Sin vero non habebunt res communes, sed proprias, vt nunc fit, non erit illa communitas, quam vult. Quin etiam sequetur, quod cum ex vna parte ponantur custodes veluti in specula rei p. custodiendæ nihil operantes, ex alia agricolæ & artifices operantes, erunt quasi duo ciuitates inter se contrariæ in vna re publica, hinc euenient litigia & contentiones, & alia eiusdē generis, quod non æqualiter laborent, nec æqualiter fructus percipiant, quæ vitare vult Plato per istam suam communionem, existimans, quod vbi sunt omnia communia, non oportet afferre multas leges, nisi eam disciplinam, quæ ad custodes pertinet ciuitatis: omisit autem modum, qui agricolis & artificibus constituendus esset in tali re publica degentibus, ergo est insufficiens constitutio: *Quam ob causam*: quid passi, vel qua re affecti principatum sustinebunt.

Insuper dominos facit suarum rerum agricolas, & tollere permittit. at multò magis verisimile est eos fore difficiles & fastu plenos, quàm eos quos apud quosdam vocant ilotias & penestias & dulias. Enimuerò siue necessaria sint hæc similiter, siue non, nihil nunc quidem determinatum est: neque de consequentibus, quæ sit eorum ciuilis administratio, & disciplina, & quæ leges. Est autem neque facile reperire, neque parum referens, quales hos esse oportet ad conseruandam custodum communionem. At vero si mulieres facit communes, facultates verò proprias, quis curam habebit rei domesticæ, vt habent agriculturæ viri, quanuis etiam sint communes facultates, & agricolarum mulieres?

Tertia est sententia vbi refellit eundem Platonem, quod permittit possessiones in potestate agricolarum, ac eos impartiri iubet portionem fructuum ipsis custodibus, ex hoc sequitur, quod agricolæ habebunt maiorem licentiam atque audaciam, quam custodes, & cum existimet reddere eos, propter hoc magis obsequentes, euadent insolentiores, quam sint apud quosdam ilotæ, & penestię, & ipsi serui, qui plerunque concitarunt multitudi-

titudinem & fecerunt seditiones in Lacedæmone. Ilote erant apud Lacedæmonios homines montani atq; agrestes, vt Plutarcus in vita Demetrij, quam nos in latinũ conuertimus, & Liuius in quarta Decade meminit. Post hæc dicit philosophus, quod siue ista de communione allata à Platone necessaria sint ciuitati, siue non sint, nihil determinauit Plato, qualis debeat esse administratio ciuilis disciplinæ inter huiusmodi homines sic se habentes. Non enim facile est particulares afferre institutiones. Nam si mulieres faciant communes custodibus & agricolis, possessiones vero sint propriȩ, quis habebit domi curã rei familiaris, sicut viri extra habent agriculturæ? Verũ & si mulieres, & possessiones essent communes, quomodo poterunt vtrisque accommodari.

Absurdum etiam ex bestijs facere similitudinem, quod conueniat eadem efficere mulieres quæ viri, ad quas nequaquam cura rei domesticæ pertinet.

Quarta est sententia Platonis, quã reprehendit philosophus, quia fœminæ dicebat Plato debent exercere eadem, quæ mares, sicut fit in cæteris animalibus. Hæc similitudo non tenet, dicit philosophus, cum bestiȩ non habeant rationem, & vim gubernandæ rei familiaris & hoc pertinent ad mulieres, scilicet curare, quæ sunt domi, permittere viris negocia externa, vt in œconomicis docuit, ad bestias autem nullo modo pertinet talis administratio, ideo dicit ad quos, idest ad quas bestias, non pertinet cura rei familiaris.

Periculosa est insuper magistratuum constitutio, quàm facit Socrates: facit enim vt semper sint ijdem: at hoc seditionis est causa, etiam apud illos, qui nullam possident dignitatem: quid ergo apud bellicosos & animosos viros? Quod autem necessarium sit, ipsum eosdem semper magistratus facere, patet: non enim aliorum modo, & modo aliorum miscetur animis diuinum illud aurum, sed semper eisdem: inquit autem quibusdam statim à genitura aurum misceri, quibusdam argentum, æs verò & ferrum illis, qui & artifices futuri sunt, & agricolæ.

Quinta est sententia, vbi Platoné refellit, quia cum diui-

diuiſerit ciuitate in duas partes, & vnam vocauit cuſtodes, alteram agricolas, & artifices, ex altera conſtituit, qui continue magiſtratus gereret, alteri nullum tribuit magiſtratum. Et cũ cuſtodibus tribuat magiſtratus, non omnibus tñ illos cõcedebat Hoc aũt .ſ. quod alij ſemper dominentur, alij uero ſemper ſubijciantur, videtur eſſe cauſa ſeditionis apud quoſq;, ſed multo magis apud animoſos viros. Nã viciſſitudo magiſtratuum eſt cauſa concordiæ, vt inferius oſtendet philoſophus. Quòd autem hoc ſenſerit Plato, declarat philoſophus, quia Plato diuiſit ciuitatem, & per modum fabulę, dicit, quod omnes ciues orti ſunt è terra, tanquam è matre, non tamen eiſdem conditionibus: Sed Deus inquit in ipſo ortu, quibuſdam infudit aurum, quibuſdam argentum, nõ autem viciſſim nunc iſtis, nunc illis. At vero hi, qui habent infuſum aurum, debent dominari dicebat Plato: qui vero argentum, in ſecundo gradu debent cuſtodire: qui autẽ habent infuſum æs, vel ferrum, debent eſſe artifices aut agricolæ. Qualis igitur eſt infuſio facta à Deo talis debet eſſe eius conditio, vel munus, dicebat Plato. Ita conſtituit alios ſemper dominos, alios ſemper ſubditos, quod eſt cauſa ſeditionis.

Præterea cuſtodibus felicitatem auferens totam, inquit, ciuitatem facere beatam oportere legiſlatorem: at impoſſibile eſt totam beatam eſſe, niſi aut plurimæ, aut omnes partes, aut quædam habeant felicitatem: non enim eorundem eſt felicitas, quorum & integrum: nam ipſum contingit toti exiſtere, etſi nulli partium, at felicitatem impoſſibile eſt. Quod ſi cuſtodes non erunt felices, qui tandem alij? non enim artifices quidem, neque multitudo ſordidorum. Illa igitur reſpublica de qua Socrates locutus eſt, has continet difficultates, & alias his non minores.

Sexta eſt ſententia, quam philoſophus refellit. Nam cum Plato nitatur totam ciuitatem felicem efficere, aufert felicitatem à partibus eius. At non accidit felici ſicut & pari. Eſt enim aliquod totum par, vt numerus ſenarius, tamen partes eius nõ ſunt pares, vt tria & tria: Verum ciuitas non poteſt dici felix, niſi omnes, aut plures

Hoc est tertium capitulum huius primi tractatus. In quo philosophus postea quam redarguit Platonem de communione tam vxorum & filiorum, quam possessionum, nunc redarguit ipsum circa ea, quę attulit in libro de legibus, vbi etiam Socratem loquentem inducit. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes: in prima summatim narrat institutionem Platonis & modum viuendi in sua republica, qui pertinet ad primum illum librum ciuilem, & secundum illum librum de legibus: in secunda affert plures sententias positas in libro de legibus & eas improbat, quasi arguendo Platonem insufficientiæ, vel inconstantiæ. Notandum quod Plato composuit duos libros in huiusmodi materia, quorũ vnum appellauit politica siue ciuilia, alterum de legibus. In primo instituit quandam rempublicam, quam putauit esse optimam, de quo nunc pauca refert Aristoteles. In altero vero libro siue opere tradidit leges quasdam vniuersales, quas putauit esse optimas & accommodatissimas rebus publicis, quæ actu erant, & quæ communiter instituuntur inter homines, & de hoc intelligit nunc, quando dicit, quod legum liber maxima ex parte leges continet, & vult describere in eo libro quasi vnam rem publicam ex illis, quæ sua tempestate vigebant. Ex his quæ dicta sunt, facile patere potest textus philosophi. *Extraneis sermonibus*, idest non pertinentibus ad disciplinam & eruditionem ciuilem. *Quam dum pergit*, idest quam cum pergit facere maxime communem alijs ciuitatibus, paulatim incidit in aliam rem publicam de qua scripsit in politicis, *hanc* scilicet ciuitatẽ de qua loquitur in libro legum, *illam* de qua dixit in politicis.

Superfluum ergo quiddam & facete captiosum, & nouum & exploratorium omnes Socratis habent sermones: sed cuncta rectè, forsitan difficile: quoniam & de multitudine illa de qua nunc dicebatur (latere id minimè decet) quia Babylonia aut quadã alia infinita regione indigebit tanta multitudo, ex qua ociosorũ quinque millia cum mulierũ ac ministrantium multiplici turba alantur suppositiones quidẽ adoptionem faciendæ, non tamen impossibiles.

Secunda est pars capituli, in qua affert sentẽtias quasdam Platonis positas in libro de legibus, quæ suis locis patebunt, ac eas refellit. Primum igitur redarguit Platonem, quia posuit magnum numerum hominum ociosorum nutriendorum: & dicit, quod sermones eius habent amplitudinem quandã, & difficultatem, tum etiam superfluitatem, sicut fuit illud, quod posuit quinq; millia custodum, qui nihil aliud agerent, quàm tenerent arma, & in ocio permanerent. Hunc numerum cum turba mulierum & reliquorum consequentium, vix Babylon, quæ propter multitudinem habitantium, forsitan ciuitas appellari non potest, caperet, Itaque opus erat ingenti quadã regione ad eos capiendos, ac nutriendos.

Dicitur autem debere legis latorem ad duo respicere in ferenda lege, ad regionem & homines: addendum est etiam & ad vicina loca, si oportet ciuiliter viuere ciuitatem: non solum enim necessarium est ipsam talibus vti ad bellum armis, quæ vtilia sint in sua regione, verumetiam quæ in aliena: quod si quis huiusmodi non recipit vitam, neque priuatam neq; publicam ciuitatis, nihilominus tamen oportet terribilem esse hostibus, non venientibus modo in regionem, verumetiam abeuntibus.

Secunda est sententia, quam redarguit philosophus. Dicitur enim à Platone quod legis lator debet respicere duo, scilicet regionem, & homines aptos ad ferenda arma: Nos, inquit philosophus, addimus tertium, in quo defecit Plato, scilicet quod oportet etiam habere rationem regionis vicinę, tempore belli vel pacis. *Non recipit*, idest non probat.

De modo quoque rerum possidendarum videndum est, ne forsan melius sit aliter definire & clarius. Tantas, inquit, possidere oportet, vt modice viuatur: perinde ac si quis dicat, vt bene viuatur. Verũ hoc est nimis generale: & est modice viuere, ærumnose tamen: at melius est dicere modice & liberaliter: separatim .n. vtrumque, alterum luxuriæ accommodabitur, alterum difficultati: cum soli huiusmodi habitus virtutes, sint circa vsum facultatum nostrarum (vt patrimonio mansuete, vel fortiter vti non dicimur, at modice & liberaliter dicimur) eam ob rem necessarium

rium est, circa illud istas versari virtutes.

Tertiam sententiam redarguit philosophus, quam attulit Plato dicendo, quod oportet tanta possidere, vt temperate viuatur: sed dicere, inquit, oportebat, vt bene viuatur, quia potest aliquis temperate viuere: tamen cum difficultate. Itaq; tot ac tanta possideri debent in vita actiua dicit philosophus, vt téperate liberaliterq; viuatur. Nam si separatim vtrunq; accipiatur alterum luxuria, ac superabundantia comitabitur, alterum difficultas. Quamobrem oportet sumere vtrunque simul, scilicet temperate & liberaliter, & hoc fit, si dicat, bene viuatur. *Hoc.n.est nimis genarale*, idest hoc bene viuere est nimis, idest magis generale, vel magis vniuersale, quàm modeste & temperate viuere. Quia dari potest temperate viuere, & tamen ærumnose, vt patet textus. *Verum hoc est nimis*, idest, Hoc enim est magis vniuersale. Notandũ, quod hic sermo philosophi sumi debet largo modo, quia in libro ethicorum ostendit, quod qui habet vnam virtutem, habet omnes. Hic autem dicit, quod potest viui temperate, non tñ liberaliter. Dicendum quod ibi loquitur exacte sumendo virtutes omni exceptione perfectas: Hic autem loquitur largo modo, ut diximus.

Absurdum quoque est, cum facultates adæquauerit, de ciuium multitudine nihil disponere, sed indefinitam relinquere filiorum procreationem, quasi sufficienter æquatam propter sterilitates quot quot nasci contingat, quod videtur nunc quoque euenire in ciuitatibus: sed opus est aliam certitudinem tunc hoc habeat circa ciuitates, quàm nunc: nam nunc quidem nemo dubitat, ex eo quod diuisæ sunt facultates in quantacunque multitudine: tunc verò cum sint indiuisæ, necessarium erit dispares nihil habere, siue pauciores sint multitudine, siue plures. Magis autem existimauerit quis oportere determinatum esse modum procreandorum filiorum, quàm facultatum: vt numero quodam & non plures quàm determinatum sit procreentur: & numerus diffiniendus est, respectu habito ad fortunas, si contingat decedere aliquos natorum, & ad defectum procreandi cæterorum. Prætermittere autem id vt in plerisque ciuitatibus, necesse est egestatis causa sit ciuibus: egestas verò seditiones & ma-

leficia parit. Itaq; Phidon Corinthius, vnus ex vetustissimis legũlatoribus, familias censuit æquales permanere debere, & ciuium multitudinem: quamuis forte distributiones prius habuissent omnes inæquales, secundum magnitudinem. at in his legibus contrarium est. Verum de his quemadmodum statuendum putemus melius se habere, postea erit dicendum.

Quartam sententiam redarguit eiusdem Platonis, qui cum velit in sua re publica possessiones esse communes, & facultates adæquari iubeat, debuit etiam de multitudine & adæquatione ciuium determinare. Nam si constituat tot possessiones tot ciuibus conuenire, & post modum superabundauerint filij, illæ possessiones non sufficient, & sequetur fames atque discordia & omnino calamitas ciuitatis: oportebat igitur præfinire numerũ ciuium, qui maximus potest cõsistere in ciuitate. Quòd si dicet numerus ciuium erit semper idem, vel propè æqualis, quia si familiæ crescunt ex altera parte etiam minuuntur propter mortes & sterilitates, vt nunc videtur euenire in ciuitatibus: Respõdet philosophus, quod tunc scilicet in sua republica, in qua vult omnia esse cõmunia, oportet vt sit alia certitudo multitudinis ciuiũ, quam in illis, vbi facultates sunt propriæ in singulos sine dubitatione diuisæ, secus .n. eueniet, dispares idest superfluos homines, vel egredientes quantitatem iam determinatum nihil habere ex possessiouibus talis sufficientiæ constitutis. Itaque dicit philosophus, quod potius debebat in tali republica statuere terminum quendam procreandorum filiorum, vt nõ excedãt numerum determinatam, quam afferre modum facultatum, quot sint, & quod sint communes, & definire multitudinem secundum quantitatem possessionum, & considerare etiã, si contingat aliquos mori, & aliquos steriles esse quomodo adequandæ sint possessiones in tali casu. Prætermittere aũt hæc in tradenda doctrina, vel cõstituenda re p. causa esse põt egestatis, atq; discordiæ, quod est oppositum eius, quod volebat ipse Plato. Vult.n. efficere ciuitatem adeo concordem, vt sit vna. propterea Phidon corinthius

rinthius in suis legibus adæquauit familias & ciuium multitudinē & in facultatibus & dignitatibus, vt quanuis essent inæquales ab initio, reducerentur ad æqualitatem: At in legibus Platonis est oppositum: Sed quo pacto de tali ęqualitate statuendum sit, postea dicemus, inquit philosophus. *iniquas*, idest non æquales.

Omissa sunt etiam in his legibus, ea quæ ad magistratus pertinent, quemadmodum differant præsides à subiectis. Inquit enim, oportere, quemadmodum ex alio lanæ filum ducitur, quàm lini, sic & eos qui præsunt, se habere debere ad eos qui subsunt.

Quintam redarguit sententiam Platonis, quia dixit, quod statuendi sunt magistratus præsidentes, qui differant à subditis, sicut stamen differt à supplemento. Et.n. vt ista fila differunt, quanuis ex lana sint vtraque, sic & ciues differre oportet, cum debeamus texere ciuitatem. Et Plato quidem ita dixit, quod oportet distinctionem esse inter eos, non tamen addidit modū, quo talis distinctio facienda esset. *Quemadmodum ex alio lanæ filum ducatur quam lini*, idest quemadmodum ex alia lana fit stamen, ex alia supplementum.

Cum verò totam substantiam augeri dixerit, vsque ad quincuplum, quare hoc vtique non erit in regione vsque ad aliquid?

Sextam redarguit sententiā Platonis, quia dixit substantiam cuiusq; posse augeri in quincuplum, & non vltra quincuplū eius, quod minimum possideret. Nam homines incumbunt patrimonio augendo, & hoc non debet esse in infinitum: posuit ergo modū Plato. Sed dicit philosophus, cur & fundis augendis nō posuit aliquem modum. Quidam exponunt hoc pacto. Quòd Plato cum permiserit bona mobilia augeri vsque in quincuplum & non supra mobilia alterius possidentis, quod minimum foret, pari modo poterat idem permittere in possessione terræ, vt non faceret omnes agros communes, *in regione*, idest in terra Græce χώρα.

Videndum est etiam ne ædificiorum diuisio non prosit ad rem familiarem: duas enim cuique domos attribuit separatim diuidens: at difficile est duas habitare domos.

Septimam ſententiam redarguit Platonis,quia dixit ſolum ciuitatis diuidendum, & cuiq; dandum , vt poſſit facere duas domos. At hoc eſt difficile, quia vix vnam quiſque commode gubernare poteſt,multo minus duas, vt experientia patet.

Tota vero conſtitutio apparet eſſe neque popularis ſtatus, neq; paucorum potentia, ſed horum media quàm vocant rempublicam: eſt enim ex ijs qui arma ferunt. Si igitur vt communiſſimam omnium aliarum ciuitatum,hanc conſtituit rempublicam, recte forſitan dixit: ſin vt optimam poſt primam rempublicam, non recte. Forſan enim Lacedæmoniorum rempublicam quis magis probabit, vel aliam quandam,magis optimatium. Sunt qui dicant optimam rempublicam ex omni genere gubernationum admixtam eſſe debere: atque ob id Lacedæmoniorum laudant rempublicam:conſtare quidem illam ex paucorum potentia, item ex vno principe, populariq́ue ſtatu,affirmant,dicentes regnum vnius eſſe gubernationem: ſenatum verò, paucorum potentiam: Ephoros autem ſtatum popularem, quoniam Ephori ipſi è populo ſumuntur. Alij Ephoriam quidem tyrannidem putant, ſed populariter regi per commeſſationes,& alium quotidianum victum. Sed in his legibus dictum eſt, optimam rempublicam ex populari ſtatu conſtare debere ac tyrannide,quas aut non reponat quis omnino inter ſpecies rerũpublicarũ,aut deterrimas omniũ eſſe fateatur.Melius ergo dicunt qui plures commiſcent: nam quæ ex pluribus conſtat reſpublica, melior eſt. Deinde nihil videtur habere ex vnius gubernatione, ſed ex paucorum potentia ac populari ſtatu, verum ad paucorum potentiam inclinare magis: quod patet ex magiſtratuum creatione. nam quod ex delectis ſortitio fiat, commune eſt vtrique. Sed quod neceſſe ſit ditiores concionem habere, & magiſtratus creare, vel aliud quippiam huiuſmodi publicorum negociorum facere, alios verò præteriri, id paucorum potentiæ eſt. Inſuper conari,vt plures ex diuitibus ad dignitates ſumantur, & ad maximas quidem ex maximo cenſu, paucorum potentiæ eſt, & conſiliariorum delectio: deliguntur enim cuncti ex neceſſitate, ſed ex primo cenſu, poſtea totidem ex ſecundo,poſtea ex tertio:verũ nõ omnibus neceſſe erat ijs qui tertio vel quarto:ex quarto autem & quartis, ſolis neceſſe eſt primis & ſecundis: poſtea ex his æqualem à ſingulis cenſibus

ſibus numerum eſſe monſtrandum inquit. erunt itaque plures & potentiores,qui ex maximo cenſu ſumuntur: quare neceſſe non eſt. Quod igitur ex populari ſtatu ac vnius principatu non conſtabit huiuſmodi reſpublica,ex his patet,atque ex ijs quæ poſtea dicturi ſumus,cum de ea ſpecie reipublicæ tractabimus.

Octauam ſententiam Platonis affert philoſophus, & primum declarat, quod Plato vult efficere rem p. quæ ſit media inter popularem ſtatum & paucorum potentiam. Deinde oſtendit, quod licet, hoc velit facere: tamen non facit. Nunc videtur velle, quod dictum eſt, nunc aliud, & demum ſic eam conſtituit vt vergere videatur ad paucorum potentiam.Dicit igitur in primis, quod tota conſtitutio Platonicæ diſciplinæ vult rem p. mediam inter ſtatum popularem & paucorum potentiam. Dicit ergo philoſophus quod ſi hanc rem p. ipſe affert,vt communiſſimam,forſan recte facit. Sin autem vt optimam poſt illam primam, ſcilicet regiam,non bene,quia aliæ ſunt præſtantiores poſt illam primã, quàm iſta ſua, vt eſt Lacedæmoniorum reſpublica, vel alia, quæ magis vergat ad optimatum gubernationem. Poſt hæc philoſophus arguit Platonem inconſtantiæ, qui cũ voluerit rem p. ſuam mixtam eſſe ex populari ſtatu, & paucorum potentia, poſtea dicit ipſam conſtare ex tyrannide & ſtatu populari, & tamen nihil habere videtur ex gubernatione vnius, ſed magis inclinare ad paucorum potentiam. Nam diſtinxit ciuitatem in quatuor gradus ſecundum cenſum, quaſi in maximos, maiores, minores, & minimos,& voluit,quod ex ijs quattuor ordinibus ſumerentur apti ad magiſtratus, & ex numero electorum ſortirentur,qui gererent magiſtratus.Verum ex primo, & ſecundo cenſu voluit neceſſario ſumi magiſtratus,ex tertio vero & quarto ſumi poſſe,ſed non neceſſario eſſe ſumendos. Dicit igitur philoſophus,tu dicis ò Plato, in tuis legibus optimam rem p. conſtare ex populari ſtatu & tyrannide: tamen nihil habet hæc tua res publica de gubernatione vnius,ſed potius de gubernatione potentiæ paucorum & ſtatus popularis,& hanc

velle videris introducere quasi optimam, sed hoc etiam non facis, sed potius laberis in paucorum potentiam, vt patet ex modo tuo in magistratibus creandis. *Sin uis optimam rempublicam*, scilicet post primam, idest post regiam, *In his legibus*, scilicet Platonis. *Commune utrique*, scilicet populari statui & paucorum potentiæ.

Habet etiam circa magistratuum creationem quod ex delectis deligi possint, quippiam periculosum: nam si aliqui conspirare velint etiam mediocri numero, semper secundum horum voluntatem fiet electio. In legibus igitur res illa publica, ita se habet.

Nonam sententiam Platonis affert philosophus, atq; eam refellit, quia in suis legibus non bene constituit modum creandorum magistratuum, cum facile conspirationes fieri possint, ex quo semper pauci potentiores habebunt magistratus, quod est valde periculosum in ciuitatibus. Sic igitur in his tribus capitulis reprehendit philosophus opinionem Platonis. Nam in duobus primis reprehendit suam rem publicã, quam descripsit in libro ciuili, vt optimam. In hoc vero reprehendit leges constituentes rempublicam quandam, accommodatam alijs rebus publicis, vt ipse putabat, quæ extabant, quam redarguit philosophus ostendendo postremo loco inclinare ad paucorum potentiam, vt superius dictũ est. Verum vt hæc melius intelligantur, afferenda est in medium ea, quæ à Platonicis dicitur esse Platonis opinio, ac ea, quæ responderi possent rationibus philosophi nuper allatis. Plato sic rem publicam constituit, vt esset, quoad fieri posset vna & in vnitate quiesceret ex qua concordia oritur & conseruatur. Hanc in duas partes diuisit in custodes scilicet, & agricolas, ipsosque artifices, & hos voluit esse ciues. Primos autem appellauit custodes, qui ab hostibus tuerentur ciuitatem, quasi pastores ab infestis animalibus gregem seruãtes, & posuit eos extra ciuitatem, vt essent medij inter hostes & ciues. Quosdam vero custodum voluit gerere magistratus, alios custodire. Eodem pacto ex ciuibus quosdam agricolas esse tantum, quosdam etiam gerere magistratus,

tus, ita vt qui idonei essent ad rempublicam gubernandam, magistratus gererent, cæteros vero tam custodes, quàm ciues voluit illis parere, & agricolas colere agros, artifices suas artes exercere, vt fieri permutatio posset rerum atque nummorum, & sufficientissime viui in ciuitate. Hinc maxime apparet differentia ciuiũ, quod specie differunt, quam rem per modum fabulæ. Plato suos docuit ciues, vt quisque sua arte contentus esset. Dixit enim illis, ò ciues vos ipsa peperit terra, & ab ipsa egressi estis, tanquam de matre, non eiusdem naturæ, sed diuersę, & hæc diuersitas non à terra: sed ab ipso Deo orta est. nam Deus quibusdam aurum, quibusdam argentũ, quibusdam æs, quibusdam ferrum infudit. Vnde ita debetis agere, sicut voluit Deus. Illi igitur debent rempublicam gubernare quibus aurum, illi vero parere, quibus argentum, aut inferiora metalla sunt infusa. Quin etiam illi, quibus est infusum æs, vel ferrum facere debent eas artes, quæ ære vel ferro exercentur, ut est agricultura, & alia huiusmodi. Igitur Plato hoc modo disposuit ciuitatem. nam agricolis tribuit cultum agrorũ, siue agri sint eorum proprij, siue communes ciuitati, quod melius esse putauit. Vsus certe fundorũ, & fructus voluit esse communes. quare apud eum artifices exercebant artes suas, custodes intendebāt custodię, magistratus rem p. gerebant: agricolæ dabant custodibus quantum sufficeret ad victum vnius cuiusq;, vt nec deficeret, nec superesset. Quòd si etiam agri sint proprij agricolarum, vsus tamen & fructus voluit esse communes. De communitate autem vxorum multa afferunt Platonici. Sed illud magis valere videtur ad excusationem Platonis, quod metaphorice loquutus est, rem p. quandam separatam, atq; abstractam cõsiderans, & aliud fortasse intelligens, quam id quod verba præ se ferre videntur. Volebat.n. cõcordem & vnanimem efficere ciuitatem. Hoc eueuire posse arbitrabatur si ciues amore, & caritate deuincti omnia existimarēt esse cõia. Vxores igitur & liberos forsitan Plato hoc modo volebat esse cões, non vt se

inuicem commiſcerent, ſed vt ſe inuicem diligerent ex vero caritatis affectu, non ſecus quàm ſi eſſent cõmunes, & à ſuis non differrent: quin etiam in libro de legibus, vbi non abſtractas, ſed actu exiſtentes res pub. & leges eis accommodatas conſiderat, ſuum cuiq; matrimonium conſtituit. Non.n. credendum eſt, tantum virum voluiſſe in ſuam rem p. turpitudinem inducere, cum eſcam malorum turpem voluptatem appellet, nec etiam amorem turpem permittere, cum vbique eum vituperet. Hoc latiſſime patet in Phędro, vbi turpem amorē maxime deteſtatur, bonum vero extollit, atq; eum appellat bonũ, vnde oriri in nobis perfectio poſſit. Quin etiam amorē, de quo loquebatur diffiniens, dicit quod amor eſt furor diuinus ad reminiſcendum eius formæ, quæ per ſe pulchritudo eſt. Non enim furor turpis eſt amor, ſed furor diuinus, nec ſimpliciter diuinus, ſed furor diuinus compellens nos ad reminiſcendum pulchritudinis, non quidem corporis, quæ per ſe pulchritudo non eſt, ſed Dei, & rationem omnium, quæ ſunt in illo. Iſta enim pulchritudo, quæ eſt hic, cum marceſcat, non eſt proprie pulchritudo: ſed illa Dei, quæ ſuprema eſt, & cauſa omniũ pulchritudinum, quæ reperiuntur. Præterea cum dicit philoſophus, quòd Plato volens ſuam ciuitatem felicem efficere, aufert felicitatem à parte eius non contemnenda, ideſt ab ipſis cuſtodibus, dicunt Platonici, quod ad hoc propoſitum duplex felicitas conſiderari poteſt. vna vulgaris & apparens, quæ potius eſt proſperitas quędã: alia accommodata: prima hominibus, qui laute & abundanter viuunt tribui ſolet. Hanc remouet Plato à cuſtodibus, qui non habent proprios fundos, & victum habent durum atque aſperum: itaq; talem felicitatem non vult eſſe in re p. ſua, ſed tribuit cuſtodibus felicitatem accommodatam eis. Vult enim, quod optime ſe gerendo in re militari, & tuendo patriam, conſequantur felicitatem ſuam, quæ conſiſtit in operatione perfecta cuiuſque artis, ex qua oritur veluti quædam harmonia felicitas totius ciuitatis, quæ eſt ſufficiẽtia vitæ. Dicta igitur Platonis,

tonis, qui obscure & metaphorice plerunq; loquebatur, in bonam partem, si licet aut libet, accipiamus, & mentem summi philosophi, cuius doctrina & integritas vitæ multis mortalibus profuit, grato animo interpretemur. Illud tamen & semper addentes, non esse Platonis, aut cuiusquam alterius opinionem tuendam, quæ à Christiana lege dissentiat. Quòd si communitatem vxorum & liberorum actualiter in re p. sua constituendam putauit, & ita re ipsa intellexit, talem procul dubio commixtionem, vt rem absurdam posthabendam censemus.

Sunt verò & aliæ respublicæ, tum idiotarum, tum philosophorum, & insuper in administratione ipsarum, uersatorum. omnes etiam propinquiores sunt illis, quæ constitutæ sunt, & illis secundum quas nunc regunt, quàm illæ duæ: nullus enim alius, neque de communitate filiorum, neque de mulieribus talem aliquam introduxit nouitatem, neque etiam de fœminarum commessationibus, sed à necessarijs magis inchoant. Videtur autem quibusdã maximum, ut de facultatibus rectè cõstituatur: nam hinc seditiones oriri cunctas asserunt. Quamobrem Phaleas Carthaginensis, ante omnia de hac parte constituit: inquit enim facultates ciuiũ æquales esse debere: hoc autem perfacile factu esse, si statim ab ipsa conditione ciuitatis prouideretur. Postquam vero condita esset, difficilius quidem, attamen satis maturè adæquari posse, si diuites, dotes dent, neque accipiant: pauperes autem contra, accipiant dotes, at non tradant. Plato autem leges scribens, usque ad aliquid censuit esse permittendum, supra autem quincuplum earum facultatum, quæ minimæ essent, nemini licere ciuium possidere, ut prius diximus. Sed oportet ne id quidem latere legislatores (quod certe nunc latet) quod qui facultatibus modum imponunt, debent etiam filiorum numero modum imponere: nam si excedat filiorum numerus facultatum multitudinem, necessarium erit legem abrogare, & sine illa abrogatione, improba lex erit, ut quæ ex diuitibus pauperes faciat: labor enim est, ne tales sint nouitatum autores, propter quam sanè causam ualet aliquid in republica, facultatum exæquatio, & ueterum aliqui uidentur cognouisse, ut Solon lege constituit, & apud alios lege cauetur, ut non quantum quisque uelit, sed quãtum lex permittit, agri possideant; eadem quoque ratione proprias fa

cultates alienare leges uetant: ut est apud Locros lege cautum, ne quis patrimonium alienare possit, nisi euidentem calamitatem osten derit superuenisse, præterea ut antiquæ hæreditates conseruentur. Quod sublatum apud Leucada, ualde popularem eorum ciuitatem effecit. non enim amplius euenit, ex taxatione census ad magistratum assumi. Sed possibile est æqualitatem quidem facultatum constitui, uerũ illas, aut ita amplas esse, ut deliciari liceat, aut ita exiguas, ut tenuiter uictum agant. Patet igitur quod non sufficiãt facultates æquatas fuisse à legislatore, sed medium coniectandum esse. Præterea si quis mediocres statuat omnibus facultates, nulla utilitas est: magis enim cupiditates adæquandæ sunt quam substantiæ: hoc autem fieri non potest, nisi sufficienter disciplina ciuitatibus adhibita sit per leges. Sed forsitan responderet Phaleas hoc ipsum se dicere. Censet enim horum duorum æqualitatem ciui tatibus inesse debere, rerum possessarum scilicet, & disciplinæ. Sed quæ tandem hæc disciplina sit, exprimendum fuit: & unam eandem esse, nihil prodest: nam fieri potest, ut sit una, eademq; discipli na, uerum eiuscemodi per quam cupidi fiant pecuniarum, aut hono ris, aut utrorũq;. Insuper seditiones oriuntur, non solum propter facultatum, uerumetiam ob honorum inæqualitates, & id diuersum in utroque: nam multitudo quidem grauiter fert possesfionum inæqualitatem, præstantes autem viri inæqualitatem honorum: vnde illud ortum est: honori incumbit tam ignauus, quàm bonus. Nõ solum uerò homines propter necessaria iniuriantur, quorum remedium putant adæquationem facultatum, ne spolient alios propter frigus, aut propter famem, uerumetiam vt gaudeant, neque concupiscant: nam si maiorem habent necessariorum cupiditatem, ob huiusmodi cupiditatis medelã, iniurias inferunt. Non ergo ob hanc solum, uerumetiã si concupiscant, ut sine molestia uoluptate fruan tur. Quod igitur horum trium remedium est? his quidem exiguum patrimonium & opificium, illis autem temperantia: tertium uerò, si qui velint per se delectari, non aliunde quàm à philosophia quærant remedium, nam cætera quidẽ hominibus sunt necessaria. Cum iniurias inferant plurimum propter superflua, non propter necessa ria, puta tyrannidem inuadunt, non ut frigus repellant (quapropter honor maximus habetur non ei, qui furem occiderit, sed ei qui tyrannum.) Phaleas itaque paruis dumtaxat iniurijs, hac sua reipubli-

publicæ constitutione occurrit. Præterea multa statuere pergit, per quæ ad seipsos recte instituti erunt, sed oportebat quoque ad finitimos, ac peregrinos omnes, vt puta, necesse est constitutam esse rempublicam ad bellicum robur, de quo ille nihil dixit. Eodem modo de facultatibus: tantas enim esse oportet, vt non solum ad ciuium usus, uerumetiam ad pericula externa sufficiant: quare nec ita magnas esse decet, ut finitimi potentiores concupiscant, quibus resisti non possit: nec rursus ita paruas, vt cum paribus, & similibus bellum nequeant sustinere: ille verò nihil determinauit. Oportet autem neque id latere, quantas facultates habere conducat: forte recta determinatio fuerit, tantas esse debere, vt lucrum superantibus bello, ob excessum afferre non possint, sed ita sint quasi nihil superacquirant: quale Eubolus considerare iussit Autophradatē, cum Atarnea obsidere vellet, vt cogitaret quanto tēpore circa expugnationem eius loci detineretur, ac existimaret illius temporis iacturam: velle enim pro minori precio iam tunc Atarnea relinquere, quæ cum dixisset, Autophradatem in suam sententiam traxit, & obsidionem prætermittere fecit. Habet igitur utilitatē exæquatio facultatum inter ciues, ne inde seditiones oriantur, verum (ut ita dixerim) non admodum magnam: nam & præstantiores conqueri possint, quasi ipsis plus habere debeant, ex quo fit ut ipsi sæpe insurgant ac seditiones concitent. Præterea improbitas hominum insatiabilis est, & primo quidem sufficere dicūt pauca, ut duo æra minuta solum, mox uerò, ubi illa sunt consecuti, plura appetunt semper, quousque in infinitum procedant: infinita est enim cupiditatis natura, ad cuius expletionem plurimi uiuunt. horum igitur principiū est magis, quàm tales facultates æquare, vt boni quidem, & æqui suapte natura viri, plusquàm sibi competat, habere non quærant, improbi autem, etsi quærant, habere non possint: hoc autem fit, si pauciores sint, nec iniuriam patiantur. Nec uerò in hac ipsa exæquatione facultatum, recte est ab eo dispositum: nam fundos, & agros exæquat solum: sed sunt seruorum quoq; armentorumq; & pecuniarum diuitiæ, & apparatus ingens earum rerū, quam supellectilem vocitamus. an igitur omnium horum exæquatio quærenda est, uel moderatio quædam mediocris, an cuncta omittenda? Videtur etiam ex ipsarum legum positione, ciuitatem exiguam constituere, siquidem artifices omnes, publici erunt, nec multitu-

titudinem augebunt ciuitatis, sed certè publicos esse eos qui publica faciunt opera oportet, quemadmodum Epidamni, & quemadmodum Diophantus quandoque Athenis constituit. De Phaleæ igitur republica, ferè ex ijs deprehendi potest, si quid ab eo bene sit dictum, aut non bene.

Hoc est quartum capitulum huius primi tractatus, in quo posteaq̃ confutauit sententias Platonis de republica, & legibus constituendis, nunc affert sententiam Phaleæ Carthaginensis, qui & ipse de repub. scripsit, atque eam refellit. Diuiditur autem in quatuor partes, quæ suis locis patebunt. Primo dicit philosophus, quod sunt aliæ respublicæ præter illas à Platone descriptas, quarum quædam sunt ab idiotis, & ignaris philosophiæ inuentæ, quædam repertę à sapientibus, & expertis in ciuili conuersatione uiris. Et tamen omnes hæ sunt vicinio res ijs, quæ nunc ciuiliter gubernantur, quàm istæ duæ: quarum vna in politia sua, alteram in libro legum attulit Plato, vt superius diximus: *ante omnia*, idest primus omnium. *Sed oportet ne id quidem*. Secunda est pars, in qua arguit legislatorem, quia non solum patrimonium est æquandum: sed multitudo etiam ciuium, & numerus filiorum, vt patet in textu. *Opus est ergo ne tales seditiosi efficiantur*, id est difficile est enim, vt tales seditiosi non efficiantur. *Quòd igitur valet*. Tertia est pars, in qua ostendit, quòd aliquid valet adæquatio patrimoniorum, sed non est totum fundamentum reipublicæ. Quod autem valeat aliquid, probat auctoritate veterum sapientum, & quarundam ciuitatum, quę tali ęqualitate vtebantur, vt Solon constituit, & Locri exemplo sunt. Et ostendit, quod vbi indifferenter ciues possessiones habebant, ciuitas valde popularis facta est: & confusio quædam in magistratibus cōstituendis. Quare adæquatio patrimoniorum non est vituperanda, sed addenda est determinatio ciuium, vt supra dixit, & etiam aliquid aliud, vt inferius ostendet, quia non sufficit eo modo constituisse rem p. *Sed est æqualitatem*. Quarta est pars, in qua refellit constitutionem Phaleæ, & aliorum similiũ, quia circa ęqualita-

litatem patrimoniorum non recte nec sufficienter dixerunt,& arguit octo rationibus,vel modis.Primum quod non sufficienter dixit Phaleas circa æqualitatem possessionum,quia non sufficit simpliciter æquare substantias: Sed oportet ita determinare, vt non excedant nimium ciues in abundantia,& delitijs,neque deficiant in necessarijs. Debebat igitur determinate dicere, æqualitatem illam & mediocritatem quandam constituere,fugiendo extrema veluti opulentiam,& egestatem. Secundo non sufficit æqualitatem constituere, & moderari exteriores substãtias,sed oportet magis cohibere cupiditatem animi,vt bene recteq; viuatur. Vnde Seneca uolenti diuitem effici,non cumulanda pecunia inquit, sed cupiditati detrahendum est. Debebat igitur Phaleas non tam æquare ac moderari patrimonia, quàm cupiditates suis legibus,& circa hoc affert responsionem Phaleæ,& eam excludit,ostendendo, quòd non sufficit ęqualitatẽ constituisse patrimonij,& etiam addidisse, quod æqualiter vterentur eadem disciplina ciuili,quia oportebat exprimere talem disciplinam,& aperte ab cupiditatibus suis & ambitione mala ciues deterrere.Tertio arguit contra Phaleam, quia nõ sufficit æquasse patrimonia ad euitandas seditiones: sed oportebat etiam constituere legem circa æqualitatem honorum,quia non solum ob inæqualitatem substantiarum,sed etiam ob inæqualitatem honorum nascuntur seditiones. Quinetiam ęqualitas honoris facit seditionem interdum apud viros præstantes, qui indignantur, cũ vident infimos homines sibi æquari in honoribus. Talis enim æqualitas existimatur inæqualitas ratione dignitatis,& secundum geometricam proportionem,de qua loquitur philosophus in quinto Ethicorum. Quarto arguit contra Phaleam tangendo tres causas,ex quibus plerunque iniuria nascitur. Nam homines non iniuriantur tantum ob necessaria vitæ,sed etiã, quia cupiunt voluptatibus frui,& molestias euitare. Primæ causæ remedium attulit Phaleas adæquationem bonorum. Sed secundæ remedium est temperantia.Tertię

philo-

philoſophiæ,& bona diſciplina,vt patet in textu . Remedium igitur circa paruas iniurias excogitauit Phaleas , non circa magnas. ergo inſuffiriés fuit legislator in ſuæ reipublicæ conſtitutione . Quinto arguit contra Phaleam, quia cum duplex ſit reipublicę inſtitutio, vna reſpectu internarum rerum, altera reſpectu externarum, ipſe interna tantum conſiderauit externa poſthabuit, & non reſpexit in conſtituenda ſua re p.ad finitimos & externos,quorum rationem habere oportebat,& prouidere,quo nam pacto,& quo belli robore externa pericula propulſari poſſent. De facultatibus quoque conſiderationem ſuſcipere debebat,vbi oſtendit philoſophus, nec ita magnas eſſe oportere,vt alliciant hoſtes ad inferendum bellum,nec ita paruas,vt illatum ſuſtinere non poſſint,vt patet in textu . Sexto arguit contra Phaleā,quia ſi adæquatio ſubſtantiarum confert in aliquo ad tollendas ſeditiones hoc accidit inter ęquales,ſed vbi ſunt pręſtantiores alijs,facile indignationes,deinde etiā diſcordiæ oriuntur, quia hi cum ſe excellentiores virtute, vel dignitate eſſe percipiant,indignantur ſi æqualia habēt . Exiſtimant enim ſe dignos eſſe pluribus atque maioribus,vt ſupra etiam de honoribus dicebatur. Igitur iſta tua æqualitas cauſa eſſe poteſt etiam ſeditionis ò Phalea,quam delere intendis,ergo inſufficiens eſt talis conſtitutio . Accedit etiam quod improbitas hominum eſt inſatiabilis . quare ciuitatem potius ſic inſtituere oportet,vt boni viri,non pluſquam ſibi competat,habere velint : improbi non poſſint . Septimo arguit contra Phaleam,quia inæquandis ſubſtantijs locutus eſt de fundis , & bonis immobilibus tantum, omiſit autem ſupellectilia,& greges, & omnino bona mobilia , ergo eſt inſufficiens . Octauo arguit contra Phaleam,quia voluit artifices publicos eſſe operarios, deſeruientes communi , & vniuerſę ciuitati,& ſic non eſſent partes : ſed inſtrumenta ciuitatis,& cum ex omni multitudine ciuitatem conſtituat,poſtea faciat artifices communes,adimit ei iſtam partem , & ita ciuitatem diminutam ac exiguam facere videtur.

videtur. *Non ergo ob hanc ſolum,* id eſt atque non ob hanc ſolum. *Cum iniurias inferunt,* id eſt iniuriantur autem maxime. *An igitur horum omnium.* Aut igitur horum omnium. Multitudinem ciuitatis, id eſt ſupplementum ciuitatis. Sunt quidam expoſitores, qui iſtas octo ſentētias decem eſſe volunt, & ſic eas ducunt ex textu philoſophi. Quicquid ſit pluribus argumentis philoſophus arguit Phaleam, & demum concludit, quod ex dictis colligi poteſt, quid boni, & quid non boni allatum eſt à Phalea in ſua re publica.

Hippodamus autem Euryphontis, Mileſius, qui & ciuitatum diuiſiones inuenit, & Pirum incidit, cum eſſet quoque in cætera vita moroſior propter gloriæ cupiditatem, vſque adeo, vt quibuſdam videretur vitæ eſſe ſuperfluæ, capillorum prolixitate, et ornatu ſumptuoſo, prætereà veſtitu frugali quidem, ſed admodum calido, non in hyeme ſolum, verumetiam in æſtate. ſtudioſus autem de omni natura eſſe volens, primus omnium, qui non in republica verſati eſſent, aggreſſus eſt aliquid dicere de optimo ciuitatis ſtatu. Conſtituit autem ciuitatem multitudine quidem decem millium virorum, in tres diuiſam partes: faciebat enim vnam partem artifices, alteram agricolas, tertiam propulſatores belli, atque arma tenentes. Diuiſit quoque regionem in tres partes, vt eſſet pars vna ſacra, alia publica, tertia priuata. Vnde cultus fieret Dijs, ſacra: unde uerò belli propulſatores alerentur, publica: quæ autem agricolarum foret, priuata. Legum quoque tres eſſe ſpecies ſolum putabat: de quibus verò iudicia fierent, totidem eſſe numero, iniuriā, damnum, cædem. Lege quoque ſtatuebat vnum iudiciarium forum principale, ad quod omnia, quæ malè iudicata viderentur reuocarentur: idque conſtituebat ex ſenibus quibuſdam delectis. Sententias verò in iudicijs, non calculis ferendas eſſe cenſebat, ſed vnumquemque iudicem tabellam afferre, in qua ſcriberet, ſi condemnaret ſimpliciter, ſententiam: ſin abſolueret ſimpliciter, vacuam: ſin partim condemnaret, partim abſolueret, id ipſum definiret: nam vt nunc quidem fit, non rectè prouiſum à lege exiſtimabat: quia cogantur homines peierare, aut hoc, aut illud iudicantes. Ferebat quoque legem, de ijs, qui vtile quippiam ciuitati reperiſſent, ut honoribus afficerentur. Filios autem eorum, qui pro patria bellando

occubuiſſent, ex publico alendos eſſe: quaſi id nondum apud alios fuiſſet lege prouiſum, nam eſt Athenis ea lex nunc, & in alijs quibuſdam ciuitatibus. Magiſtratuum uerò omnium electiones populo attribuit. Populũ aũt faciebat illa tria genera ciuium: qui verò delecti eſſent, eos reipublicæ curam habere debere, & peregrinorum, & pupillorum. Plurima igitur ac maximè digna memoratu in Hippodami conſtitutione, iſta ſunt. Sed primo dubitabit aliquis de partitione ciuium. nam & artifices, & agricolæ, & qui arma tenent, omnes in reipublicæ communione uerſantur: uerum agricolæ quidem arma non habent, artifices autem neque arma, neque agros: quare quodammodo eorum ſerui fiunt, qui habent arma. Participes igitur eſſe omnium honorum impoſsibile eſt: quandoquidem neceſſarium ſit ex ijs, qui habent arma, conſtitui belli duces, & cuſtodes ciuium, & principaliſsimos (ut ita dixerim) magiſtratus, quod ſi participes non ſunt reipublicæ, quomodo bono animo eſſe poterunt in republica? Enimuero potentiores oportet eſſe illos, qui arma tenent, ambabus partibus, id autem non facile eſt, niſi multitudine exuperent, quod ſi hoc erit, quid opus eſt alios participes eſſe reipublicæ, & ſuffragia magiſtratuum habere? Præterea agricolæ quid vtilitatis afferunt ciuitati? artifices autem eſſe, neceſſarium eſt: nam omnis ciuitas artificibus indiget, & poſſunt proficere ex artibus, quemadmodum in alijs ciuitatibus: ſed agricolæ ſi habentibus arma, victum parant, meritò eſſent pars aliqua ciuitatis: at illic priuatim habent agros, priuatimque colunt. Præterea, publicos agros, ex quibus propulſatores belli victum habere oportet, ſi ipſi ijdem colant, nõ eſſet ab agricola aliud propulſator belli, quod legiſlator eſſe uult: ſin alij quidem ab agricolis, & propulſatoribus, quartum erit membrum ciuitatis nullius particeps, ſed alienum à republica. Quod ſi quis dicat, eoſdem agricolas & proprios colere, & publicos agros, tunc fructuum multitudo non ſufficeret, ex quibus ſinguli binis domibus habeat miniſtrare: deinde, quamobrem non ſtatim ex eiſdem agris pro ſua ſorte ſibi alimenta ſumant, & propulſatoribus exhibeant: hæc ſanè omnia magnam continent turbationem. nec de iudicio quoq; rectè ſe habet lex, quæ iudicare dignum ducit ſeparatim, lite ſimpliciter ſcripta, ita ut ex iudice fiat arbiter: hoc enim in arbitrario iure, & pluribus recipitur (nam conferunt inter ſe de ſententia

tia

tia ferenda) sed in iudicijs non recipitur: imò legumlatores plerique contra statuunt, ne iudices inter se colloquantur. Deinde quomodo non erit litigiosa sententia, cum iudex debere quidem arbitrabitur, non tantum autem quantum petitor: nam si petitor viginti minas postulabit, iudicum autem vnus decem minas iudicet, aut hic quidem plus, alius quinque, alius quatuor, & hoc modo videlicet partiantur, & alij in totum condemnent, alij in nihilum: quis erit modus sententiarum concordandarum? Præterea nemo peierare cogit simpliciter condemnantem, vel absoluentem, siquidem simpliciter accusatio scripta est iustè: non enim cum absoluit, nihil debere iudicat, sed viginti minas non debere. at ille iam peierat, qui cum putet viginti minas non deberi, tamen condemnat. De eo autem, quod inuenientibus aliquid commodum ciuitati, honores aliqui tribuendi sint, nõ est tutum lege cauere, sed bono vultu talia audienda sunt solum: continet enim calumnias, & motum forsan reipublicæ. Et incidit in aliam quæstionem, & considerationem aliam: nam dubitant nonnulli, utrum damnosum sit, vel utile ciuitatibus, leges patrias mutare, si sit alia melior. quapropter non est facile dicto statim assentiri: si quidem non conducit mutare: fieri autem potest, vt inducatur aut aliquarum legum, aut reipublicæ dissolutio, tanquàm commune bonum. Sed cum in hanc mentionem inciderimus, etiã pauca de eo perstringẽda sunt melius: habet enim (ut diximus) dubitationem, & melius videri potest, ut mutationem recipiant: nam in alijs quidem scientijs hoc prodest: ceu si medicina ab institutis patriis mutetur, & gymnastica, & aliæ artes, atque facultates, quarum cum vna sit ponenda ciuilis disciplina, patet in ea quoque eandem rationem esse tenendam. Probari autem hoc dicet aliquis, & in ipsis rebus: antiquæ enim leges nimium rudes erant & barbaræ. armati siquidem ferro, incedebant Græci, & uxores emebant inuicẽ, & quotcunque uetusta iura alicubi extant, penitus rudia sunt: ceu apud Cumas de cæde lex est: si accusator multos testes inducat ex agnatis proprijs, reum esse cædis, contrà quem probatur. Quærunt autem omnino non patrium, sed bonum omnes. Putandumq; est priscos illos homines, siue ex terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati, similiter fuisse ignaros & imprudentes, ceu de terra natis dicitur: quare absurdum fuerit in eorum opinionibus per-

sistere uelle. Præterea neque leges scriptæ meliores sunt, si sint immutabiles, ut enim circa artes alias, sic etiam circa ciuilem institutionem impossibile est singula exactè scriptis comprehendere: nam necesse est, ut generaliter scribantur: at actiones circa singula existunt. Ex his ergo uidetur, & quasdam leges, & quandoq; esse mutandas: alio autem modo considerantibus, cauendum uidetur esse maximè: nam cum id fuerit, utilitatis quidem accessio parua fit: assuescere verò facile leges mutare, improbandum. Constat uerò errata quædam esse toleranda, & legumlatorum, & magistratuum: non enim tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit assuefactio superioribus non parendi. Mendax, & de artibus exemplum: neque enim simile est mutare artem atque legem: nam lex nullam vim habet ad suadendum, nisi ex more. mos autem non fit nisi temporis longitudine: quare facile mutare leges ex præsentibus in alias nouas, infirmam facere est vim legis. Præterea si mutandæ sunt leges, utrum omnes, & in omni republica, an non? & utrum à quocunque, an à quibusdam? in his enim magna est differentia: quapropter nunc quidem omittamus considerationem hanc, nam aliorum est temporum.

Hoc est quintum & vltimum capitulum huius primi tractatus, in quo refellit rem p. Hippodami Milesij, qui fuit philosophus ex insula Mileto. Diuiditur in duas partes. In prima describit quodammodo vitam, vel mores Hippodami, & deinde affert modum, & constitutionem reipublicæ scriptæ. textus est manifestus. *Morosior*, id est superfluus. *Superfluus*, id est curiosus. *Iniuriam*, id est contumeliam. *Hospitalium*, id est peregrinorum. *Sed primò dubitabit*. Hæc est secunda pars principalis capituli, in qua redarguit Hippodamum pluribus rationibus, & modis. Primum quia in illa tripartita diuisione ciuitatis non vult, quod agricolę ferant arma, nec ipsi artifices habeant arma, vel agros. Ex quo fit, vt istæ duæ partes ciuitatis sint loco seruorum, & ab honoribus, & magistratibus præsertim potioribus, excludantur. Hoc autẽ præbet materiam seditionis, atque discordiæ. Nam oportet bellatores esse potentiores illis duabus partibus, si debent à vi interna, & externa custodire ciuitatem. Hoc

autem fieri nõ facile poteſt niſi ſint multi. Quòd ſi hoc erit, ſuperfluum fuit adhibere agricolas, & artifices ad gubernationem ciuitatis, ergo illa partitio non videtur conuenienter facta. *Præterea agricolæ.* Secũdo arguit contra Hippodamum, quod non bene determinauit de agricolis, quia non apparet, vt de artificibus, quomodo ſint vtiles ciuitati, ſi agros, vt ille vult, habeant proprios. Nã ſibi ipſis proficient, & non alijs, nec propulſatoribus belli, nec ipſi rei p. *Præterea publicos.* Tertio arguit contra Hippodamum, quia cum diuiſit regionem, vnam partem voluit eſſe publicam ad nutriendos propulſatores belli. Dicit igitur philoſophus talis pars regionis, aut coletur ab ipſis met propulſatoribus, aut ab alijs, aut ab agricolis. Si ipſi met colunt, ijdem erunt agricolę, & propulſatores, quod eſt abſurdum, ſi iſta commiſceantur. Sin vero alij ſint, qui colant, nec ſint agricolæ, nec propulſatores, tunc orietur quarta pars ciuitatis, præter conſtitutionem ipſius Hippodami, qui tres tãtum attulit. Quòd ſi illa pars regionis colatur ab agricolis, qui habent fundos proprios, ſequitur, quod non poterunt tantum colere, vt ſibi & propulſatoribus ſubminiſtrent, quia ſinguli binis familijs ſubminiſtrare nõ poſſunt, & colere publicos & ſuos, id eſt proprios agros. Melius igitur erat à principio eis præſcribere, quomodo ex eiſdem agris ſibi nutrimentũ ſumerent, & bellatoribus exhiberent. Nunç vero hæc ab Hippodamo ſic diuiſa ac conſtituta non mediocré afferunt confuſionem. *Nec de iudicio quoque.* Quarto arguit contra Hippodamum. Verum ſententia, & ordinatio textus talis eſt. Nec de iudicio quoque recte ſe habet lex, cum diuidat iudices alterum ab altero diuiſim iudicãtes vnam litem ſimpliciter ſcriptam, & tamen inter ſe colloquentes vt arbitri, vel arbitratores facere ſolent in compromiſſo. Aliæ autem leges prohibent, vt iudices inter ſe colloquantur, antequam iudicent. Tu autem permittis, & prouidere facis arbitratorem: & tamen vis, vt diuiſim tabellam & ſententiam ferant. ex hoc facile ſequetur ſententia litigioſa, quia diuerſo modo de

vna & eadem re iudicabunt, vt patet in exemplo philosophi. Præterea non sequitur illud periurium ob quod euitandum Hippodamus iudices seorsum iudicare voluit. nam si quis petat simpliciter viginti minas, & decem sibi debeantur, non peierat iudex, inquit philosophus: si debitorem simpliciter absoluat, quia non iudicat debentem actori nihil debere, sed iudicat non debere viginti minas: at contra peierat, qui condemnat non debentem. *De eo autem.* Quinto arguit contra Hippodamum, quia præmia cōstituit inuenientibus aliquid, quod esset commodum ciuitati, & assignat rationes, vt patet in textu. Verum cum ex hoc oriatur quęstio, vtrum sit vtile leges suę ciuitatis mutare, si alia afferatur melior, incipit de hac re differere: & primo arguit pro ea parte, quæ vult melius esse, vt mutentur leges, & id ostēdit pluribus argumentis, deinde soluit quæstionem, concludendo, quod non sunt mutandæ leges leui de causa, præsertim omnes, aliquæ tamen mutandæ forsitan essent: si manifeste forent perniciosæ & malæ. itaque statim subdit, vtrum omnes, & in omni re publica, & reliqua, quæ patent in textu, vbi talem considerationem in alium locum, vel aliud tempus differre videtur.

De Lacedæmoniorum autem republica, & Cretensium, fere autem & de aliorum rebus publicis, duo sunt consideranda. unum, si quid recte, an non recte ad optimam constitutionem lege sit ordinatum: alterum, si quid ad suppositionem, & modum subcontrariæ ipsis suppositæ reipublicæ. Quod igitur necessarium est in bene constituenda republica, necessariorum adesse facultatem, omnes fatentur: sed quemadmodum id futurum sit, non facile est comprehendere: nam & Penestiæ Thessalorum frequenter insurrexerũt: similiter autem & Ilotes Lacedæmoniorum: nam in casibus eorum aduersis, nunquam insidiari destiterunt. Verum apud Cretenses nihil adhuc tale accidit: causa forsan est, quia vicinæ ciuitates, quãuis inuicem bellum gerant, tamen aduersus nullam rebelles bello coadiuuãt, quoniam id non conducit, quando & ipsas possessiones habent domibus eorum finitimas: at Lacedæmoniorum finitimi omnes, inimici erant, Argiui, Messenij, & Arcades: nam &

Thessalis

Thessalis ab initio rebellarunt, dum cum finitimis Achæis, et cum Perræbis,& Magnesiis gererent bellum. Videtur autem,etsi nihil aliud, attamen hoc ipsum esse cura perdifficile, quemadmodum cum eis sit conuersandum. nam si remisse erga illos te geras, insolescunt illi quidem,ac se pares dominantibus existimat: sin aspere tractentur, insidiantur, atque odio habent. Patet igitur non reperire optimum modum eos, quibus ista contingunt, erga subiectos. Præterea remissio in mulieres, & ad propositum reipublicæ nocet, et ad concordiā ciuitatis. Vt enim domus partes sunt uir & uxor, ita propemodum, & ciuitatem bifariam diuidi censendum est, in virorum multitudinem ac mulierum. quocirca in quacunque republica malè prouisum est circa mulieres, in ea putandum est medietatem ciuitatis lege esse male ordinatam, quòd ibi contingit. uolens enim legislator totam ciuitatem esse duram ac laborum patientem, in viris quidem id fecisse constat, in mulieribus autem omisisse: uiuunt enim molliter, ac in omnem licentiam dissolutæ. quare necessarium in tali repub. diuitias haberi in precio, multo magis quā si à mulieribus abstinerent: quod accidit plerisque militaribus, bellicosisq; generationibus: præter Celtas,& si qui alij coitum masculorum palàm receperunt. Videtur autem, qui primus fabulatus est, non irrationabiliter Venerem Marti coniunxisse: nam omnes huiusmodi homines proni videntur ad eā quæ masculorum, aut ad eam, quæ mulierum conuersationem. quapropter apud Lacedæmonios hoc fuit, multaq; in eorum principatu a mulieribus administrabantur. Etenim quid refert, utrum mulieres ipsæ gubernent, an eos qui gubernant, à mulieribus gubernari? idem enim accidit. Cumq; audacia ad nullum obsequium vtilis sit, nisi fortè ad bellum, maximè nociuæ etiam ad hoc ipsum Laconum mulieres erant. patefecerunt hoc in Thebanorum aduentu: non enim magis utiles præstiterunt se, quam aliarum ciuitatum mulieres, & turbam inferebant magis quam hostes. Ab initio igitur rationabiliter contigisse Lacedæmonijs uidetur in mulieres indulgentia: nam propter militiam multum temporis domo abfuerant, aduersus Argiuos, deinde aduersus Arcadas, & Messenios bellum inferentes: exercentes enim seipsos, legumlatori præstabant assuefactos, propter militarem uitam: multas enim continet uirtutis partes. Mulieres autem fertur Lycurgus deducere conatus, ad leges: at ubi repugna-

 bant,

bant, abstinuisse tandem. Causæ igitur factorum hæ sunt: quare manifestũ quod et huius peccati. Sed nos non id consideremus, cui venia danda sit, vel non danda: sed rectum ne sit, an non rectũ. Quæ autem circa mulieres non bene se habent, videntur (vt diximus ante) non solum ipsa indecentiam quandam facere in republica, sed impellere quoque ad cupiditatem pecuniæ. Post certè illa quæ nunc dicta sunt, inæqualitatem rerum possessarum, quispiam illis increpare possit. nam eorum quibusdam hoc euenit, vt magnam nimium opulentiam haberent: alijs verò vt penitus exiguam; quapropter ad paucos deuenerunt agri. hoc autem ex eo accidit, quia malè fuerat lege prouisum. emere enim, aut vendere quod habeas, ordinauit non esse honestum, & rectè id quidem. sed donare ac testamento relinquere concessit: atq; idẽ accidat necesse est per hunc modũ & illum: nam sunt mulierum ferè ex quinq; partibus totius regionis duæ, multis hæredibus institutis, & ob traditionem dotum magnarum, atqui melius erat aut nullam, aut paruam, aut mediocrem esse constitutam: nunc aũt licet donare ex testamẽto cuicunq; libuerit, etiam si nullo instituto hærede decesserit, ipse cuicunq; uoluerit, dat. Ex quo factum est ut regio sufficiens mille & quingentos equites alere: peditum aũt triginta millia, ne mille quidem totos habeat. probarunt autẽ opera ipsa prauè apud illos in hac parte fuisse prouisum: nam ne vna plaga suscepta ciuitas ea corruit, ob hominum paucitatem. Aiunt etiam per tempora primorum regum, nouos homines permultos ciuitate donatos, ob numerum ciuium (qui bello diminuti multo tempore fuerant) adaugendum. & aiunt fuisse quandoque Spartiatis decem millia. attamen siue sint ista vera, siue non sint, melius est per adæquationem possessionum implere hominibus ciuitatem. Contraria etiam quodammodo est huic prouisioni lex illa, circa prolis procreationem. Volens enim legislator quamplurimos fore Spartiatas, induxit ciues ad multitudinem procreandam. Est enim illis lex, qui tres genuerit filios, eum esse immunem à custodia: qui verò quatuor, immunem esse ab omnibus. Atqui patet, quod si multi gignantur in regione sic distributa, necessarium multos fieri pauperes. Enim verò et quæ circa Ephoros constituta sunt, prauè se habent. Hic enim magistratus, maximarum apud illos rerum potestatem habet. fiunntur autem ad eum, ex plebe omnes; quare sæpe contingit homines

valde

valde pauperes in hac potestate constitui, qui propter egestatem venales fiunt, ostenderunt, & sæpe prius, & nunc in Andrijs: corrupti enim pecunia quidam, quantum in se fuit totam rempub. euerterunt: & propter eius magistratus nimiam potestatem, ac tyrannidi parem, etiam reges ipsos populares fieri compulerunt: vt in hac quoque parte respublica læderetur. nam popularis status, ex optimate resultauit. Continet tamen rempub. magistratus ipse: acquiescit enim plebs ex eo, quia maximi magistratus capax est. quare siue per legislatorem, siue per fortunam hoc euenit, conducibiliter se res habet. Oportet enim rempub. quæ duratura sit, velle, vt omnes ciuitatis partes constent, atque in statu suo permaneant. Reges ergo propter honorem suum ita se habebunt: præstantes autem viri propter senatum, nam ea dignitas virtutis est præmium: plebs autem propter Ephoriam, nam constituitur ex omnibus. Sed oportebat hunc magistratum sumi quidem ex omnibus: non tamen per hunc modum, per quem nunc fit: est .n. nimium puerile. Præterea & iudicandi de rebus magnis, potestatem habent homines vtcunque: itaque melius esset, non secundum propriam mentem eos iudicare sed secundum literas & leges. Est etiam Ephororum viuendi modus, nequaquam conueniens proposito ciuitatis. nã Ephori quidem molliter viuunt: in cæteris autem tanta asperitas est vitæ, vt nequeant homines illam perferre, sed clam transgredientes legem, corporis voluptatibus fruuntur. Senatorum quoq; potestas non recte apud illos constituta est: nam si sint viri æqui & boni, ac sufficienter ad virtutem eruditi, dicet forsan aliquis ciuitati conducere. attamen quod per omnem vitam magnis de rebus discernendi potestatem habeant, periculosum est: est enim vt corporis, sic etiam mentis senectus. Per hunc autem modum eruditis, vt & legislator ipse diffidat, tanquam non bonis viris, nequaquam tutum. Videntur autem ij qui in hac potestate constituti sunt, dona largiendi gratificandique, ex communibus permultam facultatem habere. quapropter melius erat, eos non esse absque vlla correctione: nunc autem sunt. Videtur autem Ephororum magistratus, omnes alios magistratus corrigere: hoc autem Ephoriæ nimiũ certè permissum est munus: & non per hunc modum dicimus correctiones effici oportere. Insuper creatio ipsa senatorum, quam per suffragia faciunt perleuis est, ac ipsum petere magistratum qui eligen-

gen-

gendus sit, non rectè se habet: oportet enim & volentem, & non volentẽ ad magistratũ assumere, si dignus sit eo magistratu. Nunc autem idem facere in hoc videtur legislator, quod & in alia republica: ambitiosos enim faciens ciues, illis vtitur ad Senatorum delectum; nemo enim magistratum petit, nisi honoris sit affectator. attamen pleraque eorum quæ homines iniustè faciunt, per ambitionem & auaritiam committuntur. De regia vero potestate, vtrum melius sit eam in ciuitatibus existere necne, alia fuerit disputatio. Veruntamen melius, non vt nunc quidem, sed pro vita cuiusque regis iudicare. Quod autem ne ipse legislator credit posse se facere bonos, & honestos, manifestum est: diffidit enim, quasi non sint ad sufficientiam boni viri. Itaque legatos simul mittebant inimicos, ac salutem ciuitatis esse putabat, seditiones regum. Non bene etiam circa commessationes, quæ illi Phidicia nominant, lege constitutum est ab initio. Oportebat enim magis ex publico esse conuentum, quemadmodũ in Creta, sed apud Lacedæmonios vnusquisque conferre habet, etsi sunt quidam longè pauperrimi, qui huiusmodi sumptum nequeant sufferre. ex quo fit, vt legumlatori contrà eueniat, quàm ipse voluerit. Voluit enim ciuitatem facere popularem per commessationes: fit autem minimè popularis, ex tali legis prouisione: nam non facile est pauperibus, commessationum esse participes: more enim patrio sic apud eos definitur, vt qui commessationum particeps esse nequeat, is ad reipublicæ gubernationem non admittatur. Legem verò quæ est circa præfectos classis, et alij quidam improbarunt: & rectè quidem improbarunt: est enim seditionis causa, nam cum reges sint belli duces, præfectura illa perpetua, ferè alterum est regnum. Et simili pacto suppositionem legislatoris quis reprehendere possit, quod & Plato in suis legibus reprehendit: ad partem enim virtutis, tota ordinatio illarum legum contendit, scilicet bellicam; hæc autem vtilis ad victoriam obtinendam. Itaq; saluabantur bellum gerentes, peribant vero vbi rerum potiebantur. quoniam nec ocium agere neq; quicquam aliud exercere sciebant præstabilius, quàm rem militarem. Illud quoque erratum non sanè minus: nam putabant bona illa, quæ ad bellum pertinent, ex virtute magis, quàm ex vitio fieri, & in hoc quidem rectè: sed quod hæc potiora quàm virtutem ipsam putant, in hoc non rectè. Malè etiã circa pecunias publicas apud

Spar-

Spartiatas constitutum est: quia nec in publico habent quicquam, & magna bella gerere coacti, pecunias ægrè conferunt. nam quia Spartiatarum est plurimum agri, non scrutantur inuicem quantū quis conferre possit. & euenit legislatori contra quàm quod commodum est: nam publicè inopiam, priuatim auaritiam induxit. De Lacedæmoniorum igitur repub. in tantum dictum, sunt enim hæc quæ maximè quis reprehendat.

Hic est secundus tractatus huius secundi libri, in quo postquā superius confutauit res publicas scriptas à philosophis tam in ciuitate versantibus, quam non, vt patuit: Nunc redarguit res publicas, quæ apud homines re ipsa extabant, & putabantur bene regi & gubernari. Diuiditur autem hic tractatus in quattuor capitula: In primo redarguit rem p. Lacedæmoniorum: In secundo rem p. Cretensium: In tertio rem publicam Carthaginensium: In quarto redarguit leges scriptas à quibusdam in plerisque ciuitatibus.

Primum capitulū diuiditur in tresdecim partes, quæ suis locis patebunt, & breuibus verbis explicabuntur, quia textus satis est manifestus. In prima igitur parte dicit philosophus, quod in republica Lacedęmoniorum ac etiam in alijs, duo sunt consideranda: Vnum si quid rectè, vel non rectè sit ordinatum: alterum si quid positum sit secundum modum & suppositionem rei p. contrariæ ei, quæ proponitur: Veluti si quis constituere velit regiā gubernationem, & afferat leges conuenientes tyrannidi, vel si velit introducere rem p. & afferat leges conuenientes paucorum potentiæ. Sic enim in scientijs aliquid reprobatur, vt dicit Sanctus Thomas, aut quia non conuenit veritati, aut quia non conuenit positioni. *Quod igitur necessarium*, secunda est pars, in qua incipit refellere constitutiones Lacedæmoniorum. Idem faciet in sequētibus. Dicit igitur, quod omnes vna voce conueniunt in hoc, quod oportet in bene constituenda re p. adesse necessariorum facultatem, necessarię autem res sunt, vt serui, & subditi, uel subiecti, & huiusmodi instrumēta. Sed non facile est sic tales homines instituere

vt obsequentes sint, & in hoc reprehendit Lacedæmonios: quod nunquam inuenerant legem & modum, quo ilotę, idest homines illi montani atque agrestes eis sub diti in fide permanerent alienissimis temporibus reipublicæ. Nam in eorum rebus aduersis deficiebant ab eis sicut penestię, idest illę gentes à Thessalis: quod Cretensibus nunquam accidit tale à suis Perichijs, idest à circum habitantibus in suo territorio. *Præterea lenitas.* Tertia est pars, in qua redarguit lenitatem Lacedæmoniorum circa gubernationem mulierum, quæ nimia licentia vtebantur. textus est manifestus. *ad directionem ciuitatis.* intelligendum est ad felicitatẽ ciuitatis. *in eorum principatu, à mulieribus*, intelligendũ est quod administrabatur à viris pro voluntate mulierum. *Turbam inferebant*, idest tumultum magis inferebant, quam hostes. *in refragantes*, idest vacantes bello, nam cum vacabant bello, facile tolerabant leges, quia assuefacti erant in vita militari, vbi multæ difficultates feruntur, & obseruantia & obedientia præstatur superioribus. Mulieres vero ob malam consuetudinem in omnem licentiam dissolutæ non potuerunt deduci ad obseruantiam legum, & hæc fuit causa erroris ab initio incepti ob talẽ omissionem bonæ disciplinæ, deinde inueterati vt nulla postea prodesset medicina. Nam omne malum nascens, vt Cicero inquit, facile opprimitur, inueteratum fit plerunq; robustius. Nos vero non quærimus vtrum Lacedæmonij sint excusandi, sed quærimus, quid recte se habet, vel non habet, & reliqua, quæ patent in textu. *Post illa enim quæ nunc*. Quarta est pars, in qua redarguit inęqualitatem possessionum, quia & si legis lator venditionem possessionum prohibuit, concessit tamen, vt donare, & testamento relinquere liceret, quo fit, vt in idem incidant ciues, quia quomodocunque alienare, vt ita loquar, eis permittitur, sequitur translatio agrorum ad alios, & præsertim ad mulieres, quia multæ instituuntur hæredes viris decedentibus, & etiam quia habebant à parentibus, vel à suis magnas dotes, cum melius esset,

vt

vt haberent, vel nullam, vel modicam vel mediocrem dicit philoſophus. *licet donare*, licet donare, vel dare in coniugium mulierem hæredem etiam ſi non condat teſtamentum. *Contraria etiam quodammodo*. Quinta eſt pars, in qua oſtendit ſequi contrarium quoddam circa iſtas conſtitutiones, quia ex vna parte lex fauet proli, & generationi filiorum, ex alia iſta inęqualitas poſſeſſionum & diſtributio agrorum reddidit eos pauperes. Quòd ſi ſeruetur illa inæqualitas, & etiam plures generentur, vt intendit legis lator, ſequetur, quod multi erunt inopes & egeni in ciuitate. *At.n.& quæ circa Ephoros*. Sexta eſt in qua redarguit rem p. Lacedæmoniorum circa magiſtratum Ephororum, qui ſumebatur ex populo, & licet talis magiſtratus, aliquid vtilitatis haberet: tamen multa ſequebantur inde abſurda, & non rectè facta, vt manifeſte patet in textu. *Senatorum quoque*. Septima eſt pars, in qua philoſophus redarguit modum quo vtebantur Lacedæmonij circa magiſtratum ſenatorũ, quia per totam vitam durabant, & etiam ob alias cauſas, quæ patent in textu. *Eſt enim vt corporis ſic etiam mentis ſenectus*. Quaſi dicat etiam ſi eſſent viri boni, & ſufficienter inſtructi, tamen eſt periculoſum committere eis poteſtatem duraturam toto tempore vitæ ſuæ, quia eſt etiam ſenectus intellectus, ſicut & corporis. Vnde illud Virgilij, Omnia fert ætas, animum quoque. Senes igitur debilitantur. Notandum quod intellectus per ſe non debilitatur in ſenectute, & quando ſenex debilius intelligit, hoc non eſt ratione debilitatis intellectus, ſed ratione ſenſuum, vel virium ſenſitiuarũ deſeruientium intellectui. Et hoc non contingit cunctis ſenibus. Nam reperiuntur ſenes habentes inſtrumenta ſenſuum interiorũ phantaſiæ & memoratiue ualida & uiuacia, quod accidit plerunque ijs, qui moderatę uiuunt, & tales ſenes melius intelligunt, quam in iuuentute ob experientiam & memoriam rerum, quas experti ſunt in vita, vnde Cicero in Catone maiorẽ, Manent ingenia ſenibus, modo permaneat ſtudium & induſtria: & in ſacris litteris

ris

ris dicitur, cani hominis ſapientia eſt. *Per hunc autem modum eruditis.* Dictum eſt paulo ante, quod ſi eſſent boni viri, & ſufficienter inſtituti: tamen eſſet periculoſum, vt haberent magiſtratum & poteſtatem duraturã per omnem vitam, multo magis eſt periculoſum & parum tutum deferre talem magiſtratũ viris eo modo inſtructis, ſicut erant apud Lacedæmonios, eo inquam modo inſtructis, vt illis non confidat vel diffidat etiam legis lator. Quin etiam regem per totam vitam conſtituere noluit, quaſi timens non poſſe inueniri ſufficientem in bonitate per totam vitam, vt infra dicet. *Largiendi gratificandiq;*, ideſt videntur velle videre largi & tribuentes multa & non poſſunt cogi ad reddendam rationem poſt magiſtratum, quia durant in vita, & poſt mortem non poſſunt eam reddere. *De regia autem.* In hac octaua parte redarguit conſtitutionem latam de regibus. Nam & ſi diſputatio vtrum regnum ſit melius, an non, in alium locum differatur, tamen ſuppoſitio, quod ſit melior regia gubernatio, nõ eſt eo modo melior, vt erat apud Lacedæmonios. Quin etiam legis lator quaſi diffideret non poſſe reperiri ſufficientes, & ideo bonos viros, inſtituit legatos, qui regibus in expeditionem euntibus, & gerentibus bellum aduerſarentur, quandocunque opus eſſet, & materiam dedit alendi ſeditiones, vt patet. *Non bene etiam circa commeſſationes.* Nona eſt pars in qua redarguit conſtitutionem de commeſſationibus, & conuiuijs, quæ publicæ fiebant, ex qua ſequi videbatur detrimentum populi & pauperum, præter intentionem legis latoris, vt manifeſte patet in textu. *Legem uerò.* Decima eſt pars in qua redarguit conſtitutionem Lacedæmoniorum circa præfecturam claſſis, vt manifeſte patet in textu. *Et ſic ſuppoſitioni legis.* Vndecima eſt pars, in qua oſtendit, quod iure quis reprehendere poteſt, id quod legis lator ſupponebat tanquam finem, videlicet, quod dirigebat legem ad vnam partem uirtutis, ideſt ad bellicam pro tuenda patria, ex quo ſequebatur quod Lacedæmonij neſciebant vti ciuili vita, & paci accommodata, ſed

milli-

militari tantũ. *Illud quoq;*. Duodecima est pars, in qua redarguit Lacedæmonios, quod existimabant bona ad bellũ pertinẽtia, seu sit fortitudo, seu victoria, seu aliquid aliud potiora esse, quam virtutem. Hoc aũt non est verũ dicit philosophus. Nam prudentia & iustitia sunt virtutes digniores, & bellum est propter pacem. Non enim bellum geri debet propter bellum: Sed vt M. Tullius inquit, pro repellenda iniuria, vt sine ea in pace viuatur. *Male etiam*. Tertiadecima est pars, in qua redarguit Lacedęmonios, quia non habebant publicam pecuniam, nec ęrarium publicum, sed eueniebat vt haberent publicè egestatem, priuatam auaritiam, præter intentionem legis latoris, & reliqua, quæ patent in textu.

Cretensium verò respub. huic finitima est. Habet autem pauca non deterius quidem, sed plurima minus nitidè. Enimuero videtur & fertur Lacedæmoniorum respub. in plurimis imitata Cretensem. vetusta autem pleraque rudiora sunt nouis. Ferunt enim Lycurgum post dimissam Charilli regis tutelam, cum longo tempore peregrinaretur in Creta, tunc plurimum temporis fuisse diuersatum propter cognationem: erant enim Lyctij Lacedæmoniorum coloni: susceperant aũt ij qui in eam coloniam venerant, instituta legum, quæ tunc in antiquis habitatoribus obtinuerant. quapropter & nunc accolæ eodem modo illis legibus vtuntur, quomodo eas Minos constituit primus. Videtur autem hæc insula ad principatum Græciæ nata, ac perclarè sita. cuncto nanq; imminet mari cum ferè Græci omnes, circum mare sint positi: abest. n. hinc modicũ à Peloponneso, illinc verò ab Asia, à loco qui circa Triopium & Rhodum. Quare imperium maris obtinuit Minos, ac insularum alias subegit, alias vero dudum incultas habitari fecit. tandem Siciliam aggressus, circa Camerinam defunctus est. Habet autem cõuenientiam Cretica institutio cum Laconica: nam agriculturam exercent, apud hos quidem Ilotes, apud illos vero Periæci, id est accolæ. Et cõmessationes sunt apud vtrosque: & antiquitus nuncupabant Lacedæmonij hæc non Phiditia, sed Andria: quemadmodum Cretenses. ex quo palam est inde prouenisse. Insuper autem & reipub. institutio. Ephori nanq; eandem vim habent, quam in Creta ij qui Cosmi appellantur. nisi quod Ephori numero quinque sunt Cosmi autem decem

cem. Senatores autem, pares sunt Senatoribus, quos vocant Cretes consilium. Regia autem potestas, fuit primo apud Cretas, postea illam sustulerunt, imperio in bello ad Cosmos translato. Concio autem omnibus communis est, sed aliam nullam habet autoritatem, quàm ea comprobandi quæ à senatoribus, & Cosmis fuerint ante decreta. Quæ igitur de commessationibus constituta sunt, melius se apud Cretas, quàm apud Lacedæmonios habent. nam apud Lacedæmonios vnusquisq; certum quid in singula capita taxatum soluit, quod nisi faciat, à repub. lex repellit, vt prius diximus. at in Creta communius est: ex cunctis .n. qui oriuntur fructibus & armentis, ex publicis & ijs allationibus quas ferunt accolæ, diuisio fit, vt pars vna ad Deorum cultum, & ad publica onera, pars ad commessationes deputetur. atque ita fit vt ex publico educentur omnes, & mulieres, & pueri atque viri, ad temperantiam autem cibi, quasi vtilis sit, multa legislator philosophatus est, & de mulierum diuortijs, de earum congressione ad viros, ne superfluam pariant multitudinem, etiam prospexit. quod vtrum prauè, an non prauè constitutum sit, aliud erit considerandi tempus. sed quod circa commessationes melius prouisum sit apud Cretas quàm apud Lacedæmonios, manifestum est. Ac circa Cosmos deterius, quàm circa Ephoros: quod enim mali habet Ephororum magistratus, id est & in illis: sumuntur enim quiuis sed quod in his prodest reipub. illic non est. nã hic quia ex omnibus assumptio est, particeps populus amplissimi magistratus, vult manere rempublicam: illic autem non ex omnibus sumuntur Cosmi, sed ex quibusdam familijs, & senatores ex ijs, qui iam Cosmi fuerunt: De quibus idem dici potest, quod de ijs qui apud Lacedæmonios fiunt. nã esse liberum magistratum atque perpetuum, maius est munus, quàm dignitas eorum mereatur. & non secundum legem scriptam iudicare, sed secundum quod sibi videtur, periculosum est. Quiescere autem plebem non participantem, nullum signum est bene constitutæ ciuitatis. Nec quicquam susceptionis fit Cosmis, quemadmodum Ephoris: abeuntq; per insulam longè à contendentibus. Medicina verò quàm huic delicto adhibent, ridicula est, nec ciuilis, sed potentatus: sæpenumero enim aut collegæ illorum, aut priuati homines insurgentes, per seditionem Cosmos expellunt. Licet autem Cosmis seipsos magistratu abdicare: enimuero hæc omnia præstabat lege

fieri

fieri, quam pro hominum voluntate: non enim secura est regula. Omnium verò deterrimum potentium à cosmatu depositio, quam sæpe concitant, cum non sententias dare volunt. qua etiam ratione manifestum est, habere illam institutionem aliquid reipublicæ, sed non esse rempublicam, at potentatum magis: consueuerunt autem concitata plebe & amicis, ad unius arbitrium rem conficere, seditionesque & prælia inter se miscere. at uerò id quid differt ab eo quod tandem ea ciuitas non sit, dissoluta ciuili societate? Est autem periculosus hic reipublicæ status, si qui velint, possintque inuadere. sed (vt supra diximus) seruatur propter locum: procul enim aduenas expulit: quapropter accolæ manent Cretensibus: verum Ilotes persæpe à Lacedæmonijs defecere. non. n. erat in Creta externorum vllus principatus: sed nuperrimè bellum peregrinum irrupit in illam insulam, quod patefecit imbecillitatem legum suarum. De hac igitur republica, hæc dixisse sufficiat.

Hoc est secundum capitulum huius secundi tractatus, in quo posteaquam reprehendit rem p. Lacedæmoniorum, nunc reprehendit rem p. Cretensiũ, comparando eas inuicem. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes, quæ suis locis patebunt: In prima autem parte dicit philosophus, quod respublica Lacedæmoniorũ in multis imitata est Cretẽsem & est ei similis, & assignat rationem, & narrat quod Lictij gens vna Cretensiũ fuerunt Lacedæmoniorum coloni, & isti susceperunt vetustas constitutiones antiquorum habitatorum, similiter Pericij, idest circum habitantes iuxta ciuitatem Cretensium illis legibus vtuntur, scilicet vetustis, quas constituit Minos rex huius insulæ in eo mari pręclarissimę sitæ. Deinde ostendit nonnulla in quibus conueniunt hæ respublicæ Lacedæmoniorum atq; Cretensium, & alia quibus differunt. textus patet. *Quæ igitur de commessationibus.* Secunda est pars, in qua comparat ambas res publicas, & ostendit in quibus alteri altera præstat. Primum circa commessationes, deinde circa magistratus, idest circa Cosmos & Ephoros. Nam apud vtrosq; poterat sumi quiuis siue studiosus, siue non. Verum apud Lacedæmonios poterat sumi quiuis ex qualibet condi-

tione hominum: apud Cretenses non ex qualibet conditione hominum, sed ex determinatis familijs: vtrique pręterea erant reprehendendi ob durationem magistratus per totam vitam, & quia ad arbitrium nō secundum scriptas leges iudicabant, postea refellit quandam responsionem, quam facere possent Cretenses, dicendo, quod & si non sint omnes participes magistratus, tamen hoc non obstat, quin sit bene instituta respublica, cum appareat populum propter hoc non moueri. Sed quiescere. Dicit autem philosophus, quod hoc non est verum signum. Talis enim quies & tranquillitas reipublicæ ex alia causa procedit. Nam Cosmi non habent aliquid ad subministrandum bello, sicut Ephori, nec habent populos vicinos gerentes bella, cum sint in insula constituti. Nam si haberent aliquos propinquos, sicut habent Lacedæmonij, ipsos Argiuos, Messenios, & huiusmodi, non quiesceret plebs à magnis honoribus exclusa, sed forsitan turbaret omnia cum ingenti periculo ciuitatis: nunc autem quiescit per accidens: non autem per se, cum sit ei talis occasio erepta propter locum, qui omnes aduenas & peregrinos hostes excludit. Denique redarguit remedia, quibus vtebantur contra Cosmos, ostendens, quod neque per vim neq; per abdicationem magistratus ad libitum hominum, sed per legem, remedium erat adhibendum. Narrat ēt ea quæ sunt maximè reprehendenda in illis, & ostendit, quod conseruatio eorũ magis à loco, q̃ à legibus stabilitatem habuit, atq; hoc patefactum esse dicit nuperrime ex peregrino bello, *ad temperantiam cibi*. i. ad sobrietatẽ, vel ad parsimoniā.

Videtur autem Carthaginensiũ respub. bene constituta, multaq; habere prater alias, quædam verò maximè similia Lacedæmonijs. tres .n. istæ respublicæ quodammodo inter se proximæ sunt; multumq; distant ab alijs, Cretica dico, & Laconica, & earum tertia Carthaginensium, multaq; apud illos prouisa sunt rectè. Signum autem reipublicæ bene institutæ est quod populus manet in institutione reipublicæ, neq; seditionem vllā (quod dictu dignum sit) vnquam fecit, neq; tyrannũ. Continet aũt similia Lacedæmoniorũ rei *publicæ*

publicæ, commessationes quidem sodalitiorum, Phiditijs. centum autem & quatuor uirorum potestas, Ephoris; præterquam quod non deterior; nam illi ex quibuscunq; sunt, hanc autem potestatem suscipiunt optimates. Reges verò & senatus, conueniunt Lacedæmoniorum regibus & senibus. melius autem, quod reges non secundum genus, neque id temerè, sed si quid præstantius est eorum qui eliguntur, quàm quod affinitas afferat, aut ætas. nam qui magnam habent potestatem, si ipsi nullius precij sint, multum nocent: nocueruntque iam Lacedæmoniorum ciuitati. Plurima igitur eorum quæ reprehendi solent, propter transgressionem, communia sunt omnibus antedictis. Sed quantum ad intentionem optimatum attinet, & reipublicæ, quædam ad popularem statum magis declinant, quædam ad paucorum potentiam. nam referendi quidem ad populum, aut non referendi aliqua, reges vnà cum senatu domini sunt, si omnes concordent: si non concordent, dominus ipsorum, populus est: quæcunque autem retulerint magistratus, non probandi modo sententias, quæ magistratibus visæ sint, potestas permissa est populo, verumetiam pro arbitrio constituendi prouidendique, & cuiuis contradicere relatis eorum licet: quod non est in alijs rebus publicis. quinqueuiratum verò qui multarum, ac magnarum rerum potestatem habet, ab illis eligi, & centumuiratum hos eligere qui est maximus magistratus, & hos pluri tẽpore quàm alios imperium retinere (nam & perfuncti magistratu, imperant, & designati ad magistratum) ad paucorum potentiam spectat. esse autem sine mercede, & sine electione quæ sorte fit, optimatum est ponendũ, & si quid aliud tale: & iudicia omnia à cunctis magistratibus iudicari, & non ab alijs alia, ut apud Lacedæmonios. Transgreditur autem maximè ab optimatibus ad paucorum potentiam institutio Carthaginensium, secundum quandam intelligentiam, ea ratione quam etiam multi comprobant. non solum .n. optimos, verumetiam ditissimos censent in magistratibus esse ponendos, quasi impossibile sit qui egenus existat, eum bene magistratum gerere, & quietem agere. si igitur sumere diuitem, paucorum potentiæ est: per virtutem autem, optimatum; ista quidem fuerit species tertia, per quam constituta est apud Carthaginenses respublica. erant .n magistratus ad hæc duo respicientes, & præsertim maximos, vt reges & duces bellorum. Putandum est autem huiusmodi

excessum ab optimatibus, esse errorem legis conditoris. nam ab initio prouidisse, ualde necessarium fuit ut optimi ualerent quietem agere, nec quicquam indecorum facere, non solum in magistratu, sed nec etiam in uita priuata. Quod si inspicere oportet ad opes gratia quietis, prauum est maximos magistratus esse uenales, regnũ & belli ducatum. haec.n. lex preciosas magis facit diuitias quàm uirtutem, ac ciuitatem totam ad studium pecuniarum conuertit. nam quicquid apud ciuitatis principes habetur in precio necessarium est & aliorum ciuiũ opinionem subsequi: vbi autem non maximè honoratur uirtus, ibi non est possibile firmum optimorũ esse in republica statum. assuescere uerò ad lucra rationabile est uendendo, quando per largitionem adipiscuntur dignitates: absurdum est enim si pauper quidem aliquis, verum bonae mentis, lucrari velit, improbior autem non velit, cum sumptus fecerit. quocirca oportet eos qui possunt optimè gerere magistratum, ad magistratum assumere. satius quoque fuisset, si autor legis opulentiam praestantiae bonorum virorum prouidisset, ac eorum qui in magistratu forent, quieti prospexisset. Prauum etiam videri potest, plures magistratus ab vno homine geri: quod in honore est apud Carthaginenses. vnicum enim ab vno optimè perficitur opus: Hoc autem vt fieret, prouidendum fuit a legislatore, atque iubendum non eundem tibicinem esse, atque sutorem. quare vbi non parua est ciuitas, magis ciuile est, vt plures sint participes magistratuum, magisque populare. communius enim (vt diximus) & melius singula conficiuntur, atque celerius. Patet autem hoc in bellicis rebus & nauticis. in his enim ambabus per omnes (vt ita dixerim) transit imperare & parere. Sed cum ad paucorum potentiam vergat respublica, optime illud effugiunt, vt semper aliqua plebis pars ditetur, ad oppida mittentes. per hoc enim arbitrantur, ac efficiunt statum ciuitatis permanere. sed hoc est fortunae opus. oportebat verò non per fortunam sine seditionibus esse, sed per legislatorem id fieri. nunc autem si aduersa fortuna quaepiam incidat, & plebs à gubernatoribus secedat, nullum est remedium legis ad quietem adhibitum. Lacedaemoniorum igitur, & Cretensium, & Carthaginensium respublicae, quae meritò insigniores habentur, in hunc modum se habent.

Hoc est tertium capitulũ huius secundi tractatus, in quo

quo postea quam redarguit rem p. Cretensium, nunc redarguit rem p. Carthaginensium, & licet antea reprobasset Phaleam Carthaginensem, tamen ibi reprehendit illius scripta: hic autem redarguit constitutiones vigentis & extantis rei p. quæ tamen videbatur habere multā bene, recteque considerata. Diuiditur hoc capitulum in duas partes principales, quæ patebunt. In prima igitur comparat istam rem p. cum duabus præcedentibus, de quibus locutus est, & ostendit in multis conuenire cum Lacedæmonijs, & circa commessationes, & circa reges. textus est manifestus, nisi quod quorundam nominum sensus est explicandus, *vt ita dixerim*, idest dignā memoratu. *Imperator uerò*, idest rex, & etiam inferius, vbi dicit imperatorem, idest regem. Nam Carthaginenses, vt ferunt, iam habuerunt reges. commessationes vero appellarunt sodalium conuictus. *Melius autem*, idest melius est reges non esse ex vno & eodem genere. Plurima igitur reprehensorum. Hæc est secunda pars, in qua refellit quasdam constitutiones dictæ rei p. idest Carthaginensium. Diuiditur autem in tres particulas, quæ suis locis declarabuntur. In prima igitur particula dicit philosophus, quod plurima sunt cōia his tribus rebus publicis, quę quis reprehendere posset, sed quantum spectat ad intentionem, idest ad suppositionem legis latoris constituentis rem p. Carthaginensium, cuius intentio erat constituere gubernationem optimatum, & reipublicæ, ipse declinat ad labes, quia suarum constitutionum quædam magis tendunt ad popularem statum, quædam ad paucorum potentiam. Nam cum imperatores, idest reges & senatus conueniunt in aliquibus negocijs publicis, sunt domini talium, & possunt referre, vel non referre, vt eis placet, & hoc declinat ad paucorum potentiam. Cum vero non conueniunt, oportet talia referre ad populum, & tunc populus est dominus comprobandi, & etiā iudicandi, & contradicendi, & hoc declinat ad popularem statum. Nam quæcunque retulerunt magistratus, idest quæcunque

referant magistratus,eorum non solũ audiendi potestas permissa est populo : sed etiam iudicandi,& cuiuis licet relatis illorum pro arbitrio contradicere. Præterea erant plures magistratus quinq; virorum, qui eligebantur ab illis,scilicet ab rege & senatu, hoc etiam spectat ad paucorum potentiam: esse autem sine mercede & sortitione, ad optimates, vt patet in textu. *Transgreditur autem*,ostendit philosophus, quod alio etiam modo declinat respublica Carthaginensium ad paucorum potentiam, quia non solum studiosi sumuntur ad magistratus, sed etiam diuites. Quòd si sumere diuites ad magistratus, est paucorum potentiæ, & sumere studiosos est optimatum, Carthaginenses videntur ex ijs duobus facere tertiam speciem reipublicę. ergo non erat optimatum. *Imperatores & prætores*, idest reges & duces exercituum. *Excessum*, idest egressum, vel discessum. Assignat .n. rationes, quibus mouebatur legis lator ad ponendas huiusmodi constitutiones, atque eas reprehendit, vt patet in textu. *Cum sumptus fecerit*, scilicet pro adipiscendis honoribus. *Probabilius*, idest melius. *Prauum etiam videri.* Secunda est particula,in qua reprehendit rem p. Carthaginensium, quia eorum leges tollerabant plures magistratus ab vno geri, & administrari, textus est manifestus. *Vt ita dixerim*, idest ut summatim dicam. *Sed cum ad paucorum*. Tertia est particula,in qua ostendit illud remedium inuentum ad effugiendam seditionem populi, si proderat reipublicæ, hoc accidebat, & non erat sufficiens,nec firmum remedium. Nam melius erat per prudentiam legis latoris opportunum remedium adhiberi, vt patet in textu.

Eorum autem qui de repub. aliquid tradiderunt,quidam nunquam versati sunt in gubernatione ciuitatis,ne vlla quidem,sed in priuata vita ociosi vixerunt:de quibus si quid dignum relatu fuit, de omnibus ferè suprà diximus.Quidam autem legumlatores fuerunt,gubernaueruntque hi quidem in proprijs ciuitatibus,illi verò in alienis:& horum quidam solummodo legum authores fuere,quidam etiam reipub.constituendæ,veluti Lycurgus et Solon: hi enim

leges

leges & respub. condidere, Lycurgus quidem Lacedæmoniјs, vt dictum est: Solon autem Atheniensibus. Existimant autem quidam, Solonem legislatorem fuisse præclarum: nam & paucorum potentiam sustulisse, quæ nimis intemperans erat: & plebem à seruitute liberasse, ac statum popularem in patria constituisse, optimeque rempub. temperasse. nam esse consilium Ariopagi, paucorum gubernationis est: delectus verò magistratuum, optimatium: iudicia verò, populare. Sed videtur Solon illa duo (cum essent prius) non sustulisse, consilium Ariopagi, & magistratuum delectus: ac popularem statum constituisse, ex omnibus iudicia efficiens. Quapropter quidam illi succensent, quod alterum dissoluerit, cum authoritatem omnem ad iudicium traduxerit, quod per sortitionem est. nam cũ hoc inualuit, tanquam tyranno gratificantes populo, in eum qui nunc est popularem statum, rempub. redegerunt, & consilium Ariopagi Ephialtes inhibuit, & Pericles: iudicibus uerò salaria Pericles indixit. ac per hunc modum vnusquisque eorum qui apud plebem posse uoluerunt, populi uim augere perseuerarunt, donec in istam quæ nunc est populi licentiam peruenit. Apparet autem hoc non tam Solonis voluntate, quàm casu euenisse: naualis enim potentiæ aduersus Medos, cum populus causa fuisset, maiora de se sapere cœpit, & accepit patronos seditiosos, contra bonos & honestos ciues, qui rempub. gubernabant. cum uideatur quidem Solon eam quæ maximè necessaria fuit potestatem, populo tradidisse, ut magistratus crearet, & malefacta corrigeret. nisi enim populus hanc habeat potestatem, seruus erit & inimicus. At magistratus omnes constituit ex nobilibus & locupletibus, ex censu quingentorum modiorum, & iugerum: & tertio fine, qui equestris nominatur. quod autem quartum est, seruile, & ex opificibus sordidis, quibus nullum magistratus assequendi ius erat. Fuerunt autem legum positores Zaleucus, apud Locros occidentales, & Charondas Cataniensis ciuibus suis, cæterisq; ciuitatibus Chalcidicis, quæ sunt circa Italiam & Siciliam. Tentant uerò quidam inducere, quasi Onomacritus fuerit primus legum ferendarum peritus: hunc uerò exercitatum in Creta (cum esset Locrus) profectus autem ad Thaletem, per artem diuinationis, eius familiarem fuisse. Thaletis autem auditorem fuisse Lycurgum & Zaleucum: Zaleuci autem Charondam: sed qui ista dicunt, tempora non supputant.

Fuit enim Philolaus Corinthius legumlator Thebanis. erat autem Philolaus ex familia Bacchiadum, amicus vero Dioclis, qui in Olympijs vicit, sed vbi ille ciuitatem deseruit, commotus ob amorem matris Alcyones, Thebas migrauit, atque ibi ambo defuncti sunt, monstrãturque etiam nunc illorum sepulchra, quæ ab inuicem facilè spectantur: sed hoc quidem à regione Corinthiorum conspici potest, illud vero minimè potest conspici: fabulantur enim ita esse constituta, vt ex Dioclis quidem sepulchro non sit prospectus in Corinthium agrum, ob animi infensionem: ex Philolai autem sit prospectus. Habitarunt igitur ob huiusmodi causam apud Thebanos: legesque illis Philolaus descripsit, & de alijs quibusdam, & de sobole procreanda: quas illi leges proletarias appellant. Et hoc est præcipuè ab illo prouisum, vt numerus hæreditatum conseruetur. Charondæ autem nihil est proprium, nisi mulctæ falsorum testium. Primus enim de his legem posuit: diligentia autem, & claritate etiã elegantior, quàm ij qui nunc sunt legum conditores. Philolai proprium est, patrimoniorum disparitas. Platonis autem, mulierum, & natorum, et patrimoniorum communitas, & comessationes fœminarum, & præterea lex circa ebrietatem vt qui præsides sunt conuiuiorum, sobrij sint. & in rebus bellicis exercitatio, & per quam ambidextri fiant per exercitium cum oporteat non alteram manum vtilem, alteram inutilem habere. Draconis quoque leges sunt: sed iam constituta republica leges tulit. Proprium autem Draconis est nihil, quod sit memoria dignum, nisi rigiditas, ob magnitudinem pœnarum. Fuit quoque Pittacus legum conditor, sed non in republica versatus. Lex est propria illius, ebrios, si quem pulsauerint, maiori pœna damnari, quàm si sobrij fecissent. quod enim plures delinquunt ebrij quam sobrij, non ad id respexit, quòd magis esse debeat ebrijs venia: sed ad vtilitatem. Fuit etiam Androdamas Rheginus legum cõditor Chalcidensibus qui sunt in Thracia, de homicidio, & de hæreditatibus: nihil tamen huius proprium referre quis potest. De ijs ergo rebuspublicis quæ principales sunt, & de ijs quæ sunt ab aliquibus scriptæ in hunc modum consideratum fuisse sufficiat.

Hoc est quartum capitulum huius secundi tractatus, in quo philosophus ostendit, quod eorum, qui de re ciuili tradiderũt, quidam in ocio & quiete vixere, vt Plato,

Phaleas, Hyppodamus: quidam in rei p. gubernatione versati sunt. Horum rursus fuere quidam legum solum modo conditores: quidam & leges posuerunt, & respublicas constituerunt, vt Lycurgus, & Solon: de quorum legibus, & institutionibus multa narrat, textus est manifestus. *Ariopagus*. A Marte dictus est, consilium erat continuum. Fabulis traditur Martem cum Neptuno in certamen venisse, & cum retulissent controuersiam ad iudicium Iouis, ille recusauit, dixitq́; ite ad Athenienses. Hi iudicium tulerunt contra Martem: ex quo indignatus Mars in eo loco fixit hastam trementem, innuens illis semper bella: Neptunus vero vndas prębuit. Ita enim fabulæ tradunt: & sit finis libri secundi.

DONATI ACCIAIOLI
FLORENTINI
IN III. POLITICORVM
ARISTOTELIS,
Explanatio.

Q*VI de republica conſiderat, quæ ſit vnaquæque, & qualis, ferè prima illi conſideratio occurrit videre, quid ſit ciuitas. nam ea nonnunquam in cõtrouerſiam venit, cum alij dicant a ciuitate factum, alij non à ciuitate, ſed à potentibus quibuſdam, vel à tyranno. ciuilis autem viri ac legum poſitoris, totum negotium uerſari videmus circa ciuitatem. Eſt autem reſpublica, eorum qui in ciuitate degunt: inſtitutio quædam.*

HIc eſt tertius liber Politicorum, in quo philoſophus poſteaquam tractauit de rebus publicis aliorum tam ſcriptis, quàm exiſtentibus, in quibus bene vel non bene ſe habent: nunc affert ſentẽtiam ſuam adducendo plures ſpecies rerum publicarum, & etiam earum labes, vt in ſequentibus apparebit. Diuiditur autem hic liber in tres tractatus: in primo declarat, quid ſit ciuis, & ipſa omnino ciuitas: in ſecundo affert plures ſpecies rerum publicarum, & earum labes in genere: in tertio particulariter, & exacte declarat regiam gubernationem, quæ eſt prima ſpecies reipublicæ.

Primus tractatus diuiditur in duo capitula: in primo oſtendit, quid eſt ciuitas per declarationem ipſius ciuis: in ſecundo quærit, vtrum ſit eadem virtus boni ciuis, & boni viri.

Primum capitulum diuiditur in duas partes: in prima

ma declarat quid ſit ciuis, & ciuitas: in ſecunda affert quaſdam dubitationes ad hanc materiã pertinentes. Prima pars rurſus diuiditur in ſex particulas, quæ declarabuntur. In primis igitur oſtendit philoſophus, quod ad eum, qui de republica conſiderat, pertinet videre quid ſit ciuitas, & aſſignat rationes. nam interdum accidit, vt cum aliquid fit in ciuitate, quæritur vtrum à ciuitate factum ſit, an à potentibus quibuſdam ciuibus, vel à tyranno. Præterea totum negotium gubernatoris reipublicę vertitur circa ciuitatem: videndum eſt igitur, quid ſit ipſa ciuitas.

Cum verò ſit ciuitas compoſitum quiddam, quemadmodum alia tota ex pluribus partibus conſiſtentia, manifeſtum eſt primò de ciue eſſe perquirendum. nam ciuitas, eſt ciuium multitudo quædam: quare & quem oporteat ciuem vocari, & quid ſit ciuis, eſt conſiderandum: nam de ciue ſæpe contenditur, nec eundem omnes fatentur ſemper eſſe ciuem, & qui in populari ſtatu ciuis eſt, perſæpe in paucorum gubernatione non erit ciuis.

Secunda eſt particula, in qua oſtẽdit, quod ſi volumus percipere, quid ſit ciuitas, quærendum eſt prius, quid ſit ciuis: probatur, cognitio totius oritur ex cognitione partium: ſed ciuitas eſt quoddam totum ex ciuibus tãquam ex partibus conſtitutum, ergo oportet ad hoc, vt cognoſcatur ciuitas, cognoſcere quid ſit ciuis. Prçterea ob aliã rationem oportet conſiderare de ciue, quia de eo ſæpe diſſeritur. Nam interdum, qui in vna ſpecie gubernationis ciuis dicitur, in alia non dicitur.

Eos igitur, qui alio quodam modo hanc appellationem ſortiuntur, ceu eos, qui ciuitate donati ſunt, omittamus. nec habitatio ciuem facit: nam iſto modo aduenæ, & ſerui ciues eſſent, cum habitatione communicent. nec rurſus hoc pacto, qui fori ac iudicij ius habent: nam hoc exiſtit etiam illis, qui ſimul contrahunt, cũ per contractum forum ſortiantur: quãquam multis in locis peregrini ne id quidem perfectè habeant, ſed neceſſe eſt, vt patronum accipiant. Ex quo fit, vt imperfectè quodammodo ſint fori, iudiciorumque participes, ſed vt pueri nondum ob ætatem inſcripti, & ſenes à muneribus publicis vacantes, non multum ſimpliciter ciues

dicendi,

dicendi, sed cum adiecto, illos quidem imperfectos, hos autem transactos, aut quippiam aliud adiungentes. At nos quærimus eum qui simpliciter ciuis dicatur, nec habeat aliquam adiunctionem, quæ restringat, et corrigat: quoniam etiam de infamibus, & exulibus eodem modo (vt supra) dubitari, & responderi potest.

Tertia particula excludit eos, qui non sunt proprie, & simpliciter ciues, sed per similitudinem quandam, vt sunt aduenæ, & peregrini, qui suscipiũtur in ciuitatibus, & nomine, non autem re, sunt appellandi ciues. Non.n. habitatio facit ciuem, excludit etiam eos, qui eodem foro vtũtur, & eidem foro subiiciuntur, quia cõpetit etiam hoc quibuscunq; contrahẽtibus. Quare talis communicatio eiusdem fori non facit esse ciuem. Quia etiam in plerisq; locis peregrini non gaudẽt tali cõmunicatione iuris, & fori, nisi vadem constituant, & patronum accipiant, qui vere & simpliciter sit ciuis. Non sunt tales appellandi ciues cum non sint ciuilitatis participes. Nec etiam pueri, vel senes vacantes à muneribus ciuitatis, nec exules proprie appellantur ciues, sed quodammodo ciues, & secundum quid. Nos autem quærimus exacte, & absolute ciuem omni exceptione remota. *Ministri*, idest peregrini. *Patronum accipiãt*, idest vt vadem dent, & patronũ accipiant. *Quæ restringat*. i. que correctione indigeat.

Ciuis simpliciter, nulla alia re definitur magis, quàm participatione potestatis publicæ, iudicandi atq; gerendi magistratus. Magistratuum autem alii sunt determinati secundũ tempus, ita vt non liceat interdum, nisi semel eundem habere: aut per alia tẽporis spatia, alij sunt indeterminati: ceu illius qui iudicat, & qui concionatur, quanquam fortasse diceret aliquis, tales non esse in magistratu constitutos. Atqui ridiculum fuerit, eos qui maximè principantur, magistratum dicere non habere. Sed nihil referat: nam de nomine est quæstio: est enim absque nomine publica potestas iudicantis decernentisque in concione, & nondum inditum quo pacto oporteat vtrunque nominare. sed sit definitionis gratia indeterminatus magistratus. Ponimus autem eos esse ciues, qui huius potestatis vnà cum alijs participes sunt. maximè igitur propriè ciuis super omnes, qui ciues dicuntur ferè talis est.

Quarta

Quarta eſt particula,in qua affertur diffinitio, vel deſcriptio ciuis proprie dicti.Nam is dicitur ſimpliciter ciuis,qui eſt particeps iudicij,& magiſtratus, vel principatus,& quia poſuit principatum,vel poteſtaté in hac diffinitione, & talis multiplex eſſe poteſt, ideo diſtinguit principatus,vel poteſtates,& oſtendit,quod aliquæ ſunt determinatę,vt ſemel in vita contingant,vel aliquo intercedente temporis interuallo, quædam vero indeterminatę,quas ſemper adire licet,vt eſt concionator & iudex. Nam quilibet ciuis ſemper poteſt iudicare,cum cauſæ aguntur ad populum. Similiter conſilium reddere, quãdo fit concio,& de republica agitur.Quòd ſi quis diceret non eſſe principatũ vllum,ſcilicet habere ptãtem iudicandi,& conſulendi,non recte ſentit inquit philoſophus. Verũ hæc munera non videntur principatus, quia non habent nomen aliquod cõe repræſentans conceptũ cõe,tamen publica eſt poteſtas,ſed dicatur indeterminata poteſtas,cuius participes dicentur ſingulariter ciues. Proprie igitur diffinietur ciuis ante oẽs alios,qui de oĩbus ciuibus predicari põt,cui tribuitur participatio talis poteſtatis.Cuncti.n.recte appellantur ciues,qui poteſtatem habent iudicandi & conſulendi vel concionandi. Quòd ſi qua eſt ratio diffinitiua, quę cõpetat omnibus, qui dicũtur ciues, maxime hæc & præcipue eſſe videtur. *Participatione poteſtatis*.i.iudicij & principatus. *Qui in cõcione deliberat*,videlicet q eſt iudex,& cõcionator.*Qui de maximis*.i.eos qui pcipui ſunt.*Diffinitionis*.i.determinationis.

Nec latere nos debet,quòd in rebus quarum ſubiecta differunt ſpecie, & aliud eorum eſt primum, aliud ſecundum, aliud conſequens,aut omnino nihil eſt (quæ talia ſunt) eis commune, aut vix. reſpublicas autem videmus ſpecie differre ab inuicem, & alias eſſe poſteriores, alias vero eſſe priores. Quæ enim aberrauerunt ac prolapſæ ſunt, neceſſe eſt vt poſteriores ſint integris, & incorruptis. Quomodo autem dicamus eas labi, poſtea patebit, quare ciuem quoque eſſe alium atque alium neceſſe eſt ſecundum differentiam rerumpublicarum. Itaque ille de quo diximus,in populari quidem ſtatu, maximè eſt ciuis: in alijs verò ſpeciebus eſſe quidem poteſt,

potest, non tamen necesse est: in quibusdam enim neq; populus est, neq; concionis vsus, sed conuocationes habent & iudicia ad partem, ut apud Lacedamonios, de contractibus cognoscunt ij, qui Ephori nuncupantur, alij alia: de cæde autem senatus, & forsan alius magistratus de alijs ius dicit: eodemq; modo apud Carthaginenses, de omnibus quidem causis magistratus quidam cognoscunt. Sed recipit correctionẽ definitio ciuis, quod in alijs rebuspublicis non est indeterminatus magistratus ille, qui in concione decernit & iudicat, sed secundum magistratum determinatus: horum enim aut omnibus, aut quibusdam, concessum est & deliberare, aut iudicare, vel de omnibus, aut de quibusdam.

Quinta est particula, in qua afferre videtur oppositionem, quæ oriri posset, & eam declarat: nam quando sunt subiecta, quæ specie inter se differunt, & habent ordinem prioris, & posterioris, & cõsequentis, aut nihil est commune istis simpliciter & vniuocum, aut vix. quasi dicat, aut nihil erit vniuocum eis commune, aut erit æquiuocum, vel analogum. nunc autem cum ciuis dicatur respectu ciuilitatum, necesse est ciues differre, sicut ciuilitates, & res publicę differũt. at rerum publicarum quædam sunt priores, idest recte & bene constitutæ: quędam posteriores, idest corruptæ. Talibus igitur sic differentibus, aut nihil est commune, aut vix, vt dictum est ęquiuocè, aut analogicè secundum prius & posterius. quare diffinitio ciuis allata non ęque competit omnibus ciuibus, sed præcipue illi, qui est ciuis in ea republica, quæ hoc communi nomine dicitur, respublica aut popularis. nam sunt aliquæ ciuitates, in quibus non habent ciues potestatem iudicandi, & consulendi in cõcione, nec refertur ad iudicium populi, sed determinatos habent magistratus, vt Lacedæmonij Ephoros. ergò diffinitio allata ciuis ijs præcipue competit, qui in populari republica versantur. *Quod in alijs rebus publicis*, idest in alijs rebus publicis non est indeterminatus magistratus concionator ac iudex, sed quidam magistratus determinatus.

Quis igitur sit ciuis, ex his patet, cui enim habilitas est participandi potestatis publicæ deliberatiuæ, aut iudiciariæ, ciuem iam esse

esse dicimus eius ciuitatis, ciuitatem verò talium multitudinẽ, quæ ipsa per se sufficiens sit (ut simpliciter dixerim) ad viuendum.

Sexta particula, in qua concluditur diffinitio ciuis, ex qua emergit diffinitio ciuitatis: nam ex supradictis manifestum eum ciuem appellari, qui particeps est magistratus, vel potestatis consulendi, & iudicandi in re publica, in qua datur ei talis potestas. Ex ijs concluditur diffinitio ciuitatis. Est enim multitudo ciuium potestatem habentium consultandi & iudicandi, & addit sufficiẽs per se, vt simpliciter dicam, quasi sibi per se ipsa suppeditans, quoad fieri potest ad sufficientiam vitæ, vt intelligamus perfectis, non imperfectis ciuitatibus talem diffinitionem competere: est autem alia causa, vnde sumpta est diffinitio hæc & alia, vnde sumpta est ea, quæ in principio primi libri fuit allata. *Habilitas*, idest potestas.

Consueuerunt autem dicere eum esse ciuem, qui ex ambobus ciuibus ortus sit, & non ex altero solum, ceu ex patre, aut matre. alij uerò magis ultra requirunt, ceu auos, & proauos, & tritauos, uel plures. His itaque definitis ciuiliter & succinctè, dubitant quidam, quomodo tertius ille, aut quartus erit ciuis. Gorgias quidem Leontinus partim dubitans fortasse, partim ludens, inquit: quemadmodum mortaria sunt illa, quæ à factoribus mortariorum fiũt, sic Larissæos esse, qui ab artificibus eorum fiunt: esse nanq; aliquos Larissæorum factores. Est autem simplex: si enim participarent administratione reipublicæ secundum determinationem iam dictam, essent utique ciues: etenim neq; possibile est congruere definitionem illam primis conditoribus, aut habitatoribus, ut ex patre matreq; ciuibus sint exorti.

Hæc est secunda pars huius capituli, in quà affert quatuor dubitationes, quæ oriuntur ex diffinitione data de ciue, & eas soluit. Prima dubitatio est, quod diffinitio ciuis non satisfacit dicentibus, ciuem esse, qui ex patre & matre ciuibus est ortus. quidam etiam auũ & proauum, & vlterius progenitores requirunt. Hoc autem non positum fuit in diffinitione philosophi, ergo diminuta videbitur talis diffinitio: Sed hanc dubitationem soluit philosophus, & primo affert aliorum sententiam: nam

vt

vt dicunt quidam, si oportet vt ciuis sit natus ex ciuibus vsque ad tertiam vel quartam generationem, tertium illum vel quartum ad hoc, vt sit ciuis natum esse oportet ex parentibus, qui fuerint ciues, & sic deueniendum erit vsque ad primos conditores, qui non possunt esse nati ex ciuibus, quare determinatio illorum de ciue, quem dicunt ex ciuibus natum esse oportere, non est vera. Affert etiam dictum Gorgiæ Leontini, qui vel dubitās, vel ironice loquens sic inquit, fieri ciues à Larissęis, vt à fabro mortariorum fiunt mortaria. sed mortaria non sunt artifices, ita etiam geniti à Larissęis, non sequitur, vt sint proprie ciues. Post hęc affert solutionem suam. & enim simplex est dubitatio atq; solutio. nam si illi, qui oriuntur Larissę inquit philosophus, ita exercent munera ciuitatis, vt nos diffiniuimus ciuem, erunt proculdubio ciues: sin minus, vt scilicet non sint participes concionis atq; iudicij, nō sunt proprie appellādi ciues, quare non valet eorum sententia, qui dixerunt, ex ciuibus natos appellādos esse ciues, quippe talis determinatio non competeret primis conditoribus, nec successiue descendentibus, quod est absurdum. *Consueuerunt*, idest diffiniunt ciuem ad vsum. *Est autem simplex*, scilicet sententia, vel solutio, quia non habet multas dubitationes, sed statim soluitur: nam si tales facti à Larissęis essent participes concionis atque iudicij, proculdubio erunt ciues: secus non erunt proprie ciues.

Sed forsan magis de eo dubitari potest, cum facta mutatione recipiunt quippiam ad communionem reipublicæ, quemadmodum Athenis fecit Clisthenes post tyrannorum eiectionem: complures enim in tribus descripsit peregrinos, et seruos, et inquilinos, de quibus dubitari potest, non quis ciuis, sed vtrum iuste ne, an iniuste. at qui & de eo insuper quis dubitabit, an si non iustè ciuis, nunquid ciuis non sit, quasi idem ualeat iniustus & falsus: sed cum uideamus quosdam iniustè se in magistratibus gerere, quos tamen magistratus esse dicimus, sed nequaquam iustè: ciuis autem quodammodo magistratu definitus sit (nam qui particeps est talis magistratus, est ciuis, ut diximus) patet quòd hos quoq; ciues esse dicen-

dum

dum est. Iustè autem an iniustè, pertinet ad primam illam quæstionem, in qua quæritur, nunquid à ciuitate factum sit, an non à ciuitate: ceu cum ex potentia paucorum, vel ex tyrannide, ad popularem statum fit mutatio: tunc enim neque pactam pecuniam soluere quidam volunt, quasi non ciuitas eam suscipiat, sed tyrannus: nec alia huiusmodi permulta, quasi respublicæ quædam, vi atque victoria constent, non publica vtilitate. Si igitur per hunc modum quædam in populari statu geruntur, similiter dicenda sunt esse illius reipublicæ acta, & paucorum potentiæ, & tyrannidis.

Secunda dubitatio, & longe maior videlicet. Si mutetur gubernatio ciuitatis, & forma reipublicæ, vt Athenis contigit, & tunc homines noui recipiantur in gubernationem ciuitatis, qui antea non erant, vtrum isti sic adiuncti sint ciues, & statim respődere videtur, quod non debet dubitari, an sint ciues: sed dubitandum magis vtrum iuste, vel iniuste sint facti ciues, ex quo alia oritur dubitatio, vtrum ciues iniuste facti sint ciues. nam sicut se habet verum & falsum, ita iustum & iniustum: sed verum est, falsum non est. ita iustum est, iniustum non est. ergo ciues iniuste facti non videntur esse ciues. Dicendum est ergo, quod qui iniuste est ciuis, est quidem ciuis nominandus, cùm hac additione, idest iuste, & de vero & falso, dicendum, quod falsum duobus modis sumi potest, aut quod nullo pacto est negatiue, & est absentia entis, veluti cum dicitur lapis est homo, quia nullo pacto est homo: alio modo dicitur falsum, quod significat prauum degenerans ab eo, quod esse debebat, vt homo prauus, homo quidem dicitur, sed prauus. Sic de ciue dici potest, quod ciuis iniustè factus ciuis quidem dici potest, sed tamen iniuste, & praue factus. Dicit autem philosophus, quod sicut de magistratu, & si iniuste se gerat, tamen magistratum dicimus esse, sic de ciue dici potest: Nam diffinitus est ciuis per potestatem consultandi, & iudicandi: statim sequitur, quod particeps talis potestatis sit ciuis. Vtrum autem iuste, vel iniuste, hoc per-

tinet ad quæſtionem alibi allatam, an à ciuitate factum ſit, vel non à ciuitate. Et notandum, quod philoſophus loqui videtur dubitando de ciue, quouſque veniat ad determinandam vnitatem ciuitatis. *Ad primam illam quæſtionem*, ideſt ad prius dictam controuerſiam. Inde.n.naſcitur ſolutio iſtius dubitationis, quia ſi ciuilitas ſit bona, & ciues, qui in illa fiunt, erunt iuſtè ciues: ſin mala, iniuſtè facti. *In qua quæritur*, ideſt dubitant. n. quidam. Tertia eſt dubitatio. nam fiunt mutationes rerum publicarũ. Si igitur reſpublica iuſte conſtituta, in qua populus non plebs dominatur. Sint deinde labes ciuilitatum, vt tyrannis, vel paucorum potentia. Prima eſt iuſta, ſecundæ iniuſtæ. Mutetur bona in malam. quid ergo dicemus: ſi quid fit in ſecunda illa, & mutata re p. dicemus ne factũ à ciuitate? & videtur quod non quia mutata eſt forma reipublicæ, & non videtur factum à ciuitate, ſed à paucis potentibus, vel tyranno, propterea pacta, quæ facta ſunt in ſecunda re p. non valent, quandocunque redit ad bonum, & priorem ſtatum. Veluti ſi tyrannus accepit mutuo pecunias, & poſtea ciuitas redeat in bonam formam reipublicæ, non videtur teneri, & ſic de paucorum potentia dici poteſt: & ſic ſolutio de iuſte facto ciue pendet ab hac dubitatione. quidam vero volunt talem actionem factam eſſe à ciuitate, ſed non ſimpliciter: quia tunc ciuitas æquiuoce ſumetur, quæ prædicetur de bona, & mala ſecundum idem nomen: ratio tamen ſit diuerſa. Dicendum ergo, quod ciuitas fecit, quia & ante erat ciuitas, & item exiſtente tyranno eſt quodammodo ciuitas, ſed non eadem, & tunc oritur alia dubitatio, quæ ſit ciuitas eadem, vel non eadem, philoſophus igitur velle videtur, quod id dicatur factum à ciuitate, licet mutata ſit forma rei publicæ, & ciuitas ſit non ſimpliciter dicta. Hoc autem afferre, quia plures putabant ciuitatem eſſe vnius rationis, ſcilicet ſtatum popularem, & vltra talem gubernationem non eſſe ciuitatem, quod tamen eſt falſum: ſed diſtinguuntur tales ciuitates per conditionem iuſtæ, vel
iniuſtæ.

iniustæ. nam gubernatio, in qua populus dominatur, qui communi nomine respublica appellatur, forsitan iuste constituta dicetur, tyrannis certe iniuste, & tamen vtraque est ciuitas, vel ciuilitas. Etenim sicut dicimus de ciuilitatibus, ita & de ciuitatibus, & de ciuibus. Ergo non est dicendum, quod ciuitas non fecit, sed semper siue status popularis, siue tyrannis sit, dici potest, quod ciuitas fecit. Distinguitur tamen per hoc, iuste, vel iniuste. *Similiter dicendum*, scilicet factum esse à ciuitate, & item à paucorum potentia, dicendum est factum esse à ciuitate. Vbi ergo est differentia. In eo scilicet iuste vel iniuste, & à ciuitate simpliciter, vel non simpliciter dicta.

Videtur autem proprius huius quæstionis locus, quomodo aliquando dicamus ciuitatem esse eandem, aut nõ eandem, sed aliam. Potissimè igitur inuestigatio huius dubitationis est circa locum, & homines. fieri enim potest, vt separetur locus & homines: & hos ibi, & alios alibi habitare: sed hæc leuis est dubitatio. nam cum multipliciter dicatur ciuitas, perfacilis est huiusmodi quæstio. Similiter quoque eorum hominum, qui eundem inhabitant locum, quoad dicendum sit vnam esse ciuitatem: non enim mœnibus hoc definitur. Licet enim Peloponnesum totam vnis mœnibus circundari, talis fortasse est Babylon, quæ capta cum esset ab hostibus, ferunt partem aliquam eius ciuitatis, tertia die nondum aliquid sensisse. similiter & quæcunque alia magis habent circunscriptionem gentis, quàm ciuitatis. Sed huius quæstionis alio loco vtilis erit considera io. nam de magnitudine ciuitatis, & quantam esse vtile sit, & vtrum vna vel plures, latere non debet ciuilem. at habitantium in eodem loco, utrum quoad sit idem genus habitantium, eandem esse ciuitatem dicendum est, quamuis semper alij intereant, alij oriantur: vt & flumina solemus eadem dicere, & fontes eosdem, quamuis semper unda noua superueniat ac defluat: an homines dicendum est eosdem esse propter hanc caussam, sed ciuitatem aliam? Nam si ciuitas est societas quædam (est autem societas ciuium) uariata reipublicæ gubernandæ forma, & alia specie effecta, necessarium vtique uideatur: ciuitatem quoque non eandem permanere: ut & chorum alium

esse dicimus, dum tragicus est, quàm dum comicus, etsi ijdem sint homines: eodemque item modo, omnem aliam societatem, & compositionem aliam, si species compositionis, alia fiat: ceu harmoniam earundem vocum, aliam esse dicemus, & modo Doricam, modo Phrygiam vocitamus. Id si ita est, patet quod maximè dicendum est, eandem ciuitatem, ad rempublicam respicientes. Nomine autem uocari alio, aut eodem, licet eisdem habitantibus ipsam, uel alijs penitus hominibus. Vtrum autem iustum sit pactum dissoluere, aut non dissoluere, mutata reipublicæ gubernandæ specie, alia est disputatio.

Quarta est dubitatio, vbi quæritur, quando dicere possumus eandem esse ciuitatem, vel non eandem. Videmus enim quod res publicæ, & earum publicationes plerunque permutantur, & tunc videtur ciuitas mutari. Dubitatur ergo quando dicitur ciuitas eadem, vel non eadem, & ex solutione istius pendent solutiones supradictarum dubitationum. Et videtur hæc dubitatio respicere duo, vtrum attendenda sit identitas ista respectu eiusdem loci, & item eorũdem hominum, vel vtrum respectu formæ reipublicæ. Nam si permanent eadem mœnia, & ijdem homines, dicimus fortasse eandem esse ciuitatem: si separentur non eandem esse quoad primum modum. Et tunc dicit philosophus, quod huius facilis est solutio, quia non determinatur ciuitas circuitu mœnium, etenim si ita res se haberet, tunc una gens, vel regio circundata mœnibus, vt Peloponnesus, vbi sunt multæ ciuitates, diceretur ciuitas. sed de magnitudine ciuitatis, & numero hominum alio loco, id est inferius erit considerandum. verum redeamus ad partem illam dubitationis, vtrum sit eadem ciuitas, quæ habet eundem populnm, puta Florentinum, licet alij intereant, alij oriantur, idest eo modo, quo potest esse vnus, sicut flumen dicitur vnum, licet aqua cõtinue fluat: Possumus ne ergo dicere ciuitatem esse eandem, in qua est idem populus, an esse aliam atque aliam, quando mutatur forma rei p. nam si ciuitas est societas quædam, & illa diuersificatur, proculdubio non erit eadem ciuitas.

Et hic

Et hic soluitur quæstio à philosopho, quia ciuitas dicitur eadem vel diuersa ex forma gubernationis ciuitatis, quæ si mutatur, ciuitas non dicetur eadem: & affert philosophus exemplum chori, qui dicitur diuersus manentibus eisdem personis, si mutatur forma motionis, & saltationis. Item concentus fiunt diuersi manentibus eisdé vocibus diuerso tamen modo conficientibus cantũ, nunc doricum, nunc phrygium. Idem est de ciuitate eodé populo permanente, vt materia tamen diuersa erit ciuitas, licet mutata forma, & licet homines mutentur numero, vt alij intereant, alij oriantur, tamen manente eadé gubernatione eandẽ dicemus esse ciuitatem. quare identitas ista atq; diuersitas attenditur respectu formæ gubernandi & stabilitatis vel mutationis eiusdem. Postea excusat se philosophus à solutione illius dubitationis de pecunia mutuo sumpta, quæ forsitan non sibi videbatur admodũ necessaria, vt patet in textu. *Potissime igitur*. i. superficialis & cõis. facilem.n.esse vult respectu materiæ.

Iis uerò, quæ nunc dicta sunt, consequens est uidere, utrũ eadem sit virtus boni viri & boni ciuis, an non eadẽ. Verum si hoc est perquirendũ, prius de virtute ciuis, sub compendio dicere oportet. Vt igitur nauta unus aliquis est eorum, qui sunt in cõmuni societate, ita et ciuẽ dicimus. Nautarum verò, quãquam dissimiles sint secũdum potentiã (nam alter est remex, alter gubernator, alter proram dirigens, alter alterã huiusmodi appellationem habens) patet ꝙ expressissima vniuscuiusq; nuncupatio, propria erit illius uirtutis. Similiter aũt & communis quædam conuenit omnibus: salus. n. & conseruatio nauigantium cõe est omnium opus: hoc enim unusquisque eorum intendit. Sic igitur & ciuibus, licet dissimiles sint, opus est conseruatio communis societatis: societas uerò est respublica, quapropter necesse est virtutem esse ciuis ad rempublicam.

Hoc est secundum capitulum, in quo quærit an idem sit vir bonus, & ciuis bonus, vel eadem virtus vtriusque. Diuidiĩ in quatuor partes, quę suis locis declarabuntur. In prima igitur parte proponens qõnem, vtrum sit eadé virtus boni viri, & ciuis boni incipit quærere, vel declarare, qd sit virtus ciuis, & hoc oñdit exẽplo nauis, in qua

varia sunt ministeria atque officia nautarum,sicut in ciuitate varia sunt munera ciuium. Verum singuli habent in naui proprias operationes,quibus diffiniri vel describi possunt,vt gubernator,qui sedens in puppi clauum tenet,& nauem dirigit. Item qui proram gerit,& sic de alijs dici potest, quod sunt tales secundum propriam virtutem atque operationem muneris sui. Habent etiam omnes opus commune, ad quod omnes intendunt suas operationes, idest salus nauigantium,vel felix nauigatio, quo quidem opere communi diffinitione,vel nomine diffiniri,vel describi possunt. Eodem pacto ciues habent in re p. proprias operationes,per quas diuersa munera exercent, & tamen omnes propositam sibi habent salutem vel conseruationem ciuilis societatis. Tali autem virtute,qua ciuis respicit salutem ciuitatis, dicetur bonus ciuis.Virtus autem qua dicitur vir bonus, est prudentia cum virtutibus moralibus,quæ rectum faciũt appetitum,vt in ethicis dictũ est. *Expressissimus*,idest exactissimus. *Sermo*, idest ratio.

Si quidem igitur plures sunt rerumpublicarum species, patet non esse recipiendum, ut studiosi ciuis una sit uirtus perfecta, at uiri boni perfecta est uirtus. quod igitur fieri possit,ut ciuis studiosus non possideat uirtutem illam, per quam dicitur uir bonus, manifestum est. Quinetiam & alio modo inquirentibus, deuenire licet ad eandem rationem circa optimam rempublicam: Nam impossibile est ex omnibus studiosis esse ciuitatem, & oportet singulos opus suum bene conficere : hoc autem a uirtute. Cum uerò sit impossibile similes esse ciues omnes, nequaquam una fuerit uirtus ciuis, & uiri boni : nam uirtutem studiosi ciuis omnibus adesse oportet : sic enim optimam necesse est esse ciuitatem : at uiri boni uirtutem impossibile est omnibus inesse, nisi necessarium sit in studiosa ciuitate,ciues omnes esse uiros bonos.

Secunda est pars, in qua ostendit, quod vniuersaliter non est vna & eadem virtus viri boni,& ciuis boni tribus rationibus. Prima est huiusmodi. Vir bonus dicitur talis absolute, & secundum perfectam virtutem. sed ciuis bonus non dicitur talis absolute, nec secundum

perfectam

perfectam virtutem, ergo non est idem vir bonus, & ciuis bonus, nec eadem vtriusque virtus: maior patet, quia vir bonus habet prudentiam cum omni comitatu virtutum moralium, quæ habentem perficit, & opus eius bonũ reddit, vt ostendit philosophus in libro Ethicorum. minor est manifesta, quia ciuis bonus non dicitur absolute talis perfecta virtute, sed respectu rerum publicarum, quæ sunt variæ atque diuersæ, ergo ciues secundum diuersas rationes dicentur tales, & non vna virtute atque perfecta. *Non esse recipiendum*, non contingere. *Quin etiam alio modo*. Secunda ratio hoc pacto. Si non requiritur necessario in optima ciuitate, vt omnes ciues sint viri boni, & tamen requiritur, vt sint ciues boni, procul dubio alia erit uirtus, per quam dicitur vir bonus, alia per quam dicitur ciuis bonus. Nam si quilibet ciuis in optima re p. ad hoc, vt sit bonus ciuis, munus suum bene & recte exerceat publicã salutem respiciens, tamen non sequitur per hoc, vt quilibet sit vir bonus habens prudentiam cum virtute morali. Ergo non erit eadem virtus hominis agentis officium boni ciuis in optima re p. & boni viri simpliciter.

Præterea cum ex dissimilibus constet ciuitas: ut animal continuò ex anima & corpore, anima verò ipsa ex ratione, & appetitu, & domus ex uiro & uxore, & acquisitio ex domino & seruo: eodem modo ciuitas ex his omnibus, ac præterea ex alijs dissimilibus constet speciebus, necesse est non unam esse ciuium omnium uirtutem: quemadmodum neque chorum agentium, supremi & adiutoris: quòd igitur non eadem simpliciter, ex his patet.

Tertia est ratio huiusmodi. vir simpliciter bonus vna eademque ratione est bonus: at ciuis bonus non vna eademque ratione dicitur bonus, ergo nõ eadem ratione, & per consequens eadem virtute vir & ciuis dicitur bonus, maior patet quia si sumemus duos viros bonos per prudentiam & bonitatem moralem, vt ita loquar, appellabimus bonos, quæ sunt eædem ambobus competentes: minor declaratur, quia plures sunt societates in ci-

uitate, quæ habent diuersos terminos, sicut etiam in domo est societas domini & serui, viri & vxoris, & istę societates sunt diuersæ, sicut eorum termini, & horum non est eadem ratio virtutis, vt antea vidimus. Sic multo magis hoc in ciuitate reperitur, quæ ex multis & dissimilibus societatibus constat, in quibus alij imperant, alij parent, alij ad vnum munus, alij ad aliud sunt accommodati. Et quilibet dicitur bonus in genere, vel officio suo, cum suum munus bene & recte agit. Non igitur vna ratione boni ciues, sed una ratione boni viri dicuntur tales. ergo non est eadem virtus boni viri simpliciter, & ciuis studiosi. *Acquisitio*, idest possessio. *Supremi*, idest ducentis, scilicet chorum.

Sed an erit alicuius eadem uirtus ciuis studiosi, & uiri boni? Dicimus utique studiosum in magistratu bonum esse atque prudentem, ciuilem autem hominem necessarium est esse prudentem. & statim aliam esse disciplinam magistratum gerentis, aiunt quidam: ut patet in regum filijs, qui ad equestrem bellicamque disciplinam in adolescentia erudiuntur, ut Euripides inquit: Non mihi speciosa, sed ea quorum ciuitas indiget, tanquam sit magistratu fungentis disciplina quædam. Si autem est eadem uirtus præsidentis boni, ac uiri boni: ciuis autem est, & qui subest: non eadem uirtus simpliciter fuerit ciuis, & uiri boni. sed tamen cuiusdam ciuis. non enim eadem uirtus est eius qui præest, & ciuis qui subest. & ob hoc forsan Iason inquit: grauiter ferre, si non regnaret, quia nesciret priuatus esse.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, quod alicuius ciuis studiosi & boni viri simpliciter est eadem virtus. nam probatum est, quod non est eadem virtus viri boni, & ciuis boni, nec idem est vir bonus, & ciuis bonus. Et hoc intelligi debet, ac si dicatur non quilibet ciuis bonus est vir bonus, & tamē nō sequitur, quod nullus ciuis bonus sit vir bonus. quare dicendū, quod non cuiuslibet ciuis studiosi virtus est eadem cum viro bono, sed alicuius. nam principem seu gubernatorem in re p. bene constituta prudentē esse oportet, & bonū bonitate morali ad hoc vt recte gubernet ci

uitatem,

uitatem, talem dicimus virum bonum, ergo gubernator ciuitatis bonus & prudens, erit etiam vir bonus in recta re p. ergo alicuius ciuis, ideſt præſidentis & gubernatoris, in bona republica, erit eadem virtus cum viro bono. Sed alterius ciuis, qui regitur, & apti vt regatur non eſt eadem virtus, ideſt eiuſdem rationis vel perfectionis. Alia enim competit gubernatori, alia ei, qui gubernatur. Probat philoſophus, quia ſtatim ab adoleſcentia talibus principibus datur diuerſa diſciplina ab alijs, & affert Euripidis dictum, qui inducit principem expetentem ſpecioſas res, ſed vtiles ciuitati, & i tem Iaſonis, qui dixit ſe exurire cum nō ſit in principatu, quaſi dicat did ici eſſe princeps, & neſcio eſſe priuatus. Regentis igitur & eius qui regitur, non eſt eadem virtus. Regenti prudentiam adeſſe oportet, vt architecto, quæ ſemper eſt cum morali virtute & appetitu recto: idem etiam competit viro bono ſimpliciter. Quare non eſt eadem virtus ſimpliciter viri boni & ciuis, ſed cuiuſdam ciuis, ideſt boni gubernatoris in re p. bene recteque conſtituta, vt patet.

Sed nihilominus laudandum eſt poſſe imperare & parere: ac præclari ciuis virtus eſt, poſſe præeſſe & ſubeſſe laudabiliter. Si ergo virtutem boni viri poſuimus præſidentem: ciuis autem vtranque: non vtique fuerint ambæ ſimiliter laude dignæ: Cum ergo aliquando videatur vtraque, ſed non eadem eum qui imperat, et eum qui paret, addiſcere debere: ciuem autem vtraque ſcire & participare vtrorumque: hinc itaque quiſpiam conſideret. Eſt enim præſidentia dominatiua. hac verò in ijs quæ neceſſaria vocantur, ſcire facere nequaquam neceſſarium eſt ei qui præſidet, ſed vti magis. alterum verò ſeruile eſt: dico autem alterum, poſſe exhibere ſeruilia miniſteria. Seruorum autem ſpecies plures eſſe dicimus, nam ſunt & miniſteria plura: quorum partem vnam obtinent manuales: hi ſunt (vt nomen ſignificat) qui ex manibus viuunt: in quibus ſunt mechanici opifices. Quapropter apud quoſdam antiquitus huiuſmodi artifices excludebantur à reipublicæ honoribus, antequā populus extremus fieret. Hæc igitur opificia hominū qui ſub ſunt ſic neq; rectorē diſcere oportet neq; eū qui in republica verſatur

ſatur, neque bonum ciuem, niſi fortaſſe quandoq; ſui ipſius gratia ad ſeipſum. non enim amplius contingeret eſſe alterum dominum, alterum ſeruum: ſed eſt præſidentia quædam, per quam præeſt ſimilibus genere, & liberis hominibus, & hanc dicimus ciuilem præſidentiam, quam eum qui præeſt didiciſſe parendo oportet: ceu præfectum equitum eſſe, cum ipſe prius ſub alio fuerit: & exercitum ducere, cum ipſe prius in exercitu per inferiores militiæ gradus ductus ſit, in inſidijſque delituerit. quamobrem rectè dicitur, neminem bene imperare poſſe, qui non ipſe prius ſub imperio fuerit. Sed horum diuerſa eſt virtus. & oportet bonum ciuem, ſcire, ac poſſe præeſſe, & ſubeſſe. & hæc eſt virtus ciuis, ſcire rectè ſe habere in vtraque parte: & boni igitur viri in vtraque, quanquam alia ſpecies eſt eius modeſtiæ, ac iuſtitiæ quæ præeſt. nam eius qui ſubeſt ac liber eſt, non vna profectò fuerit virtus, atque boni viri. vtputa, iuſtitia alias ſpecies habet cum præeſt, alias cũ ſubeſt. Quemadmodum viri & mulieris alia temperantia, & fortitudo. nam videretur vtique timidus eſſe vir, ſi ita fortis eſſet, vt fœmina fortis: & mulier inhoneſta videretur, ſi ſic honeſta foret, vt vir honeſtus. adminiſtratio quoq; domus, alia mulieris, alia viri. nam viri opus eſt acquirere, mulieris autem ſeruare. Prudentia verò, propria virtus eſt eius qui præeſt ſola. nam cæteræ quidem virtutes videntur communes, tam eorum qui præſunt, quàm eorum qui ſubſunt. at prudentia non eſt virtus eius qui ſubſit, ſed opinio vera. qui enim ſubeſt, vt is eſt qui fiſtulam facit: qui verò præeſt, vt is qui vtitur fiſtula. Vtrum igitur eadem ſit virtus viri boni, & ciuis ſtudioſi, an alia, & quomodo eadem, & quomodo alia, ex his patet.

Tertia eſt pars capituli, in qua philoſophus, cum dictum ſit, quod non eſt eadem virtus regentis, & eius qui regitur ciuis, & quod alia diſciplina datur principibus, alia alijs ciuibus, qui reguntur, quærit an illa diſciplina, quæ datur alijs, ſit perdiſcenda à principe & gubernatore ciuitatis, & dicit, quod vtriuſq; virtus laudatur, ſcilicet bene præſidere, & bene obtẽperare: ergo vtraq; virtus videtur ad eundem ciuẽ pertinere. Et dicit, quod dominans habet imperium, aut reſpectu ſerui, & circa neceſſaria, aut reſpectu plurium eiuſdem libertatis.

Prima

Prima conditio facit herum: secunda facit principem & gubernatorem ciuitatis. Et dicit quod non oportet principem vel gubernatorem instrui seruili obediendi disciplina: talis enim spectat ad seruum. ad dominum vero pertinet vsus talis disciplinæ. Quin etiam ipsi serui differunt inter se,& diuersa exercent ministeria, & alij alijs sunt magis & minus sordidi, quia diuersæ sunt etiam operationes seruiles. Talis igitur disciplina seruilis non pertinet ad principem vel gubernatorem, vt ea instrui debeat. Sed bene oportet,vt princeps seu gubernator reipublicæ erudiatur disciplina obtemperatiua, qua erudiuntur liberi homines, non seruili, nec etiam ea, qua sordidi artifices instruuntur, qui manuales,& quodammodo seruiles dicuntur,cum non sibi, sed alijs operentur. Vnde ars sordida,quæ non pertinet ad liberũ hominem, non facit ciuem, nec eam discere aut secundum eam operari decet, nisi aliquod opus faceret sui ipsius gratia, non aliorum. Ad præsidentiam igitur ciuilem pertinet institutio obtemperatiuæ disciplinæ, qua liberi homines erudiuntur, quia bene parendo bene præsidere, atque imperare discitur, vt in militari fit disciplina, & in septimo huius manifeste ostenditur. Vtranque igitur virtutem bonum ciuem habere oportet, obtemperatiuam scilicet & imperatiuam & hæc est virtus boni ciuis, & boni viri scire rectè se habere in vtraque. Quanquam est alia species prudentiæ ac virtutis moralis respectu præsidentis,& alia respectu obtemperantis: sicut mulieris & viri,alia atq; alia est fortitudo atque modestia, idest alia ratio fortitudinis atq; modestiæ vt antea patuit in primo Politicorum, vbi dixit philosophus, quod nec eadem modestia est mulieris & viri, neque fortitudo,neque iustitia,vt Socrates putabat. Verum prudentia propria videtur esse præsidentis dicit in hoc loco philosophus. subdito vero in quantum subijcitur atque regitur, sufficit,vt habeat opinionem verã obtemperantem prudentiæ præsidentis. *Quid sequatur deprehendere, quis potest?* idest vtrum sit erudiendus

dus vtraque disciplina, videlicet imperandi atque parendi,& si est erudiendus disciplina,qua serui erudiuntur & sordidi artifices, & patet quod non, sed illa, qua liberi erudiuntur,vt ostensum fuit. *Dominatiua,*idest quę pertinet ad dominum & herum. *Antequàm populus extremus fieret*, videlicet vt vna pars esset nobilior, alia infima plebs. *eius qui subest*, idest eius,qui subest ac liber sit bonus. *Et mulier inhonesta*, idest loquax. Taciturnitas enim affert mulieri decorum,vt in primo inquit.

Restat adhuc una dubitatio circa ciuem: utrum reuera ciuis sit is cui solū participatio est publici magistratus,an opifices etiam ac mercenarij sint ciues nuncupandi. nam si ponamus hos quoq; esse ciues qui magistratuum sint expertes, nequaquam possibile est uniuscuiusq; ciuis talem esse uirtutem. si uero nullus horum est ciuis,in qua parte sunt huiusmodi homines reponendi? neque enim in eorum ministrorum loco,qui nobiscum habitant neque rursus peregrini. An secundum hanc rationem nihil dicemus euenire absurdum? neque enim serui supradictorum quicquam,neq; liberti. Illud autem uerū,quod non omnes illi dicendi sunt ciues,sine quibus ciuitas esse non potest,cum neque pueri ita ciues sunt, ut uiri: sed hi quidem simpliciter, illi uerò ex suppositione. ciues .n. sunt, sed imperfecti. Vetustis autem temporibus apud quosdam, opifices erant serui,aut peregrini. quapropter etiam nunc plerique tales sunt. Optima quidem ciuitas,nunquam opificem facit ciuem. quod si is ciuis,ciuis autem uirtus est,quam diximus,dicendum est eam non esse cuiusque ciuis,neq; liberi modo, sed eorum qui à ministerijs necessarijs sunt alieni. necessaria uerò qui uni ministrat, seruus est: qui autem publicè,uiles & sordidi. Patebit autem & hinc paulo adhuc considerantibus, quemadmodum in his res se habeat. hoc enim quod diximus, illud ostendit. Cum .n. plures sint rerumpublicarum species: plures quoq; species ciuium sint necesse est,ac maximè eorū ciuium qui subsunt. itaq; in quadam republica opifices & sordidi ciues erunt:in quibusdam uero impossibile est,ut ciues sint, puta in optimatum gubernatione, si qua illa est, in qua secundum uirtutem dantur honores,& secundum dignitatem: non enim uirtutem exercere potest, qui uilibus officijs occupatus est. In paucorum quoque gubernatione, tenues homines ad rempublicam

non

non recipiuntur. ex magno enim censu ad honores reipublicæ peruenitur. Artifices tamen ad hanc speciem reipublicæ peruenire possunt, etsi sordidi sunt: quoniam pleriq; artificum diuitijs abundant. Apud Thebanos autem lex fuit, ut nemo habilis esset ad honores reipublicæ suscipiendos, nisi per decem annos a mercatura destitisset. In multis autem rebuspublicis attrahuntur, etiam lege, ad ciuitatem peregrini. Est etiam lex in quibusdam popularibus ciuitatibus, ut satis sit ex matre ciue esse genitum, & spurios quidem recipiunt hoc pacto multi: attamen propter defectum legitimorum ciuium, tales faciunt ciues. paucitate enim hominũ inducti, his utuntur legibus. quod si abundent in multitudine, paulatim excludũt, primo libertini generis homines, deinde eos qui ex matre solummodo ciues sunt: in fine autem non nisi ex utroq; parente natos ciues, pro ciuibus, habent. Quod igitur plures sint species ciuis, ex his patet. & quod maxime dicitur ciuis ille, qui habilis sit ad honores suscipiendos (ut Homerus inquit) sed ubi id occultum est ex deceptione habitatorum, tanquam inhonoratum quendam reptitium, repellunt, ut inquilinus enim est & aduena, qui honores capere non potest. Vtrum igitur alia, an eadem uirtus sit, per quam est uir bonus & ciuis studiosus, patet ex supradictis, quod alicuius ciuitatis idem, alicuius uerò alius, & ille non omnis: sed qui præest reipublicæ, & dominus est, aut solus, aut cum alijs, communium curam gerens.

Quarta est pars, in qua philosophus mouet vlterius aliam dubitationem circa qualitatem ciuis, & quærit, an opifices sordidi ac mercenarij sint habendi ciues. Primum non videntur esse ciues, quia ij, qui talibus ministerijs se dedunt, non dicuntur apti ad gubernandum & præsidendum, & gerendum magistratum. Diffinitus est autem ciuis, cui competit ius gerendi magistratum. Ex altera parte, si non sint ciues nuncupandi, in qua ratione hominum collocabimus? *Neq; .n in eorum ministrorum*, idest neque incolæ sunt neque peregrini *uel*: idest an secundum hanc rationem, videlicet si non ponamus eos esse ciues, nihil dicemus euenire absurdi. *Neq; .n. serui supradictorum quicquam*. scilicet incolæ aut aduenæ opifices autem sordidi subministrant opera necessaria

ciui-

ciuitati. Et tamen non sequitur, isti habitant in ciuitate, & sine ijs ciuitas constare non potest, ergo isti sunt ciues. Quid ergo dicendum est? Patebit hoc inquit philosophus, & soluit dicendo cum multę sint species ciuilitatum necesse est plures esse species ciuium, & maxime eorum qui subsunt. Quare in aliqua republica fieri potest vt opifices & viles mercenarij sint ciues. Sed in optimatum re p. non possunt esse. Post hæc philosophus concludit, quod plures sunt species ciuium. Ille autem maxime est ciuis, qui particeps est honorum, vt Homerus inquit, qui tales distinguit. Demum concludit, quod vir bonus, & ciuis bonus est idem per eandem virtutem in aliqua republica, idest optima, & tamen non quilibet ciuis est idem, sed pręsidens & gubernator, siue sit vnus, siue plures per eandem virtutem perfectam, scilicet prudentiam præsidentem. Nam aliorum, qui non gubernant, alia videbitur esse virtus non illa, quæ præsidentis est, vt architecti. *Ex suppositione*, scilicet si peruenerint ad perfectam ætatem. *Neq; liberi modo*, idest neque liberi cuiusuis, sed eorum, qui à ministerijs necessarijs sunt alieni, idest qui non sunt dediti operibus sordidis necessarijs. *Sed vbi id occultum*, idest ubi id occultum est deceptionis gratia fit eorum, qui simul habitāt, hoc est, vbi est occulta ratio ciuis, scilicet tales opifices sordidi appellantur ciues gratia deceptionis, vt non percipiant se non esse ciues, sed credant se esse ex eo, quod simul habitant in ciuitate. Tamen non sequitur, quod habitatores ciuitatis, sint ciues, nisi sint participes honorum. *habilis ad honores*. idest particeps honorum.

His itaque determinatis, videndum est postea, vtrum vna sit respublica, an plures: & si plures, quæ, & quot, & quænam differentiæ earum sint. Est autem respublica, ordinatio ciuitatis, & circa magistratus alios, & maximè circa id quod summam in ciuitate habeat authoritatem, & sit principalissimum omnium. nam principalissimum ubique gubernat ciuitatem. quod autem gubernat, respublica est. Dico autem ceu in populari quidem statu, populus est dominus: in paucorum uerò potentia pauci. Dicimus

autem

autem & respublicas alias esse ab istis: de quibus quoque alijs, eodem modo dicemus.

Hic est secundus tractatus huius tertij libri, in quo determinat de varijs speciebus rerum publicarum. Diuiditur autẽ in quatuor capitula: in primo diffinit rem p. & eius differentias considerat: in secundo affert diuisionem reipublicæ in genera subalterna: in tertio inquirit, qui debeat esse dominus in ciuitate, princeps ne vnus, an multitudo, an pauci: in quarto perscrutatur, quomodo fieri debeant distributiones magistratuum, vtrũ, secundum excellentiam bonitatis, an diuitiarum, an alio modo. Primum capitulum diuiditur in quatuor partes, quæ suis locis declarabuntur: in prima igitur parte philosophus diffinit rempublicam hoc pacto. Respublica est ordinatio ciuitatis, & circa alios magistratus, & maxime eius, qui dominatur. Est enim ubique dominans, quod est institutum ciuitatis regimen. Id autem est respublica, veluti in populari statu populus, in regia uel optimatum gubernatione rex, vel optimates. Nam in talibus gubernationibus tales maxime dominantur. *Principalissimum est autem id.* idest est enim vbique dominans quod est regimen ciuitatis, & idest res p. ordinatio ciuitatis à qua diuersę oriuntur gubernationes. *Diximus.* idest dicimus ciuilitatem horum esse diuersam.

Supponendum est prius, cuius gratia ciuitas sit constituta, & quot sint gubernandi species circa hominem, & circa societatem vitæ. Superioribus libris, vbi de gubernatione rei domesticæ, ac de domino & de seruo determinauimus, dictum est, natura esse hominem, ciuile animal ac sociale. Ex quo fit, vt etiã si nihil indigeant mutuo auxilio, nihilominus affectent vitæ societatem, quinetiam & communis vtilitas coniungit eos, inquantum confert singulis partem bene viuendi. maximè igitur hic est finis, & publicè omnibus, & priuatim. Congregantur etiam ipsius vitæ gratia: forsan enim inest sibi aliqua particula honesti, & continet ciuilem societatem, etiam viuendi gratia solum, si non molestiæ in vita nimis exuperent. Patet autem quod non tolerant homines multa aspera, pro-

pter viuendi cupiditatem, vt existente in eo quadam prosperitate, & naturali dulcedine.

Secunda est pars capituli huius, in qua considerat finem ciuitatis ob quem instituitur. Dictum est antea, hominem esse animal natura ciuile, ita vt si nullam vtilitatem ait philosophus, inde consequeretur, tamen illud expeteret, idest communem viuendi societatem. Verum gratia bene viuendi instituitur ciuitas. Quare ipsius ciuitatis finis est sufficientia bene viuendi. Est etiam quo quomodo finis gratia viuendi. Congregantur enim homines, vt viuant, sed maxime, vt bene viuant, & talis est summus & principalissimus finis. i. sufficientia bene viuendi, vt patebit postea in sequentibus. *Forsan quidem* .i. forsan enim *aliqua particula*, idest aliqua inclinatio naturalis, vt exponunt quidam, alij dicunt, quod dixit forsitan, quia in viuendo non consistit honestas, sed in bene viuendo. *Continent*, scilicet homines ciuilē societatē.

Atqui & modos imperij facile est diuidere, cum sæpe sit de his à nobis in externis sermonibus determinatum. dominatio enim licet vtilis reuera existat natura seruo, & natura domino, nihilominus imperat pro domini vtilitate, pro vtilitate autem serui contingenter. neq; enim fieri potest, vt seruo deficiente seruetur dominatio. Filiorum verò imperium, & vxoris, & domus totius, quam vocamus rei familiaris gubernationem, aut gratia est eorum qui gubernantur, aut gratia alicuius quod sit vtriusque commune. gratia eorum qui gubernantur: ut uidemus & alias artes, ceu medicinam, et gymnasticam, illorum quibus imperatur, utilitatem quærere, contingenter tamen & eorum qui præcipiunt, esse potest. nihil quippè vetat, magistrum ipsum gymnasii, esse vnum eorum qui exercentur: quemadmodum gubernator semper est unus ex ijs, qui sunt in naui. magister igitur gymnasii, & gubernator, considerant semper eorum utilitatem quos gubernant. sed quandoque eorum unus ipse per accidens suscipit utilitatem, hic quidem nauta, ille autem unus eorum qui gymnasio exercentur.

Tertia est pars huius capituli, in qua philosophus affert diuersos modos viuendi hominis, qui sumuntur ex primis societatibus domus, & hos affert, vt hinc postea societa-

ſocietatem ciuilem diuidere poſſit in rectam & non rectam. ſæpe dictum eſt à nobis in externis ſermonibus, ideſt in illis libris, quos appellauit philoſophus conuerſiones, vt in ethicis expoſuimus, vel in præteritis libris, diuerſa eſſe imperia in domo ſecundum diuerſas ſocietates, quarum domina dicitur reſpectu ſerui: coniugalis, reſpectu coniugis, paternæ, reſpectu filij. In dominica autem ſocietate & ſi vna eademque vtilitas eſſe videatur, domini atque ſerui, tamen vtilitas domini videtur eſſe per ſe: ſerui vero per accidens. Idē videtur conferre vtriſque diuerſo modo ideſt domino, vt regat, ſeruo, vt regatur. Et quanuis dominus imperet propter ſuum bonum per ſe tamen, cum non poſſit eſſe dominus ſine ſeruo, intendit etiam bonum ſerui per accidens, vt dictum fuit. In ſocietate vero coniugali, vel paterna vtilitas principaliter quæritur eorum, qui reguntur, & ex conſequenti ſi redundat ad virum vel patrem familias fit per accidens, non vt talis eſt imperans vir vel pater, ſed vt eſt vnus ex illis, qui eſt in eadem domo, cuius domus vtilitas vel conſeruatio quæritur, quod declarat philoſophus exemplo artium. Nam medicus intēdit inducere ſanitatem in ęgrotum illius boni gratia non ſui, tamen accidere poteſt, vt ipſe ſit ęgrotus, & ſibi medeatur. Per accidens igitur ſe ipſum curat, vel ſanat medicus, vt inquit philoſophus in libro phyſicorum. Similiter gubernator nauis per ſe conſiderat vtilitatem, vel conſeruationem nauis: Accidit autem vt ſibi proſit cum ſit vnus eorum, qui ſunt in naui: redūdat ad regentem talis vtilitas ſicut paſtor ouium conſulit gregi, & ouibus ſuis, eodem pacto facere debent, qui imperant atque gubernant; vnde apud antiquos, patres populorum appellabantur, reges, gratia eorum qui gubernantur, & hoc per ſe: *gratia alicuius quod ſit vtriſque commune* & hoc per accidens.

Quapropter ciuilia quoque imperia, cum ſint ſecundum æqualitatem ciuium conſtituta, & ſecundum paritatem, viciſſim cenſent ea eſſe gerenda: primum quæ natura fert, cenſentes inuicem mu-

nera subire:& considerare vicißim quoddam illius bonum, quemadmodum ille prius cum praeesset, considerauit istius utilitatem. nunc autem ratione commodorum ex reipublicae gubernatione prouenientium, uolunt continue in magistratu esse: veluti si contingeret magistratum gerentes, semper sanos esse, ubi aduersa ualetudine laborassent: nam forsan sic ipsos magistratus amplecterentur. Constat igitur, quod quaecunque respublicae ad communem vtilitatem intendunt, illas rectas esse, secundum simpliciter iustum: quaecunq; uerò ad propriam eorum qui praesunt utilitatem solum, aberrare omnes, atque esse rectarum rerumpublicarum transgressiones & labes. gubernantur enim quasi à dominis: at ciuitas, liberorum est societas.

Hæc est quarta pars, in qua philosophus allatis antea diuersis imperijs vitæ humanæ, elicere videtur ex dictis diuisionem societatis ciuilis. Nam in re familiari plures sunt gubernandi species, vt vidimus, quæ ad duplicem gubernationem redigi possunt, id est ad vnã in qua gubernantis vtilitas quæritur per se vt dominica. Item ad aliam in qua vtilitas per se quæritur eorum, qui gubernantur, vt coniugalis atque paterna. Eodem modo ciuilem dicere possumus duplicem esse, vnam videlicet, in qua quæritur commodum gubernantis, & ista dominicæ gubernationi similis esse videtur: alia quæ consulit vtilitati eorum, qui gubernantur, & hæc conuenientiam habet cum paterna, aut coniugali. Nam in illis ciuitatibus, in quibus seruatur paritas, fit æqua distributio & vicissitudo magistratuum, ita vt in gubernando reddatur vicissim vtilitas ei, à quo sumpta est. sunt enim liberi & non serui, qui reguntur, & magistratus est ob eorum vtilitatem, qui gubernantur, & ob alienum bonũ, vt inquit philosophus in quinto ethicorũ: hinc est Biantis sententia, quod magistratus virum ostendit. Qui igitur in magistratu sunt constituti vtilitati eorum, qui reguntur consulere debent, vt Medici egrorum sanitati. Nunc autem dicit philosophus, proprijs commodis moti homines quærunt continuo esse in magistratu, & in publica potestate, ac si essent ægroti, & sibi ipsis vellent

esse medici suam sanitatem, idest vtilitatem quærentes. Hinc philosophus sumit diuisionem ciuilis gubernationis, quæ duplex dici potest, idest alia recta, alia nõ recta. Nã recta dicitur ea, vbi intenditur communis vtilitas ciuilis societatis: non recta, vbi propria quæritur vtilitas eorum, qui præsunt, & est labes & transgressio bonæ reipublicæ. Tractantur enim ij, qui gubernantur, sicut serui in dominica gubernatione, in qua dominus imperat suæ vtilitatis gratia vt dictum fuit, cum tractari vt filij debeant & liberi: est enim quædam societas liberorum. *Nunc autem ratione commodorum*. Hic philosophus queri videtur de conditione temporum suorum, quasi dicat, quod natura ita debet fieri sicut dictũ est, sed nunc fit alio modo. *Nam forsan*, quia nec id etiã fieri deberet, cum sanitas communis, idest commune bonum, quæri à gubernationibus debeat vt ostensum est.

His determinatis, consequens est respublicas considerare, quot numero sint, & quæ. & primo quidem eas quæ sunt rectæ: nam labes earum ex illarũ determinatione patescunt. Cum verò gubernatio ciuitatis, & regimen id significet: regimen aũt est ptãs ciuitatis: necesse est potestatem huiusmodi ciuitatis, aut penes vnum esse, aut penes paucos, aut penes multos. Quando igitur vnus vel pauci, vel multi cõmunem vtilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rerumpublicarum species necesse est. quando autem ad propriam vtilitatem, vel vnius, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, transgressiones sunt & labes. Aut enim dicendum est, non esse ciues qui potestate participant, aut par est ad vtilitatem cõitatis participare. Vocare autem consueuimus, cum vnus ad vtilitatem communem respiciens gubernat, regiam potestatem: cum verò pauci gubernant, plures tamen uno, optimatium gubernationem, vel ex eo quia optimi præsunt, vel ex eo quia ad optimum ciuitati, & ijs qui ea communicant, præsunt. cum autem multitudo gubernat ad communem vtilitatem, vocatur communi nomine omnium rerumpublicarum, respublica. Accidit autem rationabiliter. vnum enim excellere secundum virtutem, aut paucos, datur: vt verò multitudo excellat ad omnem virtutem, difficile est, sed maximè ad bellicam excellit: hæc enim in multitudine fit: quare in hac rei-

publicæ ſpecie principaliſsimum quod propugnatiuum eſt, atque ea re participant qui arma poſsident.

Hoc eſt ſecundum capitulum huius tractatus, in quo diffinita ciuilitate, vel republica, & diuiſa in ſuas partes, videlicet rectam, & non rectam. Nunc diuidit rurſus rectam & non rectam rempublicam in ſuas ſpecies, quæ diuiſio eſt generis ſubalterni. Diuiditur autem hoc capitulum in quatuor partes, quæ ſuis locis declarabuntur. In prima igitur præmiſſa ſua intentione dicit philoſophus, quod regimen ciuitatis eſt reſpublica, id autem eſt magiſtratus, ſeu poteſtas, qua gubernatur ciuitas. Tale igitur regimen, aut eſt penes vnum, vel paucos, vel multos. Quando igitur iſti communem vtilitatem, & non propriam intendunt in gubernando, tres oriuntur ſpecies rectæ reipublicæ. Nam quando vnus gubernat communi utilitati conſulens, oritur regia poteſtas & gubernatio. Cum uero pauci regunt ad vtilitatem etiam eorum, qui reguntur, optimatum reſultat gubernatio, & dicitur tali nomine, uel quia optimi gubernant, uel ad optimum ſtatum ciuitatis. Sin autem multitudo dominatur publicam utilitatem intendens, reſpublica dicitur talis gubernatio, retinens nomen cōmune generis, & vocatur reſpublica. Et iſtæ tres ſunt ſpecies reipublicæ rectæ. Diſtinguuntur autem quia in prima vnus: In ſecunda pauci, & tamen plures vno: In tertia multitudo dominatur. Conueniunt autem in eo, quod omnes commune bonum reſpiciunt. Notandum quod oportet quamcunque rectam gubernationem procedere à ſtudioſis, ſiue ab vno, ſiue à paucis, ſiue à multis. Sed cum difficile ſit inuenire multos qualibet uirtute præditos, ideo philoſophus ſumpſit bellicam uirtutem in ea gubernatione, in qua multitudo ad bonum publicum regit, quia poteſt eſſe communis multis, vt patet in textu. *Nam labes earum ex illis pateſcunt.* Rectum enim, ut in ethicis inquit philoſophus, iudex eſt ſuiipſius, & obliqui. *At enim dicendum eſt non eſſe ciues.* ideſt aut dicendum eſt, non eſſe ciues participantes .ſ. qui par-

participes ſunt eiuſdem ciuitatis. *Aut ad participationem*. ideſt aut oportet eos communicare in utilitate. *Contingit rationabiliter*, ſcilicet vt rectum regimen distribuatur eo pacto, quo dictum eſt. *Sed maxime ad bellicam*. ideſt maxime bellica præſtare videtur multitudo.

Labuntur uerò & transgrediuntur huiuſmodi ſpecies: ex regia quidem gubernatione, in tyrannidem: ex optimatibus uerò, in paucorum potentiam: ex republica autem, in popularem ſtatum. Tyramidem .n. eſſe dicimus, dominatum unius ad proprium commodum intendentis. paucorum autem potentiam, cum ad opulentorum commodum gubernatur. Popularem autem ſtatum, cum ad commodum egenorum: harum enim nulla ad cōmunem utilitatem reſpicit. Oportet autem paulò uberius explicare, quæ ſit unaquæque iſtarum: habent enim dubitationes quaſdam. Philoſophantis enim circa ſingulorum diſciplinam, & non ſolum ad agendum reſpicientis, proprium eſt nihil negligere, neque prætermittere, ſed demonſtrare in ſingulis ueritatem. Tyrannidem eſſe diximus, unius dominationem ciuili ſocietati præſidentis. Paucorum autem potentiam, quando rempublicam tenent opulenti & diuites. Popularem vero gubernationem, cum tenues homines & non poſſidentes diuitias, gubernant.

Secunda eſt pars capituli, in qua philoſophus affert tres ſpecies ciuilitatis oppoſitas prioribus. Diſtinguuntur aũt ab illis immediate vna differentia, quia iſtæ ad propriam, illæ ad communem vtilitatem reſpiciunt. Diuerſus eſt igitur gubernandi finis, merito ſunt diuerſæ. Nam quando vnus gubernat ad ſuam vtilitatem tyrannidem appellant: quæ eſt tranſgreſſio regni: cum vero plures vno ad opulentorum vtilitatem gubernant, paucorum potentia dicitur, quæ eſt optimatum tranſgreſſio. Sin autem multitudo egens atque inops dominatur, atque omnia ad propriam vtilitatem refert, & non ad communem, ſtatus dicitur popularis, qui eſt tranſgreſſio reipublicæ, quæ fuit tertia ſpecies rectæ gubernationis, nomine generis uocitatæ. Sed quia philoſophus non dum exactè loquitur de ijs, ſe quo quo modo excuſat & pollicetur, quod hanc materiam uberius ex-

plicabit, afferendo non solum effectus, sed etiam rationes vt quoad fieri potest de ijs dubitationes tollantur, & ueritas habeatur.

Prima igitur dubitatio circa definitionem est: nam si plures sint opulenti & diuites, ac rempub licam teneant, & popularis gubernatio sit cũ multitudo regit: eodemq; modo sicubi contingat inopes esse pauciores, quàm opulenti, sed potentiores, ac rempublicam teneant: & ubi pauci rempublicam obtinent, paucorum potentiam nunçupamus: non recte uiderentur istæ definitiones gubernationũ esse positæ. Enimuero si quis adiungens opulentiæ quidem paucitatem, inopiæ uerò multitudinem, sic appellet reipublicæ species, ut dicat paucorum potentiam esse, in quã gubernationem reipublicæ habent opulenti, numero pauci: popularem verò, in qua inopes rempublicã tenent multi existentes: aliam habet dubitationem. quas enim modo dicemus eas respublicas: eam uidelicet in qua plures opulenti, & eam in qua pauciores inopes gubernant, in utraq; rerumpub. siquidem nullæ sunt aliæ respub. præter supradictas? Videtur igitur ratio ista ostendere, quod paucos esse, vel multos qui gubernant, contingens est, aliud paucorum potentiæ, alterum populari: propterea quod vbique accidit, ut pauci sint opulenti, multi uero inopes. Ex quo fit, ut huiusmodi causæ non faciant differentiam, sed in eo differant popularis gubernatio & paucorum potentia ab inuicem, quod alibi opulenti, alibi inopes rempub. obtinent. Necessariumque est, ubicunque per opes ac diuitias præsunt, siue hi pauciores sint, siue plures, hanc esse speciem illam, quæ uocatur paucorum potentia: ubicunque inopes, hanc esse popularem gubernationem. sed accidit (vt diximus) hos quidem paucos esse illos verò multos: opibus enim ac diuitijs, pauci abundant, libertatis tamen omnes participes sunt, propter quas causas contendunt utrique de republica.

Tertia est pars capituli, in qua philosophus affert quasdam dubitandi difficultates, atq; eas soluit. Nos diximus paucorum esse potentiã, in qua pauci diuites dominantur, popularem vero statum, in quo multi pauperes gubernant. Dubitatur si in aliqua ciuitate plures sint, quam pauperes, atque in ea opulenti dominentur, vel in aliqua alia pauciores sint pauperes & rempublicã teneant

teneant: Vtrum gubernatio multitudinis diuitum dicatur ſtatus popularis. Item paucorum pauperum gubernatio appelletur paucorum potentia, an aliter. Et talis dubitatio oritur ex diffinitionibus ſuperius allatis, quia hoc pacto non videbuntur recte poſitæ. Quòd ſi dicamus, quod illa eſt paucorum potentia, ubi opulenti numero pauci gubernant, ſtatus uero popularis, ubi multi egeni dominantur: in quo gradu uel ordine ſupradictas gubernationes reponemus: Videlicet illam in qua multi diuites, & illam, in qua pauci inopes dominantur. Non enim oportet facere plures ſpecies rerum publicarum, cum tres eſſe oſtenſum ſit ſufficienti diuiſione. Secus namque uiderentur quinque eſſe ſpecies tranſgreſſionum, & non tres, non ſine confuſione quia multorum diuitum per multitudinem, videtur eſſe ſtatus popularis; per diuitias, paucorum potentia. Contra paucorum inopum gubernatio per paucitatem paucorum potentia, per inopiā, ſtatus popularis. merito igitur dubitatur. *Videtur igitur rō iſta.* Has quæſtiones, quæ ad vnam quodammodo redigi poſſunt vna ſolutione ſoluit philoſophus, oſtendendo quod paucitas & multitudo non eſt cauſa per ſe diſtinctionis, nec ſunt differentiæ eſſentiales harum gubernationum, ſcilicet paucorum potentiæ & ſtatus popularis, ſed per accidens, quia ut plurimum & plerunque contingit multos eſſe inopes, paucos uero diuites, ſed differentiæ eſſentiales, quibus per ſe differunt, ſunt paupertas & opulentia, quia in eo poſitum eſt paucorum eſſe potentiam, ut opulenti ſiue pauci, ſiue multi dominentur. Sic etiam ſtatus popularis eſt, in quo egentes, ſiue pauci, ſiue multi rempublicam tenent. Veruntamen contingit in paucorum potentia paucos eſſe gubernatores, quia pauci ſunt diuites, & in ſtatu populari eſſe multos, quia multi ſunt tenues, atque egeni. Talis igitur differentia attenditur penes paupertatem & opulentiam, & quia omnes ſunt liberi dicit philoſophus, contendunt inter ſe de principatu, diuites propter exceſſum diui-

tiarum: inopes quia libertate pares se diuitibus esse existimant.

Sumendum est prius, quos terminos esse dicunt paucorum potentiæ & popularis gubernationis, & quid sit iustum in utraque. Omnes enim attingunt iustum quoddam, sed usque ad aliquid procedentes, & aiunt non omne iustum propriè. puta, uidetur æqualitas iustum quiddam esse (& est enim) sed non omnibus, at æqualibus: & inæqualitas iustum uidetur esse, & est quidem, sed non omnibus, at inæqualibus. alij uerò: hoc auferunt, scilicet quibus, & malè iudicant. causa uerò est, quia de ipsis iudicium fit. qui uerò de proprijs iudicant, ut plurimum non recti sunt iudices. Itaque cum iustum sit aliquibus, & diuisum sit, eo modo in rebus & personis (ut & prius diximus in Ethicis) æqualitatem rei confitentur. sed de personis contendunt, maximè propter id quod dictum est modo, quia de seipsis non rectè iudicant. Deinde quia usque ad aliquid, utrique eorum iustum quiddam dicentes, putant se dicere simpliciter iustum. illi enim si in aliquo sint superiores, ceu opibus & diuitijs, alios omnino putant esse impares: hi uerò si in aliquo sint pares, puta in libertate, omnino putant esse pares. Cæterum quod est principalissimum, non dicunt.

Quarta est pars huius capituli, in qua philosophus considerat terminum, quo utuntur pauci & populares, ad quem dirigunt iustum, & ostendit quo iusto vtendum sit. Primum igitur dicit philosophus, quod isti tam pauci, quam populares accipiunt terminum, quem existimant esse iustum, & tamen non est simpliciter iustum. Est enim iustum æqualibus æquale: inæqualibus inæquale. Et quatuor termini requiruntur ad iustum, ut in quinto ethicorum ostendit philosophus: duo ex parte rerum distribuendarum, & duo ex parte personarum. Nam si personæ sunt æquales, & res erunt æquales, si personæ inæquales, similiter & res inæqualiter sunt distribuendæ. Quare si æqualibus inæqualia tribuantur, uel æqualia inæqualibus, non fit iustum, nec seruatur ratio geometrica, quæ est seruāda in distribuendis rebus, vel præmiis reipublicæ, vt dictum

est

est latissime in libro Ethicorum. Isti vero æqualitatem rei confitentur esse seruandam, sed æqualitatem personarum non recte accipiunt,& ideo de illis contendunt. Diuersis enim finibus se ipsos metiuntur, & etiam iustũ. nam populares metiuntur iustum secundum libertatem & paritatem libertatis,pauci vero secundũ opes. Verum cum libertas & diuitiæ non sint bona simpliciter,vt virtutes,non est accipiendum ex ijs simpliciter iustum: sed secundum quid. Decipiuntur autem ambo,quia iudicãt de se ipsis,in quo non falli difficile est, pauci quia ex diuitijs mensuram accipientes, plus sibi tribui,quam pauperibus iustum putãt. Populares ex libertate rationem sumentes se æque honoribus dignos, vt diuites arbitrantur. Ambo tamen falluntur, quia ex diuitijs vel libertate iudicant,quæ non sunt bona simpliciter, sed externa. Et quod est principalissimum omittũt, idest ipsam virtutem,ex qua vera mensura honorum & premiorum sumi debet. *Non omne iustum proprie*, idest dicunt iustum id esse,quod non est proprie iustum. *æqualitas*, idest æquale. *inæqualitas*, idest inæquale. *Alij*, idest illi auferunt illam partem,quibus.s.personis fienda est distributio. *vsque ad aliquid*, idest vsque ad bona externa. populares enim dicunt iustum,quod habet terminum libertatem, diuites vero diuitias.

Si enim possessionum gratia societatem inijssent, vnaq; conuenissent,tantum caperent ciuitatis,quantum possessionis, quare ratio illa valeret quæ est paucorum potentium.aiunt enim non esse iustũ, vt qui unum contulit, tantum recipiat de centum minis, quantum is,qui contulit omne reliquum,neque de ijs quæ ab initio, neque de ijs quæ postea superuenient. si quidem non viuendi solum gratia, sed magis bene uiuendi: nam sic seruorum et aliorum animalium ciuitas esse posset: nunc autem non est ex eo: quia felicitatis non sunt capacia,neque vitæ secundum electionem,neq; societatis gratia bellicæ,ne à quoquam iniuria afficiantur, neq; propter commercia, ac mutuam vtilitatem: nam sic Cirenæi & Carthaginenses, & omnes ij quibus est commercium inuicem,tanquam ciues essent vnius ciuitatis, sunt nempe illis fœdera,circa res importandas,&

pacta,

pacta, ne iniuria afficiantur, & scripturæ circa mutuam bellandi societatem: sed neq; magistratus communes his deputati sunt omnibus, uerum alij apud alios, neque quales esse oportet, alteri alteros curant, neque ut nemo eorum iniustus sit, qui sub fœdere comprehenduntur, neque vt prauitatem nullam habeant, sed solum ut non inuicem iniuria se afficiant. at enim de uirtute ac uitio publicè cogitant, quicunque curam habent bonis legibus instituere ciuitatem: ex quo manifestum etiam est, de virtute curam esse habendam ei, quæ reuera ciuitas sit nominanda, non orationis gratia. nã fit communio societas aliorum ad bellum, loco solum differens ab illis socijs longè existentibus: & lex pactio (vt ait Lycophron sophista.) Fideiussor inuicem iustorum, sed non talis, ut bonos, & iustos ciues efficiat. & quod ita se habeat patet, nam si quis coniungat loca in unum, ut Megarensium & Corinthiorum ciuitates se se inuicem contingãt mœnibus, nihilominus una nón erit ciuitas, nec si simul coniugia ineant: quanquam hoc unum sit de ijs communionibus, quæ propriè sunt ciuitatum. Eodemque modo, si qui habitent separati quidem, non tamen ita longè, ut nequeant simul communicare, legesq; habeant, iniuriam sibi inuicem in commertijs prohibentes: seu si vnus faber, alter agricola, alter sutor, alter aliquis huiusmodi esset, essentq; hi decem millia numero, nec alia eis esset communio, nisi talium rerum, puta contractus, et ad bella confœderationes, nec sic quidem ciuitas adhuc esset, propter quã tandem utique causam? non enim quia non propinqua sit communicatio: nam si in unum conuenirent ita communicantes, unusquisque tamen vtatur propria domo, ut ciuitate, ac sibijpsis, ut confœderati auxilium ferant contra iniuriantes solum, ne sic quidem ciuitas esse videretur rectè considerantibus: siquidem eodem modo conuersarentur simul, coniunctim, et separatim. Ex quo patet igitur, quod ciuitas non est communicatio loci, & non iniuriandi sibijpsis, & commercij gratia, sed ista quidem ut adsint, necessarium est, si quidem futura sit ciuitas, nec tametsi ista adsint omnia, ciuitas adhuc erit. at bene viuendi societas, & domibus & generibus, uitæ perfectæ gratia, & per se sufficientis: hoc tamen non erit nisi uno eodemq; loco habitantibus, & coniugia simul ineuntibus: propter quod propinquitates in ciuitatibus extiterunt, & sodalitia, & sacra, & conuersationes ad simul conuiuendum, idque est amicitiæ opus.

opus. nam simul viuendi electio, amicitia est. finis est igitur ciuitatis bene uiuere: illa uerò gratia finis. ciuitas autem est generum, pagorumq; societas, uitæ perfectæ ac per se sufficientis: hoc est, (ut diximus) bene beateque viuere. bene igitur agendi gratia, ponendum est esse ciuilem societatem, non autem gratia simul uiuendi: quapropter quicunque plus conferunt ad huiusmodi societatem, his plus iuris competit in ciuitate, quàm ijs, qui libertate, ac etiam genere pares sunt, uel maiores, sed ciuili virtute sunt impares, & quàm ijs, qui diuitijs superant, sed uirtute superantur, quod igitur omnes, quàm de repub. contendunt, partem aliquam iusti dicunt, manifestum est ex supradictis.

Refellit philosophus hanc sententiam paucorum potentium, & popularium ostendens, quo iusto vtẽdum sit, & quo termino atque mensura in distribuendis honoribus, & probat quod est felicitas, & bona actio. Hanc conclusionem declarat hoc pacto. Illo est vtendum, vt termino distributionis, qui est finis societatis ciuilis, & omnino ciuitatis: sed felicitas & bona vita, vel bona actio est huiusmodi: ergo felicitas & bona actio est ille terminus & finis, ad quem respicere debẽt distribuẽtes pręmia ciuitatis. Maior patet. nam omnis societas alicuius gratia fit, & ratio distributionis sumitur à fine, quẽ intẽdit talis societas, vt in re militari finis propinquus est victoria. Cum igitur est fienda distributio, talis mensura sumitur à tali fine, vt plus ei tribuatur, qui plus contulit ad victoriam. Idem in nauigatione, & in alijs societatibus afferre potest, & multo magis in societate ciuili, quæ omnes alias complectitur: habet enim suum finẽ, quem spectare debent distribuentes præmia rei p. inter suos ciues. Minor ostẽditur à philosopho, q͡d finis ciuitatis est felicitas & actio secundum virtutem. Ille est finis ciuitatis ob quem cõstituitur ciuitas: sed felicitas & bona actio est huiusmodi, ergo &c. Patet ratio, quia ciuitas constituitur, aut propter possessiones, aut vt simul viuatur, aut vt contrahat societatem belli causa, aut propter commertia, aut propter felicitatem & bonam viuendi rationem: sed ciuitas nõ est ob aliquod supradictorum,

sed

ſed ſolum ob felicitatem,ergo felicitas eſt finis, probatur inductiue per ſingulas partes, & primũ quod ciuitas non conſtituitur ob poſſeſſiones,vel ob diuitias: tunc.n. ait philoſophus benedicerent opulenti,atq; potẽtes, qđ diſtributiones fieri debent ſecundũ opes,quod eſt abſurdum : nam diuitiæ ſunt ob aliquid aliud, ergo non ſunt finis,ob quem cõſtituitur ciuitas: ſunt.n.inſtrumenta ad vltimum finem ordinata,nõ ipſæ ſunt finis ciuitatis.Prꝗterea non conſtituitur ciuitas ex eo prꝗcipue vt ſimul viuatur. nam tunc & brutorum congregatio, & ſeruorum diceretur ciuitas. ſed hoc abſurdum, ergo abſurdum eſt dicere ciuitatem eſſe ob hoc,vt ſimul viuatur. Item nec ciuitas conſtituitur ob ineũdam ſocietatem rei bellicæ, nec ob cõmercia vel commutationes:nam ſi ita eſſet: tũc diuerſæ ciuitates fœderatæ,& commercia exercentes,eſſent vna ciuitas,vt Cyrenꝗi,& Carthaginenſes: ſed hoc eſt abſurdum. nam & ſi habent pacta inter ſe pertinẽtia ad tollendas iniurias . i . ne iniuriæ fiant inter eos circa contractus & commercia,tamen non habent magiſtratus communes, nec alij de aliorum moribus cogitant, nec curant,ſicuti faciunt in propria ciuitate,vt ciues ſint iuſti & boni, ſed ſolum ne iniuria lꝗdant ſe ipſas inter ſe contrahẽtes, & hoc eſt ſignum quod tales ciuitates ſunt diuerſæ. nam ſi eſſent vna ciuitas, curarent, vt ciues eſſent boni in tali ciuitate, ſi vera ciuitas foret, & non nomine tantum. Verum ineunt ſocietatem interdum ciuitates propinquæ,vt ſe ab iniurijs defendant, tamen non ſunt vna ciuitas: ſed ſunt in eodem gradu, in quo ſunt longinqui ſocij,& non differunt niſi diſtantia loci. nam fꝗdera habent & pacta,vt iniuriꝗ prohibeantur,ſed non huiuſcemodi,vt ciues boni efficiãtur. Quòd autem identitas ciuitatis non attendatur penes locum, & huiuſmodi pactiones, oſtendit philoſophus exemplo Megarenſium & Corinthiorum. ſic igitur diſcurrendo per ſingulas partes manifeſtè patet,quod neque diuitiæ, neque ſocietates bellicæ,neque commercia,neque propinquitas loci, & ceſſatio ab inuicem iniuriarum efficiunt

pro-

proprie ciuitatem, neq; ob illa constituitur ciuitas. ergo relinquitur, vt bene viuendi gratia constituatur, & constet, & ex hoc sequitur, quod simpliciter iustum habet suum finem ipsam felicitatem. quare distributio honorum fieri debet ex huiusmodi mensura ijs, qui magis attingunt talem finem, & magis conferunt ad bene agendum, beneq; viuendum in ciuili societate. Tales autem sunt virtute præstantes, & viuentes in re pub. secundum rectam rationem, & ij plus merentur, quàm opulenti, & libertate pares, virtute autem inferiores. Concluditur ergo, quòd pauci potentes, & etiam ipsi populares vehementer aberrant, quia non accipiunt verum terminum veramque mensuram, cum alteri diuitias, alteri libertatis paritatem respiciant. non enim sumunt proprie iustum: sed iustum secundum quid. Nos autem loquimur de eo, quod proprie & absolute est iustum, & sumitur secundum finem ciuitatis, idest bene viuendi, & bene agendi gratia. *De centum minis*, scilicet quas lucrati fuerint in societate pecuniaria. *Quòd si non viuendi solum gratia.* Ista oratio, vel sensus eius pẽdere videtur vsq; ad illam partem. ex quo patet, quod ciuitas nõ est cõmunicatio. *Non rationis gratia.* i. non verbo vel nomine tantum est ciuitas, sed re vera. Notandum quod licet cõmertia, & simul viuere, & alia huiuscemodi sint necessaria ciuitati, tamen ciuitas non est ob illa. Serra non põt esse sine ferro, tamen non est ob ferrum, vt in physicis inquit philosophus, neque ars sine instrumentis, tamen non est ob illa. Eodem modo ciuitas non est ob illa, sed ob recte viuendum atq; agendum, vt sæpius dictũ est *opus amicitiæ,* idest effectus amicitiæ est electio simul viuendi. Conclu dit igitur philosophus, quod illi dicũt aliquam partem iusti, idest iustum secundũ quid, sed non proprie iustum. *Ciuitas autem est.* Huic correspondet sententia in primo allata cum inquit. Quæ autem ex pluribus pagis conficitur societas, ciuitas est: quæ quidem vt summatim dicam, totius sufficientiæ finem habet: constituta quidem gratia viuendi, existens autem bene viuendi gratia, & in

septimo.

ſeptimo. Ciuitas autem communio quædam ſimilium gratia vitæ,vt maxime fieri poteſt optimę.

Eſt autẽ dubitatio,quid oporteat dominans eſſe in ciuitate,nunquid populum, an eos qui diuitias habent, an bonos, & equos: an unum qui ſit optimus omnium,an tyrannum? uerum hæc omnia ui dentur habere difficultatem. Quid.n.ſi inopes,quia plures ſint, partientur ea quæ ſunt opulentorum, hoc non iniuſtum eſt? videbitur enim medius fidius,id ei qui dominatur iuſtè fieri. iniuria igitur ſumma,quæ tandem dicenda eſt? Rurſusque omnibus acceptis, ſi plures ea ſibi tribuant quæ ſunt paucorum, conſtat quod ciuitatem corrumpunt: atqui virtus nunquam corrumpit id quod eam habet,neq; iuſtum ciuitatis corruptiuum eſt, ex quo patet legem iſtam non poſſe iuſtam eſſe. Præterea illa quoq; quæ facta fuerint à tyranno, neceſſarium eſſet iuſta eſſe omnia: vim enim afferi propter potentiam,quemadmodum multitudo diuitibus.

Tertium eſt capitulum,in quo philoſophus inquirit, quid debeat eſſe dominus in ciuitate,pauci ne,an multi, an rex,vel tyrannus: & arguit pro vtraque parte, & demum ſoluit. Diuiditur autem in tres partes,quæ ſuis locis declarabuntur. In prima igitur proponit dubitando, quid debeat eſſe dominans in ciuitate. nam poſitæ ſunt à nobis tres ſpecies rectarum gubernationum, & totidẽ non rectarum. Dubitatur igitur, quod nam regimen ſit in re p. ponendum, & arguit primum pro parte negatiua,& oſtendit quod non oportet, nec expedit dominari multitudinem in ciuitate, & hoc probat tribus rationibus. Prima eſt,quia raperent bona opulẽtorum propter eorum indigentiam. Quòd ſi quis dixerit, hoc non eſſe iniuſtum,quia populus decreuit, qui habet dominatum in ciuitate,quid tandem erit iniuſtum, ait philoſophus, ſi hæc iniuſtiſſima direptio non appelletur iniuſta? Secunda ratio eſt,quod illud regimen non eſt recipiendũ in re publica,quod deſtruit ciuitatem: ſed popularis ſtatus eſt huiuſcemodi: ergo tale regimen nõ eſt recipiendum in re publica.Patet ratio,quia ſi multitudo auferat bona diuitum,& ſibi tribuat,procul dubio deſtruet ciuitatem. at virtus nõ deſtruit id,cuius eſt virtus,&.iuſtum

non

non corrumpit, sed seruat id respectu, cuius dicitur esse iustum. non est igitur tale regimen, quod destruit ciuitatem, in re p. recipiendum, nec lex illa iusta habenda est, quæ tale regimen inducit. Tertia ratio. Si multitudo est constituenda, vt dominans in ciuitate, constituendus esset etiam tyrannus. Sed hoc absurdum, ergo & illud. consequentia probatur, quia conueniunt multitudo & tyrannus in hoc, quod ambo proprium commodum quærunt. Quòd si quis diceret ea, quæ fiunt à multitudine, esse iusta, idem dicetur quod acta tyrannorum sint iusta, quia vtraque proficiscuntur à vi, & potestate dominantis. sed hoc absurdum vt diximus.

Sed an paucos & opulentos iustum est dominari? an ergo si & illi agant hæc, & rapinas exerceant, auferantq; multitudinis bona, hoc est iustum? & cætera, ergo. hæc igitur omnia constat esse praua, & non iusta.

Arguit nunc philosophus cōtra aliud membrum pro parte negatiua, & ostendit, quod nō oportet paucos opulentos esse dominatores rei p. hoc pacto: illud regimen non videtur admittendum in ciuitate, à quo multę iniuriæ prodire possunt: sed paucorum potētia est huiusmodi, ergo patet ratio, quia si opulenti & diuites erunt dominantes, bona multitudinis & commoda sibi ipsis quæritabunt. nam si multitudo dominans eripiet bona opulentorum, vt supra ostensum fuit, ita econuerso pauci dominantes eripiēt bona multitudinis. oppositorum enim opposita sunt consequentia. Non igitur expedit, paucos dominari vt dictum est. *An ergo si*, idest, nam si. & *cætera*, idest alterum, quod diximus de populari statu.

Verum bonos & æquos dominari oportet, auctoritatemque habere omnium. ergo alij omnes cum magistratus non capiant, inhonorati manebunt? nam honores quidem magistratus, potestatesque appellamus, quos si boni semper habeant, necessarium est, alios excludi ab honoribus reipub.

Sequitur philosophus arguendo pro parte negatiua, & ostendit, quod si boni & studiosi tantum dominentur, reliquis afferetur iniuria, qui excludētur ab honoribus

& magi-

& magistratibus rei p.& hinc dabitur occasio populo seditionis excitandæ. Seditio autem fugiēda est,& cauendum ne multi ab honoribus exclusi tedio rerum suarum mutare omnia studeant. quare non videtur expedire,illos tantum dominari oportere.

Sed vnum qui sit optimus, dominari melius. verum id adhuc nimis ad paucorum potentiam pertinet: nam plures erunt ab honoribus exclusi.

Quarto loco arguit philosophus pro parte negatiua de vno tantum,etiam si studiosissimus esset, quia multo plures remanerent inhonorati: omnia enim redigerentur ad nutum vnius,& multo magis ad minorem numerum,quàm in paucorum potentia. At enim hoc etiā graue est: quasi simile paucorum potentiæ,vel magis quàm paucorum potentia.

Sed forsan dicet aliquis legêm dominari debere, non autem hominem,in quem cadunt animi perturbationes. Si igitur sit lex quidem, sed vel ad paucorum potentiam, vel ad popularem fauorem declinans, quid tandem differt ab ijs de quibus dubitatum est? eueniet enim simili pacto eadem quæ supradicta sunt. de his igitur sit alius quidam sermo.

Quinto loco philosophus affert talem sentētiam pro parte negatiua. nam cum arguerit,quod neq; multitudinem,neq; paucos opulentos,neq; bonos, & ęquos tantū, neq; vnū studiosissimum solum oportet dominari: sequi videtur,quod non hominem,sed legē dominari oportet. Quippe si erit homo in potestate constituendus,aut erit vnus,aut pauci,aut multi. Sed ostēsum est à philosopho differendo quod nemo istorum esse debet: restat, vt sit lex,quę perturbationibus caret. Et nunc ostendit, quod nec etiam lex esse debet, hoc pacto: si leges dominētur in ciuitate,idem eueniet, quod de regiminibus supradictis: at de illis ostensum est,quod non expedit ea in ciuitate constitui, ergo de legibus idem erit dicendum, patet ratio per singula discurrendo.nam in paucorum potentia,& in alijs regiminibus sunt leges ad propositum gubernantium constitutæ, & sicut dictum est vnius, vel

paucorum,

paucorum, vel multorum gubernationem non esse in re pub. recipiendam, sic dicere possumus non esse accipiendas leges accommodatas illis regiminibus. *Qui tandem refert*, scilicet an per homines, an per leges fiant supradicta absurda. *De alijs*: quia philosophus volebat arguere pro parte affirmatiua, non de omnibus nunc, sed de vna parte tantum: ideo dicit de alijs, quasi dicat de regno, de optimatibus tractabimus, quando de singulis, scilicet regiminibus dicemus in sequentibus.

Quod autem magis penes multos debeat esse dominandi potestas, quàm penes paucos licet optimos, videtur solui posse, et quandam habere dubitationem, immo fortè & veritatem. nam si plures sint, quorum vnusquisque non sit vir studiosus, tamen fieri potest, vt in vnum conuenientes, omnes meliores sint, quàm illi, non vt singuli, sed vt omnes: quemadmodum cœna, in qua plures conferunt, quàm ea quæ ex vnius erogatione, fit: nam cum plures sint, vnusquisq; partem habet virtutis, ac prudentiæ, ac fiunt in vnum collecti quasi homo vnus, qui multos pedes habeat, multasq; manus, multosq; sensus: & eodem modo circa mores & intelligentiã: quapropter melius iudicant multi, & in musica, et in poetarum operibus: alij enim partem aliam, & cuncti cunctas discernunt: sed in hoc differunt studiosi viri, ab vnoquoque aliorum ex multitudine, quemadmodum decoros à non decoris aiunt, & picta artificiose, à veris, eo quod seorsum distincta, in vnum colligantur: cum separatorum pulchrius se habeat, huius quidem oculo picto, oculus, alterius verò quodam alio alia particula. Si igitur de omni populo omnique multitudine recipitur, hanc esse differentiam multitudinis ad paucos studiosos, incertum est, immo medius fidius certum, quod de quibusdam est impossibile: nam eadem ratio de bestijs congrueret: ecquid differunt quidam (ut ita dixerim) à bestijs? sed de aliqua multitudine nihil vetat, quod dictum est esse verum.

Secunda est pars huius tertij capituli, in qua philosophus posteaq̃ arguit pro parte negatiua circa illa membra quæstionis allatæ, nũc arguit pro parte affirmatiua, quantũ ad illud membrũ, vtrum oporteat multitudinẽ dominari magis, quàm paucos studiosos. (Nam de pessi-

 mo est

mo est manifestum,quod non debet) & arguit pro parte affirmatiua,vt diximus, ostendendo, quod expedit multitudinem dominari, & hoc probat exemplo cęnæ, & similitudine hominis habentis plura membra, & plures sensus. Nam si vnus homo posset fieri ex multis,ille haberet plures pedes,& plures manus,vt de Argo,& Briareo dicitur in fabulis poetarum, & plura posset operari, quam vnus homo.Idem de prudentia & moribus dici potest. Et enim si concurrant prudentiæ, quæ sunt in multis hominibus erit maior prudentia ea ex multis conflata, quam illa, quæ in vno tantum homine reperitur. Hinc est, quod multorum iudicium præstabilius, quam vnius haberi solet,vt in musica,& poematibus,atque picturis plerunq; accidit: quia quisq; discernit aliquã partem illius picturę,& sic oés tota discernũt. & dicit quod in hoc differunt studiosi viri à singulis illorũ,quia in cũctis videntur esse omnia,non aũt in vno tantum,& differunt studiosi ab illis, sicut aiunt differre decoros à nõ decoris.nã si sit formosus homo, erit pulchrior, quã quilibet alter ex multitudine sumptus,tamen fieri põt,vt quidam ex multitudine habeat pulchriorem pedem, quidã oculum,quã ille pulcher,& sic in multis non formosis reperientur singulatim,diuersę partes pulchriores, quam sint in illo formoso,& similiter in exacta & egregia pictura eueniet,quanuis pictor in illa vna pictura collegerit plures pulchritudines corporis quoad potuit,vt Zeusim apud Crotoniatas olim fecisse tradunt, tñ reperientur in multis corporibus naturalibus,& veris sparsim diuersę illę pulchritudines excellentiores,q̃ in illa pictura fuerint expressę,vt in hoc homine oculus, in illo manus,& sic de singulis.Differũt ergo,dicit philosophus,ab vnoquoq; ex multitudine,sicut pulchri à nõ pulchris, & picta artificiose à veris,ex eo,quia seorsum distincta pulchra,& sparsim in ipsis veris posita colliguntur in vnum a pictore,& sic videntur esse pulchriora illa picta, quàm quicũq; illorum,ex quibus accepit, si quid erat pulchri, & multa pulchra ex diuersis sumpta faciunt vnum pul-

chrum

chrum:in veris autem sunt seiuncta & sparsim collocata: Quòd si separentur partes illæ.s.picte fieri potest, vt picto oculo, sit pulchrior huius quidẽ oculus verus, illius aũt manus.atq; vt apertius explicetur textus, dicit philosophus, quod differunt studiosi ab vno quoq; ex multitudine, sicut pulchri à non pulchris, & sicut egregie picta à veris eo, quia illa vera sparsim posita seliguntur à pictore, vt partes pulchre à non pulchris, & in vnã imaginem conferuntur. Et sic imago illa, que componitur ex partibus bene dispositis, & à diuersis sumptis pulchrior est vnoquoq; illorum, in quorũ alio reperitur pulcher oculus, alio vero pulchra manus. fieri autẽ põt, vt in aliquo illorũ reperiatur pulchrior oculus, quam pictus ille fuerit expressus, vt dictum fuit, aliæ autem partes sint deformiores. eodem pacto studiosus differt ab quolibet illorum, quia coniunctim habet illas bonas dispositiones, ex multitudine vero alius aliã habet, & vnus excedere põt studiosum in vna, tamen simpliciter excedetur ab eo. verum cũ alius aliam partem habeat virtutis atq; prudentiæ, in vnum omnes conuenientes facient, vt multitudo sit prudentior, quàm pauci studiosi. Sunt autem quidam expositores, qui volunt, vt picta referantur ad multitudinem, vera autem ad studiosos. alij verò exponũt hunc locum eo modo, quo supradictum fuit. Post hæc videtur se corrigere philosophus dicendo, incertum est, hanc differentiam esse inter quamcunque multitudinem, & paucos studiosos, idest quod vniuersa multitudo sit prudentior, quàm paucorum numerus, imo patet quandam speciem multitudinis esse tam alienam à prudentia, vt ex illis nihil prudens resultare possit, si in vnum conueniãt, vel conferantur. Quædam vero est multitudo ex eo genere hominum constans, quorum alius habet vnam bonam dispositionem, alius aliam vel partem virtutis atq; prudentiæ, & de tali multitudine possibile est resultare ex multis collatis consilium melius atque prudentius, quàm in paucis studiosis reperiatur. *Cum si separatio*, id est si separatæ sint partes, fieri potest, vt pulchtius se

habeat hominis picti oculo, vel oculo picto huius quidem oculus, illius vero alia pars. *Si igitur.* His corrigere videtur se ipsum & ostendere, quod hoc non est intelligendum de quacunque multitudine, sed de illa, quæ habet aliquid virtutis, & ideo dicit, incertum est, si recipitur. i. si fieri potest vel cōtingit, vt omni multitudini accommodetur hęc differentia, vt sint prudentiores, multi simul sumpti, quàm pauci, vel quā vnus. *Quanquam.* i. quid enim, *vt ita dixerim.* i. vt ita dicam. *Sed de aliqua multitudine.* Quasi accōmodari alicui multitudini posse videtur: atq; hoc pacto penes multos gubernatio potius collocanda videbitur, quàm penes paucos, vel vnum. Notandum, quòd quidam dicunt, philosophum procedere hic disserendo, & afferre eas rationes, quas afferret aliquis fauens statui populari, non ex sententia sua. nam inferius patebit, quod paucorum optimatum, ac vnius optimi gubernatoris regimen vehementius extollet, magisq; probabit, quàm regimen multitudinis.

Quapropter dubitationem illā priorem, per ista soluere quis potest, ac similiter aliam subsequentem. quorum oportet dominandi potestatem habere liberos homines, ac multitudinem ciuium, quales sunt quicunque neque opes habent, ne virtutis ex istimationē vllam? Etenim permittere istis magnos magistratus, nequaquàm est tutum: nam propter iniustitiam & imprudentiam, in quibusdam iniuriarentur, in quibusdam autem errarent: excludere vero illos penitus ab honoribus, periculosum esset. Cum enim multitudo inopum est in ciuitate, eademq; ab honoribus exclusa, necesse est eam ciuitatem plenam esse hostium reipublicæ: restat igitur, vt ad consulendum, & decernendum isti recipiantur. quapropter & Solon, & alij quidam eorum qui leges condidere, huiuscemodi homines, ad repetendas gestorum rationes, & ad suffragia electionesq; magistratuum admittunt: solis autem vt magistratus comittantur, nequaquam permittunt: dum enim cum alijs vnà decernunt, atque consultant, capiunt omnes simul sufficientem sensum, et permixti melioribus, prosunt reipublicæ: quemadmodum non purum alimentum vnà cum puro, totum facit vtilius, quàm paucum: separatim verò vnusquisque imperfectus est ad indicandum.

Hæc

Hæc eſt tertia pars capituli, in qua philoſophus allatis rationibns pro vtraque parte quæſtionis, vtrum oporteat multitudinem dominari in ciuitate, nunc ſoluit eam, per ea quæ dicta ſunt, & introducit aliam quæſtionem, vel obiectionem, cuius quidem ſolutio eſt ſolutio vtriuſque. Dubitatum eſt enim, vtrum oporteat multitudinem dominari. ſed apparet ex dictis, quod duplex eſt multitudo, vna quidem ex hominibus, qui ſunt valde inepti, & hæc omnino poſthabeatur, alia in qua & ſi nō eſt exacta prudentia, vel virtus, tamen eſt aliqua participatio, vel diſpoſitio prudentiæ atque virtutis: talis autem non videtur poſthabenda. Si igitur dicemus, talem multitudinem dominari oportere, videndum eſt ulterius, quarum rerum poteſtatem, & quorum magiſtratuum curam ei committemus, & huius quæſtionis ſolutio, erit ſolutio precedētis dubitationis. Dicit igitur philoſophus, quod cōmittere tali multitudini ſummos magiſtratus eſt abſurdum. nam & ſi habeat aliquam diſpoſitionem prudentiæ, tamen quia eſt imperita, errare facile poteſt in iudicando, & iniuriam inferre, cum non habeat perfectam virtutem. Ex alia parte excludere eam omnino ab honoribus, periculoſum eſt: qd ergo eſt agendum. Relinquitur media via, vt neq; ſummi magiſtratus eorum manibus committātur, neq; honores omnino eis auferantur. Danda eſt igitur eis poteſtas conſultandi & iudicādi, dicit philoſophus, & affert Solonis, & aliorum latorū legum conſtitutionem, & alimenti exemplū quod quidem purum vna cū non puro melius eſt, & magis prodeſt ſanitati: ita multitudo cum prudentibus, & ſtudioſis viris permixta, quaſi temperatum nutrimentum proderit corpori ciuitatis, vel rei p. Sic igitur ſoluitur dubitatio prima per ſolutionem huius ſecundæ, quæ ſolutio accommodata eſt vtriq; quæſtioni. Patet.n. per eam quomodo, & quouſque dominari multitudinem oportet, & quæ ſpecies honorum ei ſunt concedendæ. Notandum quod alimentum ſubtile non eſt vtile ſanitati, quia cū ſit facilis digeſtionis reſoluitur cito, & trahitur

à partibus calidioribus, & reliquæ partes remanent sine nutrimento. Ex alia parte crassum, cum sit difficilis digestionis, non nutrit partes calidas, quæ subtili nutriuntur: ergo vtrunque seorsum sumptum est inutile, mixtum vero ex vtrisque erit vtilius sine controuersia ob maiorem conformitatem ex illis resultantem. hoc idem sentire videtur philosophus in libro Meteororum. *Per ista*.s. quæ diximus. nam probauimus aliquam dispositionem prudentiæ vel virtutis esse in aliqua multitudine. *Neq; virtutis existimationem*.i. neq; virtutis dignitatem. *Decernendum*.i. iudicandum. *Separati*.i. singuli separati, videlicet vt vnusquisq; seiunctus ab alio imperfectior erit.

Sed habet dubitationem huiusmodi ordinatio rei publicæ. Primum, quia videatur eius esse hominis scire iudicare quis medelam rectè attulit, qui ipse sciat etiam mederi, ac sanitatem ei qui febre laborat afferre, cum morbus affuerit. hic autē est medicus: eodemq; modo de alijs facultatibus & artibus: vt enim medicum, rationes suæ medelæ apud alios medicos reddere oportet, ita & alios apud similes. medicus autem est, & ille qui agit, & ille qui præcipit: & tertio loco ille qui expertus est circa artem: sunt enim quidam tales in cunctis (ut ita dixerim) artibus: tribuimus enim iudicium, non minus expertis quàm scientibus. Deinde & circa electionem eodem se videtur habere modo: nam rectè eligere, scientis est opus: ceu geometram geometricorum, & gubernatorem in gubernanda naue peritorum: etsi enim in quibusdam operibus, & artibus concurrunt alij quidam ignorantes, non tamen melius iudicant, quàm scientes: itaque secundum hanc rationem, auctoritas dominandi multitudini danda non esset, neque in electionibus magistratuum, neque in rationibus administratorum reposcendis.

Hoc in loco affert obiectionem quandā philosophus contra solutionem allatam, & refellit cōstitutionem illam, qua dixit populo dandā esse potestatem iudicandi, & consulendi, & repetendi secūdum Solonem rationem gestorum à magistratibus, & eos etiam eligēdi, procedit autem differendo pro vtraq; parte, vt diximus, non asserendo, & loquitur largo modo. Arguit igitur contra solutionem allatā hoc pacto: in vnaquaq; arte & facultate

tribuenda est auctoritas eligendi & iudicandi, peritis in tali arte & facultate, sed ciuilis est vna maxima facultatum & artium, ergo auctoritas eligendi & iudicandi tribuenda est peritis in tali arte.i.in ipsa ciuili facultate. videtur autem summa esse auctoritas & potestas eligere summos magistratus, & cognoscere rationes rerum administratarum, & hoc munus non videtur cõmittendum imperitę multitudini, sed expertis; probat hoc philosophus exemplo medicinę, & medici, qui videtur esse triplex: vnus, qui est tantũ factiuus, & velut operarius aptus ad exequendũ, quę sibi imperantur: alius vt architectus, qui iubet, & pręcipit, & instituit, quid sit agẽdum: tertio loco est, qui habet tam peritiam artis, q̃ experientiam agendi. Si igitur volumus de medicina, & remedijs ad sanitatem pertinentibus rectum iudiciũ consequi, medicũ adhibere oportet peritum, vel expertũ, & non sutorem, vel fabrum, vel rudem talis artis: vnusquisq;.n.bene iudicat de ijs, in quibus est peritus, & eorũ bonus est iudex, vt inquit philosophus in primo Ethic. Non est igitur imperitæ multitudini committenda auctoritas eligendi, & iudicandi, sed peritis & expertis, & hęc est obiectio contra superiorem solutionem, & contra Solonem, & alios latores legum. *Vt ita dicam*.i.vt sumatim dicam. *Ceu geometrã*. s.eruditum in geometria, in deligendo geometra. *& gubernatorem*. s.eruditum in deligendo gubernatore.

At forsan non hæc omnia bene dicuntur, etiam propter superiorem sermonem, si sit multitudo non nimis seruilis: erit enim vnusquisque deterior iudex, quàm ij qui sciunt: veruntamen simul omnes, vel melius iudicabunt, vel non deterius. & de quibusdam quidem, non solum is qui fecerit melius indicat, quàm quicunque qui opera cognoscunt, etiam non habentes artem. puta, domum non solum is intelligit, & iudicat qui fecit, sed melius is qui vtitur, vtitur autem paterfamilias: & de temone melius gubernator, quàm faber, & de epulis conuiua quàm cocus. hoc igitur dubium, fortasse per hunc modum videatur sufficienter solui. Est & alia dubitatio cum hac annexa, quia inconueniens videtur, vt deteriores qui sunt, maiorem habeant dominandi potestatem, quàm

probi, rationes verò administratorum à magistratibus reposcere, et magistratus ipsos deligere, maximum est, quæ duo in quibusdam ciuitatibus (vt dictum est) populo tribuuntur: concio enim talium omnium domina est, atqui concionis quidem participes sunt, & deliberant, & iudicant exigui census homines, & cuiuscunq; ætatis: quæsturam verò & militum præfecturam; & maximos magistratus suscipiunt ex magno censu. Quæstio ista potest eodem modo solui, nam forsan id se rectè habet; neq;.n.iudex, neq; consultor, neq; is qui in concione existit, dominatur, sed iudicium, & consilium, et populus. dictorum verò vnusquisq; particula est istorũ. dico autem particulam esse consultorem, & concionatorem, & iudicem: quare iustè domina maiorum est multitudo: ex multis enim populus constat, & consilium, & iudicium, maiorq; census vniuersorum quàm singulorum per se, & quàm illorum paucorum qui magnos suscipiunt magistratus. Hæc igitur in hunc modum determinata sint.

Hoc in loco respondere videtur philosophus obiectioni allatæ, & ostendere, vt superius tetigit, quod multi non tamen ex illis valde ineptis, sed ex habentibus aliquam dispositionem prudentiæ, atq; virtutis, & si singuli seorsum sumpti deterius, tamen in vnum collati, nõ deterius iudicabunt, quàm pauci, vel vnus prudens. Præterea cũ dicebatur, quod in reddendo iudicio de opere alicuius artis oportet adhibere artificem illius artis: hæc sententia nõ est simpliciter vera dicit philosophus, quia ista regula patitur exceptionem, vt in quibusdam facultatibus percipi potest, vbi melius discernit vtẽs tali opere, qui nõ est artifex, quàm artifex, vt exemplo domus & claui, & epularum philosophus probat. verum si quis diceret, quod similitudo philosophi non tenet, quia quisq; de multitudine nõ est, vt pater familias, vel architectus, vel gubernator nauis, respõderi põt, quod multitudo simul sumpta poterit dici talis. sed magnũ fundamentum philosophi est in hac sua disceptatione, vt euitetur periculũ seditionis, quæ oriri posset, si esset multitudo ab honoribus exclusa. & de quibusdã.i.in quibusdã non solum is qui fecit, cognoscit vel iudicat, sed interdũ melius, qui vtuntur. Hoc igitur.f.forsan. *Est alia dubitatio.* Affert aliã dubita-

dubitationem philoſophus ſuperiori accommodatam vel annexam, videlicet, quo pacto tribui debet maximarum rerum poteſtas indignioribus hominibus. Hoc videtur abſurdum eſſe, & tamen authoritas eligendi & iudicandi & repetendi rationes rerũ adminiſtratarũ, quæ maxima eſt, à quibuſdã conditoribus legum potius tribuitur tenuioribus, quam ex magno cenſu uiris. Quid ergo dicendum erit? Hanc dubitationem ſoluere uidetur philoſophus dicendo, quod populus ſimul ſumptus erit potior, quam vnus ſeorſum ſecũdum ſe ipſum acceptus, vel pauci etiã intelligentes, & maiorem complectitur cenſum, ex vniuerſis aggregata multitudo, quam vnus, vel pauci opulenti ex magno cenſu, ut patet in textu. *Sed iudicium & ſenatus & populus*. quaſi dicat ſecundum Sanctum Thomam, quòd neque iudex, neque conſultor, neq; concionator vnus per ſe, ſed totum aggregatum ex prudentibus & mediocribus & inferioribus habere debet poteſtatem iudicandi & eligẽdi &c.

Prima uerò dicta quæſtio manifeſtum facit, nihil adeò ut leges rectè poſitas debere dominari. illum autem qui reipublicæ præeſt, ſiue unus hic ſit, ſiue plures, in ijs poteſtatem habere debere, de quibus leges exactè cauere non poſſunt: ex eo, quia non facile ſit generali ſermone ſingulos caſus comprehendere. Quas tamen leges, rectè poſitas dicamus, nondum apparet, ſed adhuc ſupereſt anterior dubitatio. enimuero tales eſſe leges, quales ſunt reſpublicæ, neceſſarium eſt, prauas uel ſtudioſas, iuſtas uel iniuſtas. & hoc unum manifeſtum eſſe oportere, ad ſpeciem reipublicæ, leges eſſe accommodatas. quod ſi ita ſit, patet quod leges illas quæ ad rectas gubernationes datæ ſunt, neceſſe eſt eſſe iuſtas: illas uerò quæ ad earum labes, eſſe non iuſtas.

Affert declarationem philoſophus hoc in loco, quæ pertinere uidetur ad aperiendas ſuperiores dubitationes, quibus quærebatur, quid nam oporteat eſſe dominans in ciuitate, multitudinem, ne an paucos, præcipue autem ſpectat ad declarationem illius, qua dubitabatur, leges, an hominem dominari oporteat. Oſtendit igitur philoſophus quod leges ſunt illæ quæ ualere debent

bent si rectæ sint positæ, & in his, quibus leges non prouident, propter multa particularia, quæ leges in genere loquentes complecti non possunt, gubernatores, siue sit unus, siue plures, supplere debent æquitate, & bonitate, vt in quinto ethicorum latissime docet philosophus. Verum quæ sint leges rectæ uel non rectæ, non dum est determinatum. Dicendum est tamen quod leges sunt accommodatæ regiminibus seu rebus publicis. Si igitur regimina, siue respublicæ sint rectę, & bonum habeant finem, leges accommodatę illis erunt rectę & bonę: Sin autem regimina, uel tales gubernationes sint transgressiones, & labes, nec bonum finem respiciant, non erunt dicendę leges rectę nec bonę. *Anterior*, idest homo ne, an lex dominari debeat.

Cum verò in cunctis scientijs & artibus finis sit bonum, maximum autem & maximè in principalissima omnium: est autem hæc ciuilis potestas, est autem ciuile bonum, iustum: id autem, communis vtilitas. Videtur autem omnibus æquum quiddam esse iustum, & vsque ad aliquid consentiunt philosophicis rationibus, de quibus determinatum est in moralibus. quid enim & quibus iustum, & oportere paribus par existere, quorum etiam paritas, & quorũ imparitas sit oportet non latere (habet enim id dubitationem) & philosophiam ciuilem. Forsan enim dicet aliquis secundum omnis boni præeminentiam, oportere impariter magistratus tribuere, si etiam in cæteris alijs nihil differant, sed pares sint. differentibus enim aliud esse iustum, & quod sit secundum dignitatem.

Hoc est quartum capitulum huius tractatus, in quo quidem postea quam declarauit quid oporteat dominari in republica, nunc ostendit secundum cuius boni excellentiam debent distribui munera & dignitates ciuitatis. Diuiditur autem in tres partes, quę suis locis declarabuntur. In prima igitur parte philosophus pręmittit suam intentioné, & dicit quod cum omnis scientia, & ars finem habeat aliquod bonũ, & ciuilis sit principalissima actiuarum, ut in primo ethicorum ostendit, merito debet habere finem optimum. Tale autem est ciuile iustum, intendens, commune bonum, uel summũ bonum

bonum reipublicę. Vt autem percipiatur tale iustum, percipiendũ est id in quo consistit ęqualitas & inęqualitas, quia secundum istam rationem distribuendi sunt magistratus & honores reipublicę. Oportet igitur, dicit philosophus, non latere, scilicet gubernatorem reipublicæ in quo consistit æqualitas,& inæqualitas, quia secundum istam regulam percipietur, in quo consistit iustum ciuile.Sumenda est enim aliqua mensura secundum quam tribuatur proportione seruata vnicuique q̃ suum est, vt in quinto ethicorum latissime ostendit philosophus. Quid autem sit id bonum,respectu cuius sumitur paritas & imparitas, oportet, vt diximus,non latere gubernatorem ciuilem. *Quid enim*, idest ipsum iustum est quid & quibusdam. *Habet enim dubitationem.* Hoc in loco philosophus affert opinioné quorundam qui dicebãt magistratus & honores tribuendos esse secundum excellentiam cuiuslibet boni,idest quicunq; habet plus cuiuslibet generis bonorum, plus habeat etiam magistratuum atq; bonorum. Quia differentibus aliquo bono non est idem iustum. Nam qualis est proportio alicuius boni ad bonum alterius, eadem esse debere eius quod distribuitur. Vt quantum bonum vnius excedit bonum alterius, tantum excedat honore & dignitate. *Secundum omnis boni præeminentiam.* idest omnis generis bonorum excellentiam.

Atqui si hoc verum sit, erit & secundum colorem, & secundum magnitudinem,& secundum vnumquodq; bonorum,plus tribuendum de ciuili iusto illis qui superexcellunt.an id quidem apertè falsum est? patet profecto in alijs scientijs & artibus: paribus enim fistulatoribus, quantum ad artem, danda non est prærogatiua fistularum, illi qui sit nobilior (nihil enim melius caneret) sed oportet ijs qui in opere ipso superexcellunt, tribuere prærogatiuam fistularum. quod si nondum patet quod diximus,etiam magis deducentibus erit manifestum, nam si erit aliquis excellens in fistulatoria arte, inferior tamen multo nobilitate generis,uel forma, etsi maius quodlibet illorum est bonum quàm fistulatoria(dico autem nobilitatem & formam) & secundum proportioně plus

super-

superexcedant fistulatorium, quàm ille in fistulatoria: tamen illi dandæ sunt meliores fistulæ: oportet enim ad opus ipsum prærogatiuam conferre: diuitiarum uerò & nobilitatis respectus nihil confert. Præterea secundum istam rationem, omne bonum, ad omne bonum esset utique comparabile. nam si magis aliqua magnitudo, & certè omnino magnitudo comparabilis esset, & ad diuitias, & ad libertatem. itaque si magis hic excelleret magnitudine, quàm ille uirtute, & magis supereminerct omnino magnitudo uirtuti, essent omnia comparabilia: quanto enim magnitudo huius illum superaret, tanto constat, fore parem. cum uero hoc sit impossibile, patet quod in rebus ciuilibus, non secundum omnem imparitatem de magistratibus rectè contendunt. si enim sint, hi quidem tardi, illi autem ueloces, nihil ob hoc oportet alios plus, alios minus habere: sed in agonicis certaminibus, horum excellentia honorem capit.

Refellit philosophus hanc sententiam antecedétem tribus rationibus. Prima, si ob excellentiam cuiuscunq; boni distributiones fieri debēt, statim sequeretur, quod secundum excellentiam coloris, & magnitudinis fierent distributiones honorum. At hoc est absurdum, ergo & illud. Patet ratio, quia color & magnitudo sunt bona corporis, & absurdum esset, quod albior haberet plus ex honoribus, quam minus albus, aut maior statura corporis, quam minor, si cætera essent paria. Secunda ratio: Sicut est in cæteris artibus & scientiis, ita est in ciuili facultate, sed in aliis fit distributio respectu alicuius determinati boni: sic fieri debet in ciuili facultate. Patet ratio exemplo artis fistularum, vbi attenditur peritia artis modulandi, & opus ipsum, vt mensura, & in hoc fine, neque diuitiæ valent, nec pulchritudo, aut nobilitas, aut talia. Tertia ratio: si distributio honorum & magistratuum ciuitatis fieri deberet secundũ excellentiã cuiuslibet boni, tunc omne bonũ cũ omni alio bono cuiuscunq; generis esset cõparabile. Sed hoc est absurdũ, ergo & illud. Patet rõ, quia tunc cõparari posset virtus cum magnitudine, veluti si essent duo, vt Milo, & Socrates quorum alter superaret, alterũ tantum magnitudine

quan-

quantum superatur virtute, tunc non solum fiet comparatio secundum magis & minus, sed etiam secundum æquale. Nam si tanta magnitudo præstabilior est tanta magnitudine, patet quod tantum magnitudinis erit, vt æquale, quia superexcellētia magnitudinis alicuius erit æqualis superexcellentiæ virtutis alterius, & sic magis magnitudo, & omnino magnitudo erit comparabilis cū quauis alia, & quodlibet bonum cum quolibet bono cuiuscunque generis, quod est absurdum. Quippe ea quæ recte conferuntur, habere debent communem mensuram, secundum quam comparantur. Vnde philosophus dicit, quod est impossibile, vt scilicet omnia bona sint comparabilia, & vt dicit sanctus Thomas secundum magis & minus & æquale. Quin etiam ea, quæ proprie comparantur, non solum communem debent habere mensuram, vt diximus, sed etiam esse debent eiusdem speciei, vt ostendit philosophus in libro physicorum. Nunc autem virtus, velocitas, tarditas, magnitudo, & alia huiusmodi sunt longè distincta, & diuersorum generum. Quare concluditur, quod in qualibet arte, & facultate sunt determinata bona, quibus fit distributio præmiorum, & multo magis in ciuili, quæ est principalissima facultatum actiuarum. Non enim maior velocitas, aut tarditas, vt dicit philosophus, differentiam facit in distributione honorum, apud gubernatorem reipublicæ, sed apud magistrum ludorum. Ergo non secundum cuiuslibet boni præstantiam, debent fieri distributiones magistratuum, atque honorum in ciuitate. *Quanto enim magnitudo huius.* idest, si tanta magnitudo præstabilior est tanta magnitudine, patet quod tantū magnitudinis erit vt æquale. Atque ex eo fiet, vt maior cum maiore, & omnino magnitudo cum qualibet magnitudine sit comparabilis, quod philosophus dixit esse absurdum.

At ex quibus constat ciuitas, in his necesse est contentiones cadere quapropter rationabiliter sibi arrogant honorem nobiles, & ingenui, & opulenti. oportet enim ingenuos esse, & censum habere ad onera perferenda: non enim ciuitas esse potest ex pauperibus

bus omnibus, quemadmodum nec ex seruis. atqui si hæc requiruntur, patet quod & iustitia, & virtus bellica requiritur: sine his enim stare ciuitas non potest. Hoc tamen interest, quod sine primis illis ciuitas esse non possit, sine his autem non bene permanere. ad hoc igitur vt sit ciuitas, videri possunt, vel omnia, vel quædã istorum rectè sibi honores vendicare. ad vitam tamen optimam, disciplina & virtus, iustissimè sibi vendicare honores vtiq; viderentur (vt supradictum est). Cum verò non omnium parium par habere debeant, qui in vno aliquo sint pares, nec impar impares secundum vnum, necessarium est omnes huiusmodi rerum publicarum transgressiones esse, & labes.

Hæc est secunda pars capituli, in qua reprobata opinione illorum, qui dicebant distributiones fieri debere secundum excellentiam cuiuslibet boni, nunc declarat secundum quorum bonorum excellentiam contentiones oriuntur in ciuitate de magistratibus & honoribus distribuendis, quæ quidem bona pertinere videntur ad propositum ciuitatis: Ea autem sunt, quibus constat ciuitas, vt diuitiæ; nobilitas; libertas, & multo magis iustitia, ac bellica virtus. Nam ciuitas ex pauperibus tantum constare non potest, ergo requiruntur diuitiæ aliquæ. Item nobilitas quæ est virtus generis requiritur. Ex ingenuis enim & liberis, non ex seruis ciuitas constare debet. Oportet insuper iustos, & bellica virtute prę stantes esse in ciuitate. Differunt tamen prima bona ab istis secundis, quia sine illis ciuitas constare: sine istis, videlicet iustitia bellicaque virtute, non bene constare uel habitari potest. Non igitur absurdum esse videtur, secundum ista bona quorũ superexcellentia volunt fieri distributiones, honores petere, quanquã virtute præstantes sint illi, qui eos iustissime petunt: virtuti.n. præcipue debetur honos. Verũ non sequitur, quod si aliqui sint æquales in aliquo, debeant recipere simpliciter æqualia: quia fieri potest, vt sint æquales in paruo bono, vt in diuitijs, inęquales in maximo, vt in virtute: nec sequitur quod si sint inæquales secundum vnum aliquod, recipiãt simpliciter inæqualia; quia possibile est, vt sint inæ-

inæquales in modico bono, vt in diuitijs, & æquales in maximo, vt in virtute. Tales igitur non debent inæqualiter tractari, cum sint pares atque ęquales in maximis, nec illis superiores ęqualiter, cum sint inæquales in maximis. Quare illæ respublicæ in quibus ista regula seruatur, vt æquales in aliquo præmia recipiant, & inęquales in aliquo inæqualiter omnino tractentur ac si absolute & simpliciter essent tales, transgressiones sunt & labes rerum publicarum ob rationem assignatam. *Censum habere ad onera perferenda*. idest diuitias incensu, *non bene permanere*, idest non bene habitari. *Cum vero nec omnium partium par*. idest cum vero nec omnium par.

Dictum verò est prius, quia inter se quodammodo omnes iustè contendunt simpliciter autem non omnes iustè. opulenti quidem, quod plus regionis possident. regio autem commune quiddam. præterea in commercijs magis creditur eis vt plurimum. liberi autem, & nobiles, quasi propè inter se. ciues .n. generosiores potius quam ingenerosi. nobilitas autem apud omnes in honore habetur. insuper quia consentaneum est ex melioribus ortos esse meliores: est .n. generis virtus nobilitas. Similiter quoque dicemus, uirtutem meritò contentionem inducere; sociabilem enim uirtutem dicimus esse iustitiam, cui cæteræ omnes uirtutes necessariò obsequuntur. atqui & plures ad pauciores, nam & potentiores & ditiores & meliores sunt, vt susceptis pluribus ad pauciores. An ergo si omnes isti essent in una ciuitate, ceu boni, diuites, & nobiles, etiamq; alia multitudo quædam ciuilis, utrum in dubium ueniret, quibus gubernatio reipub. foret tribuenda, an nullum esset dubium? In vnaquaq; igitur repub. earum quas diximus, indubitatum est iudicium, quinam debeant gubernare: principatibus enim inter se differunt, ceu alia per diuites, alia per studiosos uiros principatus habet, et aliarum vnaquaq; eodem modo. Sed tamen considerandum est, quando circa idem tempus ista existunt, quomodo sit determinandum: nempè si uirtute præditi sint in ciuitate, admodum numero pauci, quomodo est agendum? an considerare oportet, si pauci ad opus gubernandi rempub. sufficiant, an tot esse oporteat multitudine, ut ex illis ciuitas constet?

Cum dictum est à philosopho quod omnes illi existi mant

mant sibi tribuendos honores secundum ea bona quibus alijs præstant, atque ideo de honoribus certant considerantes, vt inquit Sanctus Thomas, secundum quid iustum, & non simpliciter iustum. nunc assignat rationes, quas illi ad suum propositum afferunt, & primo rationes diuitum hoc pacto. Qui plus habent regionis, debent recipere plus honorum: Sed nos diuites habemus plus regionis & possessionum, quibus defenditur ciuitas, ergo & plus honorum debemus recipere. Item plus honorum est tribuendum illis, quibus plus fidei tribuitur: sed opulenti sunt eiusmodi, ergo plus honorum est illis tribuendum. Præterea ingenui, & nobiles quadam propinquitate coniuncti suam causam agunt, dicentes sibi deberi maiores honores, quia sunt generosiores, & ideo digniores, quia nobilitas apud omnes domi in honore habetur. Item quia consentaneum est, se esse meliores ex eo, quia sunt ex melioribus, idest ex nobilioribus orti: & ideo sibi maiores debentur honores. Notandum hic, quod non sequitur aliquem oriri ex bonis, ergo esse bonum secundum uirtutes proprie dictas, nec etiam sequitur necessario oriri bonum ex bonis secundum uirtutes naturales. sed bene uerisimile est, ex bonis parentibus ortum trahere ex complexione bona parentum bonas dispositiones, quas ponit philosophus in sexto ethicorum, & hoc pacto nobilitas dicitur virtus generis. Verum studiosi & virtute præstantes locupletissimas rationes afferre possunt. Illis enim maiores debentur honores, qui plus conferunt ad ciuilem societatem, sed studiosi iustitiaque præstantes sunt huiusmodi ergo &c. Patet ratio, quia iustitia est virtus maxime sociabilis, & vbicunque est, ibi facilè congregantur homines. Est enim virtus ad alium, vt ostendit philosophus in quinto Ethicorum, & trahit secum reliquas virtutes, siue sumatur, vt tota virtus, quæ reliquas complectitur, siue particularis, qua data, reliquæ etiam dantur secundum sententiam philosophi in sexto Ethicorum, vbi ostendit, quod qui habet vnam virtutem perfectè, habet etiam

etiam reliquas. Deinde affert rationes multitudinis, quæ dicit se esse potentiorem, ditiorem, meliorem, propterea sibi plures honores deberi. Posthæc dicit philosophus, quod si isti omnes videlicet studiosi, diuites, nobiles, essent in vna eademque ciuitate, & præter hos sit alia multitudo ciuilis, ambiget quis, vtrum isti, an illi debeant dominari. Determinatum est autem in vnaquaque specie reipublicæ quis dominatur, veluti in populari statu multitudo, in paucorum potentia, opulenti, in optimatum republica, studiosi, & sic de aliis.

Differunt enim ista regimina secundum diuersas rationes gubernandi, nec est dubium in singulis istis regiminibus constitutis quis dominetur: Sed dubium est si omnes istæ conditiones ciuium eodem tempore in vna eademque ciuitate reperiantur, quod sit agendum, & quod spectandũ in deferendis honoribus, videlicet spectandæ ne sint diuitiæ, an nobilitas, an virtus. Quod si virtuti, & studiosis tribuendus est honos (ad quod magis inclinare videtur) vlterius considerandum est, si studiosi sint pauci, quomodo sufficient ad rempublicam gubernandam, & ostendere videtur, quod cum pauci considerari bifariam possint, aut respectu gubernationis, aut respectu multitudinis, si sint pauci, nihil refert dummodo non sint pauci respectu gubernationis, sed tot sint, vt sufficiant ad gubernandum, & opus suum perficiendum: idest ad recte iusteque regendum. Is enim finis optimis gubernatoribus reipublicę debet esse propositus, & hinc sumitur ratio, atque mensura eorum, quæ sint ad finem. *Nobilitas autem apud omnes in honore habetur,* scilicet domi. *Sociabilem.* idest communicabilem. *Susceptis pluribus.* idest si plures simul sumpti ad pauciores conferantur. *An considerare oportet si pauci.* Quasi dicat, an debemus considerare, an sint pauci ad opus gubernandi rempub. vel ad implendam ciuitatem, & hoc secundum nihil refert ad dictum propositum dummodo satis sint, & sufficiant ad gubernandum.

Est autem dubitatio quædam in cunctis, qui de honoribus in

repub. contendunt. nam qui vel propter diuitias ſimiliter quoque & qui propter genus gubernationem ſibi tribuendam putant, nihil iuſtè dicere videantur. ſequeretur enim, vt ſi quis omnium ditiſſimus eſſet, is vnus eodem iure gubernare alios omnes deberet. eodem modo, qui nobilitate antecelleret, eorum gubernator eſſet, qui cum ipſi ſint ingenui de honore contendunt. Hoc idem forſan continget in optimatum gubernatione circa virtutem. ſi quis enim vnus vir probitate antecellat alijs, qui in eadem repub. ſtudioſi verſantur, hunc dominari oportebit ſecundum illud iuſtum. ergo ſi & multitudinem dominari oportet, ex eo quia potentior eſt quàm pauci, etiam ſi vnus vel plures vno, pauciores tamen quàm multitudo, potentiores ſint alijs, hos oporteat gubernare potius, quàm multitudinem. Hæc itaque omnia videntur oſtendere, quod harum determinationum nulla eſt recta, ſecundũ quam cenſent ipſi gubernationem ſibi eſſe tribuendam, cæteros vero omnes ſub eorum gubernatione eſſe debere. nam profectò & ad eos qui per virtutem ſibi arrogant gubernandi authoritatem, ſimiliter aũt & ad eos qui per diuitias, reſpondere poſſet multitudo, iuſtum ſermonem. nihil enim vetat multitudinem quandoque meliorem eſſe quàm pauciores ac ditiorem, non ſecundum ſingulos, ſed ſecundum vniuerſos.

Arguit philoſophus contra ſingulos eorum, qui ſuperius ſibi honores, & magiſtratus tribuendos putabant, & primo contra diuites, oſtendendo, quod eorum argumenta non valent, quia ſi ob diuitias debent dominari, tunc ſequeretur quod vnus ditiſſimus deberet cæteros gubernare. Idem contra nobiles dici poteſt, quia nobiliſſimus aliorũ reliquis deberet dominari. Eodem forſitan modo, inquit philoſophus dici poteſt de ſtudioſis viris & virtute præſtantibus. Item contra multitudinem eadem ratio afferri poteſt, quia ſi ob hoc dominari vult multitudo, quod potentior, ditior; & melior ſit: tunc cum inter multos alius aliò ſit ditior, potentior, ac melior, ſequetur quod vnus vel pauci huiuſmodi erunt domini reliquorum. ſic patet quod iſti diuites ingenui nobiles, ac multitudo ſe ipſos decipiunt, nec rectè contendunt. Hoc idem forſan accidit ſtudioſis: & addit

addit forſan, quia procedit diſſerendo. Sed certum eſt, quod virtute prętans, vel prętantes gubernare debent vt patebit inferius.

Ex quo ad eam quæſtionem quam quærunt, ac proponunt quidam, contingit modo ſequenti reſponderi. dubitant. enim nonnulli, vtrum legiſlatori volenti quidem rectiſſimas condere leges, ſanciendæ ne leges ſint, ad meliorum, an ad plurium vtilitatem, quando contigerit quod modo dictum eſt. Rectum quidem accipiendum eſt æquè: æquè verò rectum ad totius ciuitatis vtilitatem, & ad communem ciuium. ciuis autem communiter quidem, qui particeps eſt imperandi & parendi, licet alius ſecundum vnamquamq; ſpeciem rerum publicarum. ſecundum autem optimam ſpeciem, qui poteſt & eligit parere & imperare, ad vitam ſecundum virtutem degendam.

Hæc eſt tertia pars huius capituli, in qua philoſophus affert quæſtionem accommodatã ſuperioribus dictis, & eam ſoluit. Dubitant quidam, vtrum legum lator volens afferre rectiſſimas leges, debeat reſpicere ad vtilitatem bonorum, an totius multitudinis: & ſtatim ſoluere videtur, quod communem vtilitatem ciuitatis ſpectare debet. Verum cum plures ſint ſpecies rerum publicarum, reſpiciet ad commune bonum eorum, qui ſunt in tali republica, vt in populari ſtatu, populi bonum: in optimatum gubernatione, bonorum ciuium vtilitatem, qui viciſſim parent, & imperant in magiſtratibus: & adiungit forſan, quia in optima republica non caderent eiuſmodi quæſtiones, ſed abſolute dicerémus, quod legum lator deberet reſpicere ad vtilitatem bonorum. *Per hunc modum*, tranſeundo per omnes ſpecies rerum publicarum. *quòd modo diximus*. Vt legibus conſtituatur tale, ac tale regimen, ac reſpublica. *Accipiendum eſt æque.* ideſt accipiendum eſt forſan. *Aeque vero rectum*, ideſt forſan vero rectum.

Quod ſi vnus ſit vſque adeo ſuperexcellens virtute, vel plures quam unus, nec tamen tot numero, ut implere ciuitatem poſſint, ut neque comparanda ſit aliorum omnium uirtus, neque facultas gerendi rempub. ad hanc plurium, ſi ſint plures, uel unius

tantum, si unus, non amplius hi ponendi sunt ciuitatis pars: fieret enim illis iniuria, si alijs paribus pares censerentur, cum sint usque adeo superiores secundum uirtutem, atque ciuilem potentiam, putandum est enim talem uirum tanquàm Deum in hominibus esse. Ex quo manifestum est, positionem legum necessariam esse circa æquales genere & potentia: sed de illis qui tales sunt, non est lex: ipsi enim lex sunt. etenim ridiculus esset, qui legi illos subijcere conaretur, diceretur enim fortasse, quemadmodum de leone scribit Antisthenes, concionantibus lepusculis ac censentibus æquum omnes habere.

Excipit philosophus optimum, & excellentissimum virtute virum ab ipsa respublica, quia non videtur esse pars ciuitatis, vt quidam ciuis, cum tantum cæteris antecellat, nec subijci debet legibus à conditore legum, cum ipsemet sit sibi lex, sed debet esse in ciuitate, vt rex, ne subeat vicissitudinem parendi, & imperandi. Nam ei fieret iniuria, si cæteris æquaretur, cum sit longe superior virtute, & facultate ciuili. Quare non est ponendus in numero ciuium, ut pars ciuitatis, sed excipiendus, & in altiore loco collocandus. Quòd autem excellentissimus uirtute uir non sit pars ciuitatis, probat philosophus hoc pacto. Is qui adeo superæminet alios, vt sit homini diuino similis ueluti quidam heros, non videtur esse pars ciuitatis: Sed homo excellentissimus virtute est huiusmodi, ergo non videtur esse pars ciuitatis. Patet ratio. Nam homo nascitur imperfectus secundum vires, & potentias accommodatas ad ipsas virtutes acquirendas. Quòd si eas perfectè consequatur, non solum viribus, sed etiam uirtutibus perfectissimus euadit vir, & quasi homo quidam supra conditionem humanam, & talis non videtur esse pars ciuitatis. Verum de ipso dici potest, vt de leone respectu densipodarum, idest animalium habentium densos pedes, quibus concionantibus, vt fabulose inquit, Antisthenes de instituenda sua respublica, & legibus ponendis: Leo inquit, Ego obediam vestris legibus, si demantur mihi vngues. Qui enim fieri potest, vt super-

peræminens virtute æquetur rectè cum alijs? Ex his colligitur, ad quam sententiam inclinat philosophus, videlicet primum ad vnius hominis perfectissimi gubernationem, & eorum deinde, qui optimates vocantur: Tertio loco est respublica. Vt igitur ad propositum redeamus legum lator in condendis legibus debet excipere excellentissimum virtute virum, secundum philosophum. *Circa æquales*, ubi non sit tanta superexcellentia uirtutis.

Ideoque à ciuitatibus quæ populariter reguntur, ostracismus repertus est propter eiusmodi causam. hæ siquidem ciuitates æqualitatem maxime omnium complectuntur. Quare qui superexcellere uidetur, uel propter diuitias, uel propter amicos, uel propter aliquam aliam ciuilem potentiam, extra ciuitatem relegatur, atq; transfertur ad tempus aliquod determinatum. Tradunt etiam fabulæ ob huiusmodi causam Herculem ad Argonautis fuisse relictum. non enim unà cum alijs nauem regere illum uoluisse, ut nimium superexcellentem inter nauigantes. Quapropter qui uituperant tyrannidem & consilium Periandri, Thrasybulo datum, non simpliciter existimandi sunt rectè increpare. Ferunt enim Periandrum nihil respondisse ei, qui consilij petendi causa ad ipsum missus fuerat: sed superæminentes spicas demetendo, segetem adæquasse. cuius quidem facti causam cum non intelligeret nuncius, ac factum ab eo narraret, intellexisse Thrasybulũ, quod oportebat superæminentes ciues auferre. hoc autem non solum prodest tyrannis, nec soli faciunt tyranni, sed & in paucorum potentia, et in populari statu similiter se habet. Ostracismus.n.eandem quodammodo uim habet, tollendo eos qui superæminent, et in exiliũ pellendo. Hoc idem & in ciuitatibus & in gentibus faciunt ij, qui dominantur potẽtia. uelut Athenienses circa Samios, & Chios, & Lesbios. quã primum.n.imperium firmiter habuerunt, eos in multis pessundederunt, contra fœderis æquitatem. Persarum aũt rex Medos, et Assyrios, & alios qui magnum aliquid de seipsis sapiebant, ob imperium prius habitum, sæpe contriuit. Quæstio autem proposita, circa omnes est rerumpub. species uniuersaliter, & quæ etiam sunt rectæ. nam illæ quæ transgrediuntur ad propriã respicientes utilitatem, hoc agunt. quinimò & illæ quæ ad commune respiciunt

bonum eodem modo se habent. Patet hoc quoque in alijs artibus & scientijs. neque enim pictor excedentem mensuram pedem, animal habere pateretur, quanuis pulcherrimus ille pes esset. neque nauium artifex proram, aut aliam partem nauis. neque certè magister chori, eum qui pulchriorem ac meliorem toto choro vocem emittit, sinet in choro esse. Itaque ob hoc quidem nihil prohibet eos qui domini sunt, conspirare ciuitatibus, si (cum eorum proprius principatus ciuitatibus vtilis sit) hoc agunt. Quare secundum eas quas confitemur superexcellentias quandam habet ciuilem iustitiam, ratio illa quæ circa ostracismum est. melius tamen fuisset sic ab initio per legis conditorem fuisse prouisum, vt respub. non indigeret tali medicina. secundo autem loco, si quid tale acciat, conandum est, tali aliquo remedio corrigere. quod tamen factum non est, in ciuitatibus: non enim respexerunt ad commodum propriæ reipu. sed per seditionem vsi sunt per ostracismum, ciuium impulsione. In his igitur speciebus gubernandi, quæ lapsæ sunt quod ad priuatum commodum pertinet, ac iustum est, patet. forsan autem non simpliciter iustum: & hoc est manifestum.

Ex supradictis infert philosophus sententiam obortam inde, quam appellant corollarium. Dictum est enim summum virtute virum non esse subijciendum legibus. Verum ciuitates populariter viuentes ita æqualitatem diligunt, vt superæminentes ciuili potentia homines non ferant. Vnde dicit philosophus, quod ostracismus: idest tale exilij genus inuentum fuit à ciuitatibus, quæ populariter viuunt, at ciues redigantur ad paritatem, relegando sub aliquod tempus eos, qui propter diuitias, uel amicos, uel aliquam aliam ciuilem potentiam superæminent. Quin etiam ab Argonautis relictum Herculem tradunt fabulæ. Alia præterea quæ ad hoc propositum de Thrasybulo, & Athenensibus & Persarum rege dicuntur, manifeste patent, in textu. Nam omnes respublicæ tam rectæ, quam non rectæ paritatem quærunt: superæminentiam fugiunt dicit philosophus, & remedium ponunt, licet tali remedio plerunque abutantur. *Ostracismus*. Ostracus aut est calculus, aut pars, vel testa ostrearum. Vnde tale exilij

exilij genus dictum volunt, quasi calculis vel ostracis factum. *Quæstio autem propósita.* idest propositum istud à nobis. *Patet hoc in alijs.* eandem sententiam confirmat philosophus similitudine artium in quibus fit, vt superæminentem partem alicuius operis non permittant artifices excedere. Eodem modo fit in ciuili facultate, in qua repertum est illud remedium ueluti medicina quædam. Verum melius foret inquit philosophus, sic ab initio instituere rempublicam, vt non ægrotet, nec indigeat tali medicina. At ciuitates inquit, non adhibuerunt hanc pœnam pro medicina, sed abusi sunt ea ob seditionem, non ad publicam vtilitatem, sed ad proprium commodum tale remedium referentes. *Secundo autem loco*, idest secunda nauigatione, vt aiunt. *Quod tamen factum non est*, scilicet, vt vtantur tali remedio pro medicina, & gratia publicæ vtilitatis. *Iustum;* scilicet proprium.

Sed in optima repub. magnam habet dubitationem, si non per excellentiam aliorum bonorum (ceu virium & diuitiarum & amicitiarum) sed si quis excellat virtute, quid de eo sit faciendum? non enim dicendum est, vt ita talis vir sit de ciuitate pellendus, transferendusque; atqui nec gubernationi aliorum talis vir erit subijciendus: perinde enim est ac si cum Iupiter gubernaret magistratus cum eo partirentur. restat ergo vt videtur, naturam huius talem esse, vt omnes sponte sua parere illi debeant: quare huiusmodi quidem homines, reges perpetuos esse in ciuitatibus.

Quærit philosophus hac in parte quid agendum est in optima republica de excellentissimo viro: nam si talis respublica vtitur medicina contra, excedentes alios diuitijs, vel potentia amicorum, de viro excellentissimo prudentia atque virtute, quid dicendum est? Pellendus ne est de ciuitate, vt excedens alios. Breuiter respondet philosophus, hoc non videtur iustum, cum sit optimus vir, nec etiam videtur consentaneum, vt æquetur cum alijs vicissitudine imperandi, atque parendi secundum leges, cum tantum cæteris præstet. Verum talis dominari debet, & reliquos regere. Alij autem de-

bent ei ſponte obtemperare, vt optimo & prudentiſſimo viro: & ſic philoſophus venit paulatim ad regiam gubernationem,& regimen vnius optimi, quod cæteris alijs anteponit, nec obſtat quod ſuperius dixit expedire multitudinem potius dominari, quam vnum,vel paucos ſtudioſos,& multa alia ſuperius allata, quæ à philoſopho differendo magis,quam aſſerendo ſunt dicta. Apparebit enim inferius,quod gubernationem unius optimi primum, deinde optimatum extollet philoſophus: Tertio loco eſt ipſa reſpub.nomine generis vocitata.

Forſan uerò poſt hæc congruum fuerit conſiderare de regia gubernatione: diximus enim hanc eſſe unam ex rectis ſpeciebus rerum publicarum. Conſiderandum eſt autem, utrum conducat ciuitati & regioni quam rectè guqernari oporteat: regem habere an non, ſed alia quædam ſpecies gubernandi magis conducat: an quibuſdam conducat, quibuſdam uerò non? Ante omnia uerò diſtinguendum eſt, an ſit unum genus eorum, an differentias habeat plures:

Hic eſt tertius tractatus huius libri, in quo philoſophus poſtea quam diuiſit gubernationem reipub.in ſuas partes, ideſt in rectam,& non rectam: & rectam rurſum in regnum,optimates,& rempub. Non rectam in tyrannidem, paucorum potentiam, & ſtatum popularem, & differendo inueſtigauit quaſdam dubitationes:nunc incipit tractare de regno, & ſic ſucceſsiuè faciet de alijs ſpeciebus gubernationum. Diuiditur autem in tria capitula: in primo diſtribuit regnum in ſuas ſpecies:in ſecundo affert quæſtiones quaſdam circa regnum: in tertio ſoluit principales dubitatiònes, & oſtendit regnum eſſe optimam ſpeciem reipublicæ.

Primum capitulum diuiditur in duas partes, in prima philoſophus nactus occaſionem ex his, quæ nouisſimè dixit de excellenti virtute viro, affert voluntatem ſuam, & modum procedendi de regia gubernatione. Eſt enim optima inter reſpublicas rectas, &, vt dicit Sanctus Thomas, eſt regula, & menſura reliquarum, vt perfectiſſima in eo genere. Merito igitur incipit ab ea.

Faci-

Facile est profectò id intueri, quod plura genera sunt, neque regum omnium modus vnus, potestatis est. in Lacedæmoniorum enim reipub. videtur regia potestas esse maximè secundum leges: neque enim potestatem habet omnium. sed cum egreditur extra regionem, imperium habet eorum quæ pertinent ad bellum: præterea sacrificia, Deorumque cerimoniæ ei commissæ sunt. hæc igitur regia potestas, est quasi auctoritatem belli perpetuam habere: vitæ enim, necisq; alicuius non habet potestatem, nisi in aliqua regnandi parte, vt dum ad bella egreditur, lege id potest, quod etiam apud antiquos fuisse videtur: quod ostendit Homerus: nam Agamemnon in concionibus maledictis, & iurgijs vexabatur: sed cum à concione digressus in prælio erat, occidendi habebat potestatem. Itaque, inquit, quem ego procul à pugna fugientem conspexero, non sibi sat erit fugere canes & aues: nam penes me occidendi potestas. Vna ergo species regni, est auctoritas belli perpetua, & quandoque per genus, quandoq; per electionem huiusmodi regnum obtinet.

Secunda est pars capituli, quæ in sex particulas diuiditur. nam distribuit regnum in quinq; species, & in sexta particula redigit omnes ad duas, & vnam posthabet, & quintam speciem declarat esse proprie regnum: in prima igitur philosophus incipit afferre vnam speciem regni, quo vtebantur Lacedæmonij, & talis rex habebat in bello summam, & cōtinuam potestatem. Huiusmodi autem gubernatio regia est veluti imperatoria potestas in bello, quę aut per successionem generis, aut per electionem esse potest, vt patet in textu philosophi.

Est & alia insuper monarchiæ species, qualia sunt apud quosdam barbaros regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet sint legitima & secundum morem patriæ. ob id enim, quia magis aptæ natura sunt ad seruiendum, nationes barbarorum, quàm Græcorum, & eorum qui incolunt Asiam, quàm eorum qui Europam, perferunt sub herili principatu seruile iugum æquo animo: & ob hoc tyrānica sunt huiusmodi regna: sed habent securitatem, quia more & legibus consistunt, & ea de causa custodiam habent regiam, non tyrannicam: Reges enim à ciuibus armis custodiuntur, tyranni verò ab extraneis mercede conductis, & Reges secundum leges & volentibus, tyranni verò inuitis dominantur. itaq; alteri à ciui-

à ciuibus custodiuntur, alteri contra ciues custodiam parant. sunt igitur hæ de quibus dictum est, duæ species monarchiæ.

Secunda est species monarchiæ, idest regiæ gubernationis dicit philosophus, qua vtebantur barbarę gentes. Videtur autem similis esse tyrãnidi. Differt tamen, quia est secundum leges, & morem patriæ, & non fit inuitis illis, qui reguntur. Hoc autem regnum dominicum illæ gentes barbaræ Asiam incolentes ęquo animo ferunt, ita vt sponte obediant, & custodiant reges suos. Tyranni vero inuitis dominantur, & plerunque ab externis custodiuntur.

Tertia verò species est, vt antiquitus in Græcia fuere, quos vocabant Aesymnetas. est autem hæc, vt simpliciter dicamus, electiua tyrannis, differens à barbarica, non eò quod non secundum legẽ, sed eò quod non secundum legem patriam. potestas autem huiuscemodi, aut viuente eo durabat, aut tempore quodam definito, rebus'ue gestis, finiebat. Qualem elegerunt quandoq; Mitylenei Pittacum aduersus exules suos, quibus præerant Antimenides, & Alceus poetæ. ostendit hoc Alceus in quodam loco suorũ carminum: increpat enim quod patriæ maleficum Pittacum, ciuitati intemperatæ, & aduersa laboranti fortuna præfecerint, tyrannum simul collaudantes. Huiusmodi igitur species, quia tyrannicæ sunt, dominationem habent, quia verò electiuæ sunt, & uolentium, regiæ.

Affert tertiam speciem regalis monarchiæ, qua antiquis temporibus vtebantur Græci. Eligebant.n. gubernatores, & appellabant Aesymnetes, forsitan ab occasione aliqua, & erat talis potestas, aut perpetua, aut ad certum tẽpus, vel alicuius occasionis gratia, & durabat quousque illa occasio permanebat, sicut Mityleneis contigit, qui constituerunt Pyttacum regem, vt resisteret exulibus, ita cessante illo periculo, cessaret illa potestas. *Suorum carminum*, idest carminum, quę appellantur torta. *Dominationem*, idest potestatem herilem.

Quarta species regni est, quales erant heroicis temporibus spontaneæ, et secundum morẽ partium & legẽ: propter beneficia enim à primis collata in populos, uel per artes, uel per bellum, uel propter congregationem in unum, uel propter acquisitionem regionis, delatum

delatum fuit eis regnum de populorum uoluntate, & successoribus patriæ. Hi & imperium habebant belli, & rei diuinæ cultum exercebant, nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotium requirerent: & præterea de controuersiis iudicabant, & hoc faciebãt alij quidem iureiurando præstito, alij uerò sine iureiurando. erat autem illis iusiurandum per sceptri eleuationem: alij antiquis temporibus ciuitatem, & quæ publica erant & externa, continuò gubernabant. postea verò (partim ipsis regibus dimittentibus: partim multitudine detrectante) illud solum in quibusdam ciuitatibus relictum est regibus, ut cerimoniarum erga Deos haberent facultatem, ubi & dignum censent dici regnum, si etiam solum in externos adsit ducendi belli facultas. Regiæ ergo potestatis tot sunt species, quatuor videlicet numero: una quidem qualis erat tẽporibus heroum. hæc autem erat volentium, & apud quosdam, determinatarum rerum: dux enim belli, & iudex controuersiarum erat Rex, & dominus cerimoniarum erga Deos, altera erat barbarica, ex progenie, scilicet dominatio secundum leges: tertia erat quàm Aesymnetiam uocant, & quàm esse diximus electiuam tyrannidem: quarta Laconica, ea autem est (ut simpliciter dicam) imperium belli secundum genus perpetuum: istæ quidem igitur per hunc modum inter se differunt.

Affert quartam ſpeciem regni, qua populi heroicis, vel priſcis temporibus vtebantur. Fiebant autem tales reges ob aliqua beneficia in populos collata ſecundum leges, & conſuetudinem patriæ. Textus eſt manifeſtus. Iſtæ autem ſpecies regni ex Homero ductæ eſſe videntur. *Vna qualis.* Incipit à quarta, repetendo breuiter vſq; ad primam.

Quinta autem est species regni, quando vnus omnium habet potestatem: quemadmodum vnaquæq; gens, & ciuitas vnaquæq; publicè ordinata, ad exemplar gubernationis domus: vt enim gubernatio patrisfamilias est regia quædam potestas domi, ita regia potestas, & ciuitatis, & gentis vnius aut plurium, quasi domestica quædam gubernatio est.

Quintam ſpeciem monarchiæ, regalis, ſiue regiæ gubernationis affert philoſophus, quæ dicit omnimodo regnum: cuius abſolute eſt omnium poteſtas, & comparatur

tur domesticæ potestati patrisfamilias erga domum suã, & gubernationi ciuitatis, vel gentis erga res communes, vbi communis vtilitas quæritur, & obseruantia legum. Et ideo talis rex est vt pater, & pastor populorum, sicut paterfamilias eorum, qui sunt in domo. nam sicut domesticum regimen est respectu domus: ita regnum proprie dictum est quasi domesticum regimen, respectu ciuitatis, vel gentis. *Quemadmodum unaquæque gens*, idest quemadmodum vnaquæque gens, vel ciuitas, scilicet domina est rerum suarum communium, ordinata ad exemplar domesticæ gubernationis.

Ferè autem duæ sunt (ut sic dixerim) regni species; de quibus considerationem facere expedit: una hæc de qua diximus: altera Laconica: nam aliarum cæteræ inter has mediæ sunt: paucorum enim dominæ quàm omnimoda potestas regia, plurium uerò quàm Laconica. itaque consideratio fere circa duo uersatur: unum quidem, conducat ne ciuitatibus perpetuum belli ducẽ habere, et hunc an per genus, an per electionem? alterum, conducat ne unum habere potestatem omnium, an non conducat? De duce igitur belli considerare potius ad leges pertinet, quàm ad aliquam speciem reipub. nam in omni republica id cadere potest, quare dimittamus hãc primam partem: de regia autem (quoniam hæc est una reipublicæ species) reliqua inquirendum est particula: quare et par est de ea considerare, & dubitationes quæ in eam cadunt, percurrere.

Sexta est particula, in qua distributis speciebus regni, vt vidimus, redigere videtur omnia ista regna ad duas species, quarum vna est paulo ante dicta quinto loco: altera Laconica: & ratio est, quod alia tria regna sunt locata inter ista duo & habent maiorem potestatem, quàm Laconicum regnum, & minorem, quàm postremum quinto loco dictum. Incepit autem philosophus à regno minoris potestatis, & venit paulatim ad illud quintũ, quod habet absolutam potestatem. De istis igitur duabus speciebus, dicit philosophus, considerare nos oportet. Demũ omissa illa prima, quæ similis est Laconicæ, quia non est proprie regnum, redigit se ad quintam speciem regalis monarchiæ, quæ proprie pertinet ad cõsiderationem

ciuilem.

ciuilem. Videamus itaq; circa istam speciem legitimi regni dubitationes, si quę sunt, & alia, quę ad cognitionem illius pertinere videntur.

Caput uerò huius quæstionis est, utrum expediat magis ab optimo homine regi, an ab optimis legibus? Qui gubernationem hominis præferunt, aiunt, leges solum uniuersaliter prouidere, non autem de singulis quæ accidunt, iubere: quare in quacunque arte per literas præcipere fatuum est: et in Aegypto post tertiam diem mouere licet medicis: quod si prius, suo periculo id agunt. Patet ergo propter eandem causam, non esse per literas & leges optimam gubernationem: attamen & illam adesse oportet gubernantibus uniuersalem rationem. at melius certè, cui nō adest turbatio aliqua omnino, quàm cui natura inest. eiusmodi autem turbatione lex caret, mens uerò humana ex necessitate id habet. sed forsan dicat aliquis, quod per huiusmodi rationem probabilius deliberabit circa singula. Quòd igitur necesse sit ipsum legis conditorem esse, ac leges poni, manifestum est, sed non dominas esse quatenus transgrediuntur. nam in cæteris quidem eas dominari oportet.

Hoc est secundum capitulum, in quo philosophus, posteaquam diuisit regalem monarchiam in suas partes, & redegit se ad regnum absolute & proprie dictum, nunc afferre videtur plures dubitationes, siue quæstiones, vt natura & conditio regni magis elucescat. Diuiditur autem in quinque partes, quæ suis locis declarabuntur. Primo igitur quærit, vtrum expediat ab optimo homine gubernari rem pub. an ab optimis legibus. Et primum arguit pro optimo homine: deinde pro optimis legibus. Arguit igitur in primis pro optimo homine hoc pacto, sicut fit in cęteris artibus & facultatibus, ita fieri debet in facultate ciuili, sed in alijs artibus ita fit, vt quisque fere artifex operetur ex suo arbitrio, & non secundum literas circa illam artem, ita facere debet gubernator ciuilis, idest sine scriptis legibus gubernare: patet' ratio ob congruam similitudinem: sumamus enim artem medendi, in qua medicus plerunque ex sua sententia operatur, & non omnino sequitur scripta, cum medicina versetur circa singula, vt ostendit philosophus primo

mo Ethicorum :, regulæ autem medicinæ ſint vniuerſales. Vnde Aegyptij inſtituerunt, vt medici poſt tertiam diem habeant licentiam mouẽdi. Ex quo patet, quod nõ ſunt ſequenda omnino ſcripta, & eodem modo gubernatorem optimum, dicit philoſophus, gubernare rem publicam præſtat, quàm leges, quæ deficiunt in particularibus. *Caput*, ideſt, principium. *Vel*, an. *At qui & illam.* Arguit pro parte optimarũ legum hoc pacto: illud eſt melius, vt in re pub. dominetur, quod caret perturbationibus, quàm id, quod habet perturbationes ſibi naturaliter coniunctas: ſed leges bonę carent perturbationibus, homo vero ſubiicitur motionibus animi, ergo melius eſt, vt in re pub. præſint leges, quàm homo, patet ratio, quia perturbationes, & paſſiones impediũt iudicium rationis, & homo habet fomites à quibus oriuntur paſſiones vel perturbationes: eſt enim paſſio, vt inquit Sanctus Thomas, motus appetitus ſub phantaſia boni, vel mali: leges vero non habent paſſiones, ergo leges dominari debent. Poſt hęc philoſophus contra hoc progrediens dicit, aliquem reſpondere poſſe, quod loco huius conſultabit melius circa ſingula, quaſi ſi tribuitur homini, vt perturbari poſſit, tamen loco huius tribui poteſt, quod iudicabit, & diſcernere poterit circa ſingula. itaq; ſi homo perturbari poteſt, & nõ lex, etiam verſa vice homo diſcernere poteſt circa ſingula, & non leges. Verum, vt apertius pateſiat, quod dicitur, reſpondere videtur, quod oportet gubernatorem bonum eſſe conditorem legum, vt non ſolum habeat iudicium circa ſingularia, ſed etiam diſciplinam vniuerſalium, vt in ſexto Ethicorum oſtendit philoſophus, & leges poſitas eſſe oportet, nec tamen incorrigibiles in his, in quibus deficiunt: in alijs vero oportet eſſe firmas, vel præſidentes, quaſi dicat, oportet leges poſitas eſſe non inuiolabiles, ideſt non incorrigibiles, vbi tranſgrediuntur, vel deficiunt: in alijs autem inuiolabiles, ideſt inuiolabiles, & firmas, vbi recte prouiſum eſt ab illis: corrigibiles vero, vbi aberrant, vel deficiuntur propter vniuerſalitatem, quia complecti nõ poſ-

ſunt

sunt cũcta singularia, in quibus supplere debet optimus gubernator æquitate,& prudentia sua,vt in quinto Ethicorum ostendit philosophus. *Ac leges poni*, ideſt leges positas esse.

At de quibuscunq; lex aut prouidere nõ poteſt omnino,aut non bene prouidere, utrum in his uni uiro optimo danda sit poteſtas,an multis? Etenim nunc plures simul cognoscunt de causis, & deliberant & iudicant (sunt autem huiusmodi cuncta iudicia de singularibus) secundum autem unumquemq; (quicunq; etiam fuerit) is comperitur comparatus, forsasse deliberando iudicandoq; deterior, sed & ciuitas ex multitudine conſtat: et ut conuiuium ad quod plures conferunt, melius eſt quàm una atq; simplex mensa, sic iudicia multorum sæpe meliora sunt,quàm uniuscuiusq;. Præterea, multitudo minus subiacet corruptioni,quemadmodum aquæ magna congeries: sic etiam plures quam pauci, incorruptibiliores sunt: at cũ vnus iudicat,si ira vel alia huiusmodi perturbatio uincat,necessarium eſt iudicium corrumpi, sed in multitudine difficile foret omnes irasci,atq; errare: sit uerò ea multitudo liberorum hominum,qui nihil agunt præter legem: nisi in quibus lex ipsa necessariò deficit: quod si hoc non facile in pluribus, si plures sint boni uiri & ciues, utrum incorruptior erit unus in gubernando, an cum erunt plures,& boni omnes? an patet quod plures? Enimuero plures inter se factionibus contendunt, unus autem non contendit: sed aduersus hoc forsan ponendum eſt,quod ſtudiosi uiri bonæque mentis sint omnes, ut ille unus: si ergo plurium gubernatio,bonorum autem uirorum omnium,optimatium dicitur, unius autem, regnum: optabilius fuerit ciuitatibus ab optimis gubernari quàm à Rege,& cum poteſtate, & sine poteſtate principatus, modo reperiri queant plures similiter.

Hæc eſt secunda pars huius capituli,in qua affert primo aliam quæſtionem, deinde ex ea infert sententiam quãdam: quæſtio igitur talis eſt: cum sint multa,de quibus non determinant leges,quæritur,vtrum cum supplere debeat homo, multi ne ciues,an vnus optimus gubernator talia determinare debet,& ex sua sententia decernere,& iudicare: & arguit,quod plures in huiusmodi rebus decernere debent hoc pacto: ij,qui melius percipere pos-

re pos-

re possunt, debet potius decernere & iudicare, quàm qui minus: sed plures sunt huiusmodi. melius enim intelligunt, quàm vnus, ergo plures decernere & iudicare potius debent, quàm vnus prudens. Ad hanc rationem probandam vtitur exemplo cõuiuij, sicut antea. item affert aliam rationem hoc pacto, qui minus corruptioni, & errori subiacent, potius decernere & iudicare debent, quã qui magis ei subijciuntur, sed plures sunt huiusmodi, ergo plures decernere potius debent, & pluribus dãda potius potestas est decernendi & iudicandi, quàm vni soli, vt patet in textu. Istos autem plures, quos dicimus minus decipi in iudicando, volumus esse, inquit, homines liberos, nihil agentes præter leges, nisi in his, in quibus leges deficiunt, & in talibus melius erit, & minus deceptibile iudicium plurium, quàm vnius. Quòd si hoc nõ est facile in multitudine, attamen si sint plures boni viri, & ciues, adhuc quærendum est, vtrum erunt minus decepti biles, quàm vnus gubernator: & dicit, manifestum esse, quod plures erunt minus deceptibiles, & secũdum istam rationem decernere & iudicare debent potius, q̃ vnus. Verum alio respectu dicet aliquis potius vni, quàm pluribus danda gubernatio vel deliberatio videtur, quia in vnum non, cadit seditio, in plures autem cadere potest: & interrogatiue sumendum est illud, *Enim uero?* His dictis affert solutionem ad hunc modum explicandum: dicit enim philosophus, quod illi plures sint studiosi, sicut ille vnus, & quod sicut vnus bonus nõ habet seditionem in se, quia est bonus, & habet appetitum obtemperãtem rationi, vt in ethicis ostensum est: sic etiam plures illi, quia sunt boni, non dissidebunt inter se. Si igitur, vt declaratum fuit, plures bonos, quàm vnum gubernare præstat: & talium regimen, optimatum dicitur gubernatio: vnius vero regnum, hac ratione aristocratia (in qua plures boni gubernare dicuntur) idest optimatum gubernatio melior erit, quàm regnum, dato quod vtrunq; potentiam habeat, vel non habeat, adhuc erit melior optimatum gubernatio, quàm regnum secundum assignatam rationem.

rationem. Posthæc addit philosophus, modo reperiantur plures similiter, scilicet boni vel optimi viri.

Et ob hoc forsan rex ab initio repertus est, quod difficile erat viros plures excellenti virtute reperiri, præsertim cum tunc ciuitates paruæ fuissent. Præterea ob beneficia accepta reges creauere: quod opus est bonorum virorum: sed cum postea contingeret, vt plures pari virtute reperirentur, non amplius tolerauerunt regem, sed cõmune quiddam quærentes, respublicas constituere: cum verò deteriores facti, lucrum sibi quærerent ex gubernatione reipublicæ, paucorum hinc potentiam exortam fuisse credendum est: honorabant enim diuitias, ex his vero, in tyrannides transiere: ex tyrannide rursus ad popularem potentiam. semper enim ad pauciores redigentes propter turpem quæstus cupiditatem, multitudinem corroborauerunt, vt tandem insurgens multitudo ad popularem statum ciuitates redegerit. quoniam autem contigit maiores esse ciuitates, non facile fortasse aliam, quàm popularem speciem remanere.

Ex supradictis infert sentẽtiam obortam, idest corollarium. Dictum est, quod præstat, plures bonos, vel optimos viros gubernare, quàm vnum: sed cum difficile sit plures virtute præstantes reperire, ideo ab initio constitutus rex: quia facilius fuit reperire vnum excellentem prudentia virum, quàm multos. Præterea quia ciuitates ab initio erant paruæ sufficiebat vnus ad regendũ. Item eueniebat, vt populi volentes bene meritis gratiã referre, gubernationem eis deferebant. Memorem enim esse beneficiorum est bonorum opus. Verũ postea cum multiplicati essent homines studiosi, pares prudẽtia atq; virtute, orta est gubernatio optimatum. Deinde cum paulatim potestate, & licentia gubernandi abuterentur, ad proprium cõmodum rem publicam referentes, tunc orta est paucorum potentia: inde tyrannis, demum status popularis, vt patet in textu. *Forsan.* quia differendo videtur hic procedere philosophus.

Si autem quis ponat optimum esse ciuitatibus à rege gubernari: quomodo fiet in filijs, utrum per genus erit successio? at si genitorum qualescunq; perniciosum est. sed dices: non relinquet regnum huiusmodi natis rex, cum id sua sit in potestate. at non facile

etiam est in hoc fidem habere, arduum enim, ac maioris virtutis, quàm secundum humanam naturam.

Tertia est pars, in qua affert aliam quæstionem philosophus. nam si dicatur, quod optimum est, ciuitatem gubernari à rege, debet ne filijs regnum relinqui? Hoc videtur esse absurdum, quia patri bono ac prudenti succedere stultus, vel prauus filius potest, ergo absurdum erit concedere vni talem potestatē. Quòd si quis dicat, quod rex bonus nō relinquet filio talem gubernationem, nisi eum studiosum idoneumq́; cognouerit: hæc postulatio maior esse videtur, dicit philosophus, quam naturæ humanæ patiantur vires. Parentū enim amor in filios adeo vehemens natura est, vt facile decipi possint in iudicando. Quare, vt ad propositum redeamus, per hanc quoq; rationem videtur tolli gubernatio vnius, & non vni tantum, sed pluribus bonis danda videtur.

Quæstio est etiam vtrum habere debeat qui regnaturus est, circa se potentiam quandam, qua possit compellere non parentes, alioqui quomodo gubernationem exercebit? Si enim habeat potestatem a legibus concessam, & nihil ex voluntate sua faciat præter leges, tamen necessaria sibi erit potentia, per quam leges tueri queat. Forsan quidem de huiusmodi rege non difficile est determinare: nam oportet ipsum vires habere, sed tales, ut unoquoque separatim, & simul pluribus potentior sit, populo tamen sit impotentior: vt antiqui solebant custodiam ciuitatis tradere, quando aliquem præficiebant, quem Aesymnetam vocabant, uel tyrannum: & Dionysio postulanti circa se habere aliquos custodiæ causa, consuluit quidam Syracusanis, tot esse dandos. Verum de eo rege, qui cuncta ex voluntate sua gerit, consideratio est nunc facienda: nam ille qui secundum leges dicitur rex, non facit (ut diximus) regiæ gubernationis speciem, quia in cunctis rebuspublicis cadere potest (ut si quidam ducendo exercitui, quoties ciuitas bellum gerit, perpetuò sit præfectus) puta in populari statu, & optimatium gubernatione, pluresq́; auctoritatem vni committunt belli gerendi: talis enim quædam est deputatio apud Doracium, & apud Sypontinos: licet apud Sypontinos paulò constrictior. sed regia illa potestas plenissima, per quam rex ex voluntate sua gubernat.

Hæc

Hæc eſt quarta pars, in qua affert aliam quæſtionem philoſophus: ſi conceditur vnum principem gubernare, quæritur quanta debet eius potentia, & quouſque extendi. aut enim dominabitur ſecundum leges, aut ex arbitrio: vtroque modo oportet, vt habeat vires, quibus cōpellere poſſit ſuis mandatis repugnantes. Et ſtatim ſubdit, quaſi pro ſolutione huius, quod de rege, qui ſecundum leges ciuitatem gubernet, facilis eſt determinatio: poſſumus enim ad hoc propoſitum bifariam regem conſiderare, aut ſecūdum leges, aut ex arbitrio omnia agentem. primo modo regi tribuenda tanta potentia eſt, vt vno quoque ſeparatim, & pluribus etiam ſimul potentior ſit: vniuerſo autem populo impotentior, & hoc declarat exemplo ciuitatum, quę ſibi eligebāt Aeſymnetem, vt Mitylenæi ſibi Pittacum elegerunt, & exemplo Dionyſij Syracuſani. Verum propoſitum noſtrū non eſt loqui de tali rege, quia non eſt proprie rex, nec regni ſpeciem facit, cum ſit quidam belli dux, & in cunctis ſpeciebus rerum p. adhiberi poſſit, ſed loquimur de eo, qui quęcunq; agit, ex ſua libera gerit voluntate, nullis cācellis aſtricta. *Tot eſſe dandos.* ſ. vt ſuperet vires cuiuſlibet ſeparatim, vel etiam plurium, non tamen omnium. *Sipontinos.* i. apud ſipuntum oppidum. *Sed regia illa poteſtas.* i. ſed de regia omnimoda poteſtate vocata. talis autem eſt per quam rex omnia ex ſua voluntate gubernat.

Videtur quibuſdam non eſſe ſecundum naturam, vt vnus omnium dominus ſit ciuium, cum ex ſimilibus ciuitas conſtet: nam ſimilibus natura idem iuſtum eſſe neceſſarium eſt, & eandem dignitatem ſecundum naturam: quare vt parem habere impares alimoniam aut veſtem, nocivum eſt corporibus, ita & in honoribus ſe res habet: ſimiliter ergo & inæqualem æqualibus: ex quo non magis præeſſe quàm ſubeſſe iuſtum eſt, & per viciſſitudinem eodem modo, & hac iam lex: nam ordo lex eſt. Melius eſt igitur, ut lex dominetur, quàm aliquis ciuium: hac quoq; ratione, ſi quos præeſſe oportet, ita ſunt præficiendi, vt cuſtodes legum atq; miniſtri: neceſſe enim eſt aliquos eſſe magiſtratus: ſed non vnum hunc eſſe debere, aiunt eſſe iuſtum, cum omnes ſimiliter ſe habeant.

Hæc est quinta pars huius capituli, in qua philosophus aliam quæstionem affert ad ea, quæ superius dixit pertinentem. Est autem dubitatio de rege proprie dicto, habente plenissimam potestatem. dubitant enim circa talem potestatem, qui dicunt, non oportere vnum esse omnium dominum in ciuitate, vbi est æqualitas hominum. nam sicut fit de cibo, & veste, ita fieri debet de honoribus ciuitatis, sed de illis ita fit, vt æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia tribuantur: ergo idem seruari debet in distribuendis honoribus, & magistratibus ciuitatis. Patet ratio per conuenientem similitudiné: cum igitur ex similibus ciuitas constare dicatur à philosopho, similes, & pares similiter debent, paritercq; tractari, & vicissim præesse atque subesse, secundum institutionem, & ordinem rei pub. Quòd si plures erunt hoc pacto inuicem gubernantes secundum institutionem legũ, & ordinem ciuitatis, qui est lex, statim sequetur, quod hi erunt ministri legum, & leges dominabuntur in ciuitate. Verum cũ leges prouideant in vniuersali, & deficiant in singularibus, si illæ in cunctis dominantur, quomodo se habebit respub. circa huiusmodi particularia? quare talis quęstio, quid nam in ciuitate dominari debeat, adhuc videtur esse ambigua. Ad hoc dicit philosophus, quod leges adesse debent, præsidentes in ciuitate, & homines simul cum illis, ita vt executioni mãdent ea, quæ recte iubentur à legibus, & suppleant in his, in quibus illę deficiunt ob multa singularia, quæ contingunt, suppleant inquam bonitate & prudentia sua.

Quæcunque vero videntur per legem quidem determinari non posse, neque per hominem agnosci potuisse, prudenter cauens lex instituit, cætera iustissima sententia iudicari atque dispensari debere per eos qui iudicijs præsunt, ac insuper emendare permittit, quod videatur expertis, vt melius disponatur, quàm vt iacent. Qui igitur legem præesse iubet, videtur iubere Deum præesse & leges: qui autem hominem iubet præesse, adiungit & bestiam. libido quippe talis est, atque ira obliquos agit etiam viros optimos, qui sunt in potestate: propter quod mens absq; appetitu, lex est.

Quæcun

Quæcunque lex determinare non posse videtur, homo cognoscere potest. at lex posteaquam præcepit ea, quæ voluit, cætera iustissimæ sententię iudicanda dimitit, & magistratibus disponenda, vt suppleant in his, quibus leges non prouident. Et sic apparet ex dictis philosophi, quod nec leges tantum, nec homo tantum, sed homo per leges gubernabit hoc pacto, vt habeat ea, quę in vniuersali præcipiunt leges, & eruditus vniuersali regula sequatur eam, & particularibus, quæ contingunt tali disciplina & prudentia sua prouideat. Non igitur homo sine legibus gubernabit, vnde infert corollarium, legem extollens, & ostédens, quod qui dicit hominem sine lege dominari oportere, sęuam bestiam dicit. i. iram atq; libidinem, quæ sunt animi perturbationes, quibus appetitus sensitiuus agitatur. Lex vero mens est absq; appetitu, & perturbationibus, dicit philosophus, vt patet in textu.

Videtur autem de artibus falsum esse exemplum, quod secundum literas medicari vanum esset: verum & melius fuerit, si artem possidentes illis vtantur. nam illi quidem nihil contra rationem propter amicitiam agunt, sed recipiunt mercedem, cum sanos effecerint: at in ciuilibus magistratibus multa per affectionem & gratiam consueuerunt delinquere: & cum de fide medici timeretur, ac suspicio foret, ne suscepto ab inimicis precio, necare uellet, tunc ex literis curam magis optaremus: atqui ægrotantes medici alios ad se medicos uocant: & magistri palæstræ alios magistros: quasi nequeant uerum discernere, qui de proprijs iudicant, & in affectu constituti sunt: quare manifestum est, quod iustum quærentes, medium quærunt: lex enim, medium: Præterea ualidiores & de ualidioribus rebus leges sunt illæ quæ ex moribus proueniunt, quam quæ ex literis. quare si securior homo magistratũ gerens, quã hi qui secundum literas, non tamen quã hi qui secundum morem.

Refellit philosophus exemplũ illud superius de artibus, ad suum propositum adductũ, cum arguebat pro homine, ostendens ipsum, & non leges scriptat, dominari oportere, & nũc arguit contra, declarãdo quod medicus operari videtur ex sua arte, & suis scriptis, & regulis vniuersalibus, nec ex amicitia, vel ex aliquo affectu curat

prȩter rationem vel artem,ſed mercedem exigit vel accipit,cum curauerit: in magiſtratibus vero cum ex arbitrio gubernatur, multa per affectum , & gratiam fiunt. Quin etiam ſi dubitamus,ne medicus alio affectu ducatur ad medendum,vel timemus,ne ab aliquo corruptus ægrotum interficiat,petimus,vt nõ arbitrium ſuum, ſed regulas ſcriptas ſequatur.non ergo illa ſimilitudo in eo loco valebat : nam medicus habens regulam vniuerſalem, ſecundum ſcientiam medicinæ curat ęgrotum,mercedem accipiens: curat inquam ægrotum , vt medicus, non vt amicus,vel inimicus,nec in quantum medicus,curat mercede corruptus,vel non corruptus, nec ad libitũ ſuum . nam inquantum hoc pacto curans non diceretur proprie medicus,& mederi vt medicus,ideſt arte medicinæ,& regulis ſcriptis in tali ſcientia: quare non eſt verum,vt ſupra dicebatur,quod ſine regulis medicinæ,medeatur medicus & curet ex arbitrio ſuo.eſt.n.ars dux certior,quàm opinio perturbationibus ſubiecta.vnde medici ęgrotantes alios medicos vocant in curandis ſuis ęgritudinibus,quia ſunt in affectibus & perturbationibus cõſtituti,dicit philoſophus: & magiſtri ludorũ alios adhibent in ſuis rebus diiudicandis. Patet igitur quod artes regulis ſuis vtuntur,& illis eruditæ non operantur ex affectu & arbitrio proprio : eodẽ pacto gubernatores ſuis legibus recte poſitis vti debent, & non proprio arbitrio gubernare. Non igitur valet comparatio illa de artibus adducta ob hanc rationem , quam attulit philoſophus. Præterea ſi concederetur, quod homo minus fallitur, q̃ ij,qui ſecundum ſcripta vniuerſaliter loquentia operantur, tamen non minus fallitur,quàm ij,qui ſecundum leges in bonis moribus,& bona conſuetudine ſtabilitas agunt. *Meliusq́; fore*, ideſt, quin etiam expetibilius,artem poſſidentibus vti. *Niſi quod recuſant mercedem accipere*. ſententia talis eſt. ſed petunt mercedem, cũ ſanos fecerint ægrotantes. *Ex litteris*, ideſt,ex regulis ſuæ artis.

At verò nec facile eſt unum diſcernere ; opus ergo erit, vt plures ſint ſub eo magiſtratum gerẽtes; quare quid refert hoc (multos

tos inquam) statim ab initio esse, uel unum constitutum esse hoc modo? Insuper quod prius dicebatur siquidē uir studiosus, quoniam melior sit, praeesse debet, uno autem duo boni meliores sunt: hoc enim est quod Homerus ait, duo simul euntes: et optio Agamemnonis: utinam tales decem mihi consultores adessent.

Sequitur philosophus differendo hinc inde circa hāc materiam, & dicit, quod non oportet vnum dominari ob multa necessaria, quæ vnus discernere non potest, ergo plures sunt adhibendi gubernantes sub ipso, neque videtur referre, si ab initio constituti essent multi gubernatores, quando singuli creabantur reges: & verum est, quod prius dicebatur, hominem bonum gubernare oportere: at multo magis hoc cōueniet dicere de duobus bonis, & de pluribus, vt auctoritate Homeri probatur, cum loquitur de duobus simul euntibus & decē similibus Nestori. Colligitur ergo ex his, ꝙ plures dominari debēt.

Sunt autē etiam nunc magistratus cum potestate iudicandi de quibusdam, ceu iudex, de quibus lex determinare non potest, tanquam non optimè præcipere potuerit, iudicabit: nam de quibus lex determinare potest, nemo dubitaret, sed cum quædam comprahendi legibus possint, quædam non possint, & hæc sint illa quæ dubitationem & quæstionem faciunt, vtrum melius sit ab optima lege, an ab optimo viro gubernari? nam quæ in consultationem veniunt, de eisdem ferre legem impossibile est. non igitur aduersus hoc aiunt, quod non necessarium sit hominem in huiusmodi rebus iudicare, sed quod non vnum solum, sed plures: iudicat.n vnusquisq; in magistratu bene, si sit eruditus à lege. Forsan verò absurdum videri posset, si melius discernat quis duobus oculis, & duabus auribus audiat, & duobus pedibus, duabusq; manibus, agat, quàm plures pluribus: cum & nunc quidam reges, & tyranni, oculos sibi plures comparent, & aures, & manus, & pedes: nam & eos qui sunt in magistratu, & suos amicos unà principatus participes efficiunt, curationem rerum eis committendo, qui nisi sint amici, non faciunt secundum illorum intentionem, si verò sunt amici, sunt & illorum, & principatus, cum amicus par sit, & similis: quare si eos censet praficiendos, certè pares, & similes gubernationi præesse censet oportere.

Quæ igitur contendentes contra regiam gubernationem aiunt, ferè ista sunt.

Dictum est paulo ante, quod plures sunt adhibendi ad gubernationem, sequitur philosophus ostendendo, quod videmus magistratus in ciuitatibus cõstitutos, determinantes de quibusdam rebus, quibus non prouident leges, perinde quasi non optime lex dominaretur ac iudicaret. nam ea, quæ determinant leges, facile sequi gubernatores possunt. Verum cum in dies eueniant multa particularia, quæ legibus comprehendi non possint, referenda sunt ad æquitatem & prudentiam boni viri, & tunc rursus remanet quæstio indecisa, vtrum dominari debeat lex, an homo; quanquam dici potest quod stare possunt ista duo, vt lex in vniuersali dominetur, & vir bonus in particularibus per legem non determinatis. Ergo cum necessarium sit hominem gubernationi præesse, dicunt vlterius, quod melius est plures adhiberi, q̃ vnum, vt exemplo plurium membrorum ostendit philosophus. Sic igitur philosophus arguit nunc pro lege, nunc pro homine, nunc pro vno tantum gubernatore, nunc pro pluribus, vt quæstionibus & argumentis hinc inde allatis circa regiam gubernationem magis aperiatur veritas. *Ceu iudex de quibus lex prouidere non potest.* sensus est, per inde quasi non perfecte & complete lex dominaretur, & iudicaret. *Et hæc sint illa*, idest, hæc sunt, quæ faciunt dubitationem seu quæstionem.

Sed hæc forsan in quibusdam ita se habent, in quibusdã autem non ita: est enim quiddam natura dominabile, aliud regibile, aliud ciuile, & iustum, & utile: tyrannicum uero non est secundum naturam, nec ulla aliarum gubernationum quæ rectam transgrediuntur formam. hæc enim fiunt præter naturam. Sed ex his quæ dicta sunt, patet, quod in similibus & paribus, nec vtile est, neque iustum, ut unus sit dominus omnium. neque si non sint leges, sed tanquam ipse sit lex, neque si sint leges, neque bonus bonorum, neq; non bonorum non bonus, neque si secundum uirtutem sit melior, nisi aliquo modo. quis autem iste sit modus, dicendum: dictum est etiam aliquo pacto & prius.

Hoc

Hoc est tertium & vltimum capitulum huius tractatus, in quo philosophus post multas quæstiones allatas de regno, soluit dictas quæstiones, & ostendit necessitatem secundum sententiam suam, ex qua oritur regia gubernatio. Ea autem est, ex quadam eximia virtute, vt reperiri excellentissima potest in vno viro. Diuiditur autem in tres partes quæ suis locis declarabuntur. Dicit igitur in primis philosophus quod cum dictum sit non oportere vnum tantum dominari, hoc declarandū videtur, quod in quibusdam forsitan expedit, in quibusdam non expedit, quia non est idem iustum. vnde est intelligendum, quod est secundum naturam dicit philosophus aliquod iustum & utile dominicum, quoddam regibile, quoddam ciuile: & ista differunt inter se, conueniunt tamen in eo, quod omnia sunt natura talia. Tyrannicum vero nullo modo est secundum naturam, nec vllum ex illis regiminibus, quæ transgressiones appellantur, uel labes. præterea nec iustum uideri debet, vt ex dictis apparet, vt vnus inter æquales emineat, ac eis dominetur, siue sint ibi leges, siue nō sint, vt ipse subeat vicem legis, siue sit ille bonus, & illi boni, siue ille non bonus, & illi non boni, quibus sibi æqualibus dominetur, & addit vlterius philosophus, neque si secundum virtutem sit melior, nisi secundum aliquem modum, quem modum ipse declarabit inferius. *In quibusdam non ita.* veluti si populus sit natura regibilis, vel paratus sustinere optimorum, vel optimi viri gubernationem, tunc illæ obiectiones non videntur habere locū. *Aliud populare.* idest ciuile, vbi est vicissitudo parendi, & imperandi.

Et primo determinandum est, quid congruat regi, quid optimatibus, quid reipublicæ. Regibus congruit huiusmodi multitudo, quæ natura apta sit ferre genus præstans virtute, ad principatum ciuilem. Optimatibus vero congruens est multitudo liberorum, quæ nata sit ad ferendum gubernationem eorum, qui sint secundum virtutem primarij. Ad ciuilem autem gubernationem reipublicæ congruit ea multitudo, in qua populus innascitur bellicus, qui gubernari

bernari possit, & gubernare secundum leges et dignitatem, impartiens ijs quibus est opus honores & magistratus.

Videndum est igitur quis modus est, secundum quem expedit vnũ pluribus dominari, quanuis hoc antea quo quo modo tetigerimus, cùm loquebamur de viro, qui cęteros virtute excederet. Sed adhoc intelligẽdum prius videre oportet, quid sit regibile; quid aristocraticum, idest optimatibus congruens, & quid ciuile. Sunt enim ista regiminum seu gubernationum obiecta, ex quorum cognitione propositum euidentius apparebit. Dicit igitur, quod regibile est multitudo natura apta ad parendum alicui excellentissimo virtute ad ciuilem principatum habendum. Aristocraticum vero est multitudo natura disposita ad ferendum, vt plures liberi, ac studiosi viri, idest optimates, ciuilem gubernationem gerant. Ciuile vero est multitudo bellica, ac militaris vel fortitudine prædita, apta ad parendum, & imperandum secundum leges, distribuens etiam tenuibus magistratus. Ex his tribus speciebus obiectorum oritur triplex gubernatio. nam vt est multitudo regibilis, oritur regnũ: vbi vero multitudo apta parere optimatibus, oritur optimatum gubernatio: tertia est, vbi est populus bellica virtute seu fortitudine instructus, vicissim parens, & imperans secundum leges, & distributio honorum fit non solum opulentis, sed etiam egenis. non ergo exterminari debet regia gubernatio, cum sit species rectæ gubernationis, & ab optimatibus differat, quia hic vnus, ibi plures dominantur. *Quid congruat regi*, idest quid sit regibile. *Quid optimatibus*, idest Aristocraticum, & optimatibus congruens, vel optimatibus parere aptũ. *Quid reipublicæ*. idest quid ciuile. *Reipublicæ autem congruit*. i. ciuile est multitudo in qua &c.

Quando igitur aut totum genus, aut inter alios vnum aliquem, secundum virtutem ita præcellere contingat, vt vnius ipsius virtus maior sit aliorum omnium virtute tunc iustum est, hoc esse regium genus, & omnium dominari, & hunc vnum esse regem, vt enim dictum est prius, non solum sic se habet secundum iustum quod

proferre solent rerumpublicarum institutores, & qui optimatum, & qui paucorum potentiæ, & qui popularis: omnes enim secundũ excellentiam censent: sed excellentiam non eandem, sed secundum quod prius dictum est. neque interficere, neque in exilium agere, neque relegare hunc posse decet, neque dignari, vt per vices gubernet. non enim natura fit, vt pars superet totum. habenti verò tantam excellentiam, hoc accidit: quare restat solum, vt huic suadenti pareatur, & potestatem eũm habere non per vices, sed simpliciter. De regia igitur gubernatione, & quas differentias habeat, & vtrum vtilis sit ciuitatibus, an non, & quibus & quo modo, in hunc modum determinatum sit.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus premissa distinctione illa trium terminorum, vult explicare illum modum, de quo paulo ante dixit, afferendo talem conclusionem, quod vnum excellentissima virtute præditum, æquum est cunctis alijs dominari omni parendi vicissitudine exclusa, & probat hoc duabus rationibus. Prima est: sicut is longe alios virtute excedit, sic etiam æquũ est, vt honore & dignitate excedat. nam oẽs institutores rerum publicarum tam rectarum quam non rectarum excellentię eximium honorem tribuendum putant: licet alij in diuitijs, alij in nobilitate, alij in alijs excellentiam ponendam censeant. Nos vero sumimus excellentiam ex simplici bono, ideſt ex ipsa virtute, qua longe alijs præstans, quis dubitare potest, quin alijs debeat etiam dignitate præstare? Talis igitur ob hanc rationem debet esse princeps, & rex aliorum, siue sit ex genere quodam virtute excellentissimo, ꝙ ipse longe excellens, siue ex alio genere, dummodo sit excellentissimus virtute. Præterea alia ratio afferri põt hoc pacto: uir optimus ac longe alios virtute excellens aut est necandus, aut expellendus, aut constituendus in republica, vt vicisim pareat ac imperet, aut perpetuo dominetur: Sed nec est interimendus, nec expellendus, nec constituendus in uicisitudine parẽdi & imperandi, ergo faciendum, vt perpetuo sit princeps, & dominetur. Consequentia valet per sufficientem diuisionem

nem: assumptum declaratur: Primum, quia iniustissimum esset necare præstantissimum virtute virum: tunc enim virtus noceret studioso, quod est absurdum. Esset etiam absurdum, expellere è ciuitate excellentissimum hominem, qui ei vtilitatem & ornamentum afferret: immo fieret summa iniuria ciuitati. Nec est dicendum vt nunc imperet, nunc pareat, cum subeat rationem totius, respectu eorum, quos longè virtute excedit. pars vero, cui deest à virtute, & longe virtute inferior, non debet superare totum, idest perfectum respectu illius. tale autem est ex perfecto genere, vel perfectus homo, quantum humana conditio patitur, cui quidem perfecto, & habenti excellentiam virtutis atque prudentiæ, sponte parere alij debent. Hinc emergit ille modus, de quo dixit philosophus, cui accommodari aliquo pacto videntur eorũ dicta, qui superexcellentiæ honorem tribuendum putabant. Itaque conueniunt cum philosopho in eo quod superexcellenti bono honoré tribuunt: differunt, quia non eidem. Nam talis superexcellentia boni non sumitur ex diuitijs, aut ex nobilitate, aut ex alijs quę ab imperitis summa existimantur bona, sed ex bonis animi, quæ sunt illis infinita quadam laude anteponenda, & sic more suo philosophus elicit ex dictis illorũ siquid sibi congruit, & trahit ad propositũ suum, reliqua vero post habet. Demum repetit breuiter quod de regia gubernatione, & eius differentijs sunt dicta.

Cum vero tres dixerimus esse rectas gubernandi species: harum verò necessarium est eam esse optimam, quæ ab optimis gubernetur: talis autem est, in qua contingit, aut vnum aliquem omnium, aut genus totum, aut multos virtute præstante gubernare eos, qui gubernari valeant ad eam vitã, quæ sit maximè expetenda: & in primis ostensum sermonibus necessarium esse, vt sit eadem virtus boni viri & ciuis optimæ ciuitatis: patet quod eodem modo & per eadem fit vir bonus, & ciuitatem statueret quis ab optimis gubernari, vel à rege. itaque fere eadem disciplina, & ijdem mores faciẽt studiosum virum, qui faciunt ciuilem & regium. His determinatis, conandum iam erit de optima republica dicere, quemadmodum fieri

ri nata sit, & quo modo constituatur. nam necesse est de illa conuenientem considerationem facere.

Tertia est pars capituli, in qua philosophus infert sententiam ex dictis, quod cũ ostensum sit, tres esse species rectarum gubernationum, & earum optimam esse, quæ ab optimis gubernetur: præterea quod eadem est virtus boni viri, & boni ciuis optimæ ciuitatis, patet quod per easdem regulas fit bonus vir, & optima gubernatio ciuitatis. Item eadem ferè disciplina, & ijdem mores bonum virum efficiunt, & ciuilem institutionem & regiam. Notandum quod virtus considerari bifariam potest, aut vt est ad se ipsum, & sic habẽtem perficit, aut vt ad alium, & sic extenditur etiam ad alienum bonum. Primo modo est, vt virtus, quæ dicitur tota: secundo modo, vt virtus, quæ dicitur iustitia vniuersalis, seu legitima. Quare eadem ferè est virtus, licet diuersos habeat respectus, vt quinto Ethicorum ostensum est. Primo igitur efficitur vir bonus, respectu sui, vt in ethicis doctrina traditur: deinde ciuis bonus in optima republica, cum operetur non solum ad seipsum, sed etiam ad alienum bonum, & ad commune bonum reipublicæ. & sic finis est tertij.

DONATI ACCIAIOLI FLORENTINI IN .IIII. POLITICORVM ARISTOTELIS.

Explanatio.

IN CVNCTIS *artibus & ſcientijs, quæ non circa partem, ſed circa genus aliquod perfectè exiſtunt, vnius eſt conſiderare, quid cuiq; conueniat generi. ceu exercitatio corpori qualis quali conueniat, & quæ ſit optima. optimè enim natura diſpoſito atque diſtributo, optimam conuenire neceſſarium eſt. & quæ plurimis: vna omnibus. etenim id ad gymnaſticen pertinet. Præterea uerò ſi quis non exactum illum cupiat habitum & ſcientiam circa certamina, nihilominus magiſtri gymnaſiorum & exercitatoris eſt, hanc potentiam præparare. eodemque modo in medicina, & in effectione nauium, & ueſtium, & in omni alio artificio, videmus contingere. Quare manifeſtum eſt, quod huius eſt ſcientiæ videre, quæ ſit optima reſpublica, & qualis maximè ad votum fuerit, nullo externorum eam impediente, & quæ quibus conueniat. nam plures optimam aſſequi, forſan impoſſibile eſt. Itaque & ea quæ ſit ſimpliciter optima, & ea quæ ex rebus ſubiectis quantum fieri poteſt optima, latere non debet legis conditorem, ac uerè ciuilem hominem. ac præterea tertia, quæ ſit ex ſuppoſitione. nam oportet datam quoque conſiderare poſſe: quemadmodum ab initio conſtituatur, & conſtituta quonam modo ſeruetur quamplurimo tempore. dico autem, ceu ſi cui ciuitati contigerit, neq; optimam gubernationem habere, neque neceſſaria illi ſuppeditare, neq; illis ipſis quæ adſint rectè uti, ſed alijs deterioribus.*

Hic

HIc est quartus liber Politicorum: in quo quidem philosophus, posteaquam rempublicam diuisit in rectam,& non rectam, & vtranque distinxit in suas partes subiectiuas, & multa disseruit circa gubernationem vnius & plurium, & in specie regiam gubernationem declarauit, & quo quó modo optimates, nunc aggreditur docere reliquas species rerum publicarum, & earum differentias,vt patebit. Diuiditur autem in quatuor tractatus: in primo resumit diuisionem rerum publicarum in genere: in secundo affert singulas species rerum publicarum: in tertio loquitur de republica,quę communiter haberi potest optima à pluribus: in quarto affert tres partes, quæ reperiuntur in cunctis rebus publicis, videlicet consultationes vel deliberationes: magistratus insuper,& iudicia: his tribus omnes ciuitates vtuntur,vt dicit philosophus.

Primus tractatus diuiditur in tria capitula: in primo declarat quæ sunt consideranda ab hac scientia ciuili: in secundo ostendit, quod respublicæ sunt plures genere,& etiam specie: in tertio docet,quæ & quot sunt species, in quas diuiditur quæque respublica.

Primum capitulum diuiditur in tres partes,quæ suis locis declarabuntur: in prima autem probat hanc conclusionem, quod ad ciuilem scientiam pertinet considerare,quæ sit simpliciter optima respublica,& quæ communiter accommodari ciuitatibus potest: vel quæ quibus conueniat, & arguit hoc pacto: cunctæ artes atque scientiæ, quæ non versantur circa aliquod particulare determinatum, sed circa commune aliquod subiectum genus,considerare debent,quid sit optimũ,& quid cuiq; conueniat ex illo genere: sed ciuilis facultas est actiua quædam scientia, & principalissima actiuarum, consideratiua alicuius vnius communis,non particularis,ergo considerare debet,quid sit optimũ,id est quę sit optima respublica,& quę cuique accommodatur ex tali genere. Patet ratio ista,& à philosopho declaratur. nam ars seu facultas gymnastica considerat omnes partes subiecti

biecti sui, attribuendo partes illas suis proprijs generibus, ueluti considerat exercitationem corporis humani, quę cum sit multiplex, de omnibus considerat, & cuique corpori suam accommodat. Est autem optima exercitatio, quæ competit illi primo, & conuenit optimo corpori. alia est, quæ communiter cuiuis potest accommodari: de qualibet istarum considerat gymnastica ars, tribuendo cuilibet quod cuique conuenit ex genere sibi subiecto. Quod si quis non affert sibi accommodatam exercitationem, neque habitum, neque scientiam eorum, quæ circa illam exercitationem sunt, tamen magistri gymnasij, atque ludorum & considerare illam, & præparare vires corporis, quod exercetur, ad illam consequendam, quæ ei est optima. Eodem pacto medicina considerat sanitatem corporis humani, quæ est varia: habent enim humana corpora compositiones atq; complexiones diuersas. itaque considerat sanitatem complexionis corporum, & quæ sanitas optimo corpori, & quæ cuique conueniat. Sic etiam fit in alijs artibus atq; facultatibus. Ratio autem est, vt dicit Sanctus Thomas, quia si aliqua scientia considerat aliquam naturam, considerat etiam omnia, quæ habent attributionem ad illam naturam: item passiones illorum attributorum: sed primi in sciẽtia tali est dispositio eius optima. Passiones taliũ, quę attribuuntur, sunt quales illis congruunt, & ideo eiusdem scientię est considerare optimam dispositionem, & eam quæ cuique conueniat. Patet igitur, quod scientiæ ciuilis est considerare rempublicam, quæ sit simpliciter optima, qualem quisque expeteret omni externo impedimento excluso. Item rempublicam quę nõ est simpliciter optima, sed ex subiectis optima, idest ratione subiectorum, quæ competũt huic, uel illi. Item eam, quæ est ex suppositione talis, idest ex suppositione alicuius, quod non sit simpliciter bonum. Quarto pertinet ad scientiã ciuilẽ considerare eam remp. quæ cõiter cuiq; conueniat. Omnes igitur istas differentias rerum publicarum debet ciuilis considerare. *Quid cuiq;*. quasi

qualis

qualis dispositio cuique subiecto conueniat. *Quæ plurimis una omnibus.* idest quæ communi cursu omnibus competere potest,& qua cõmuniter omnes vti possunt. *Hanc potentiam.* idest hanc facultatem. *Et ea quantum fieri potest optima.* idest ea quæ non est optima simpliciter, sed ex subiectis optima.

Præter hæc autem omnia,eam gubernationem quæ omnibus maximè congruat ciuitatibus,nosse oportet,ut tradunt plurimi eorum qui de republica tractant.etsi de alijs rectè dicãt,de utilibus certè aberrant. non solum enim rempublicam optimam considerare oportet,sed etiam illam quæ in vsum cadere posit,& quæ sit facillima & communissima omnium. nunc autem alij supremam quærunt solum, multis sanè adminiculis indigentem: alij magis communem aliquam nominantes,tollentesque eas quæ in vsu sunt, Laconicam vel aliam quandam commendant. At enim oportet talem institutionem reipublicæ inducere,vt suadeantur, ac posint homines ex ijs quæ sibi adsunt facile eam reciperè. nam est non minus difficile corrigere rempublicam iam institutam, quàm ab initio instituere. quemadmodum & post discere, quàm ab initio didisse. Quapropter præter ea quæ dicta sunt, rebuspublicis quæ nunc existunt, auxiliari posse oportet ciuilem hominem, vt diximus & prius. Hoc autem facere non potest, si ignoret quot sint species earum. nam nunc quidam putant unam esse popularem,& unã paucorum potentum, quod non est uerum. quare oportet non latere differentias omnium, & quot sint,& quotupliciter componantur. Leges etiam simul cum hac ipsa, prudenti indagine considerandæ erunt,quæ sint optimæ,& quæ conueniant unicuique gubernationi. sunt enim leges omnes ad rempublicam accommodandæ, non autem respublicæ ad leges. est nanque respublica, institutio ciuitatis circa magistratus honoresq; publicos, quemadmodum debent impartiri, & in quo potestas dominandi summa debeat consistere, & quis sit finis cuiusque societatis.

Hac in parte philosophus ex dictis capit occasionem refellendi quosdam philosophos ciuiles, qui non sufficienter tractabant de re ciuili: nam loquentes de republica afferebant optimam tantum, reliquas posthabebant. Hoc, inquit, est insufficienter positum,quia tam

posthabere visi sunt, quam loco quarto attulimus. quidam vero loquebantur de communi tantum, nõ autem de optima, nec etiam afferebant eam, quæ esset communis, sed laudabant vnam aliquam, vt Laconicam, vel aliam quandam, & carpit eos dicendo, quod non minus difficile est transferre vnam rempublicam in aliam, vel corrigere, quam denuo instituere: sicut non minus difficile est iterum addiscere, quasi in curriculo ad carceres reuocari, quam ab initio didicisse: vnde Thymotheus musicus à talibus duplicem exigebat mercedem: non ergo sufficienter dicebant, qui de vna tantum communi loqui videbantur, qua omnes vti possunt: deinde ad vnã determinatam, vt Laconicam, vel aliam huiusmodi gubernationem se redigebant, & dicebant, talem omnes habent. Hoc autem est valde difficile, omnes habere ob diuersas conditiones subiectorum. Quare præter iam dicta etiam illis, quæ actu sunt, opem ferre oportet, easque iuuare ac dirigere. Hoc autem fieri non potest, nisi cognouerimus species rerum publicarum. Putant enim illi vnam esse popularem gubernationem, vel paucorũ potentiam tantum, cum sint plures quas oportet cognoscere si volumus prodesse. *De vtilibus.* idest de accommodatis, & congruis talibus ciuitatibus. *Communior omnibus.* idest quæ communi cursu omnibus accommodatur. *Tollentes eas quæ sunt in vsu.* idest eas quæ actu sunt, & existunt. *Non solum quæ libris scriptæ sunt,* idest vltra ea, quæ dicta sunt, & his rebus publicis quæ existunt, auxilium ferre posse oportet.

Leges autem earum variæ sunt, per quas modus reipublicæ gubernandæ significatur, secundum quas debeant illi qui sunt in potestate imperare & prohibere transgressores. Ex quo patet, quòd necessarium est differentias et numerum tenere singularum rerum publicarum, etiam & legum positiones. neque enim fieri potest, vt eædem leges vtiles sint paucorum potentiæ, ac popularibus omnibus. siquidem plures sunt & non vna popularis potestas, neque vna duntaxat paucorum potentia.

Ostendit philosophus quod ad ciuilem spectat considerare

derare etiam leges diuersas,sicut considerat diuersas re spublicas. Patet hoc,quia leges sunt propter respublicas,si ergo respublicę sunt varię & plures,ita etiā erunt leges plures atq; diuersæ. Leges enim optimatum non sunt accōmodatæ populari gubernationi,& sic de alijs, ex quibus constat, quod ad ciuilem spectat cōsiderare differentias legum,sicut differētias rerum publicarum. *Leges etiam*. idest leges insuper cum hac eadem prudentia, scilicet cum qua cognoscitur differentia rerum publicarum: idest, *ad rem publicam accommodandæ*; & addit vlterius,& ponunt oēs.s.accommodatas rebus publicis. *Circa honores*.i.circa magistratus,quo pacto sunt instituti.

Cum verò in praecedentibus dictum sit à nobis,tres esse rerumpublicarum species rectas, regnum, optimatium, & eam quæ appellatur respublica: ac tres earum transgressiones & labes, cum regnum in tyrannidem,optimorum autem gubernatio in paucorum potentiam,respublica autem in popularem statum, labatur, & de optimatum gubernatione, ac regia sit dictum: nam de optima republica considerare idem est,ac de illis dicere: vult enim vtraque illarum per virtutem,cui suppetant cætera, consistere: & insuper quid inter se differant regia potestas, & optimorum gubernatio, & quando regia gubernatio putanda sit, determinatum est prius. Restat nunc,vt de illa quæ communi nomine appellatur respublica, dicamus, & de cæteris gubernandi formis, vt de paucorum potentia ac de populari statu,& de tyrannide. Patet autem harum transgressionum quæ deterrima sit, quæue secunda. necesse est enim primæ quidem ac diuinissimæ transgressionem esse deterrimam.Regiam quoq; gubernationem necesse est aut nomen habere solum,cum non sit:aut propter magnam illius qui regit excellentiam esse,ex quo fit cognitum,tyrannidem deterrimam existere,ac plurimum à recta specie gubernandi abesse. secundo autem loco paucorum potentiam esse. nam optimorum gubernatio multum ab hac specie distat,maximè verò mediocrem esse popularem statum.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus resumit ordinem, vel distinctionem rerum publicarum,in tertio libro allatam,vt ostendat,de quibus sibi dicendum restat. Nam cum tres sint species rectæ rei-

publicę, inquit philoſophus, & tres ſpecies tranſgreſſionum illis oppoſitæ, & dictum ſit de regno, ac etiam de optimatum gubernatione, quia idem eſt de utriſq; iudicium. Vtraq;.n.optima dicitur cum fundamentum atq; menſuram habeant ipſam uirtutem: differunt tamen in eo, quod in altera unus excellentiſſimus uirtute: in altera pares ſtudioſi dominantur: & diuerſa eſt ſpecies & conditio ſubiectorum, ac eorum qui gubernantur. Pręterea cum etiam dictum ſit nuper, quod eiuſdem ſcientiæ eſt conſiderare non ſolum quid ſit optimũ in ſubiecto genere, ſed etiam quid cuique conueniat: reſtat, ut loquamur de republica, quæ retinet nomen generis, & dicitur ciuilitas, uel reſpublica, & etiam de illis tribus ſpeciebus tranſgreſſionum, quarum alia, alia deterior eſt, habent enim gradus prauitatis, ut recte habent gradus probitatis. Nam ut regnum eſt optima gubernationum, ſic tyrannus eſt peſſima tranſgreſſionum: paucorum potentia, ſicut reſpublica, minus bona, quam optimates. Oppoſitorum enim oppoſita ſunt conſequentia. Hoc igitur pacto magis illuceſcet ueritas, & facilius erit cauere ab improbis gubernationibus, & bonas introducere, uel introductas ſtabilire & ſequi.

Fuit & prius quidam qui iſto modo tradidit, non tamen idem aſpiciens nobiſcum: ille.n. exiſtimabat tanquam æquæ & bonæ omnes eſſent, ut paucorum potentia bona: aliarum tamen bonarũ deterrimam eſſe popularem, improbarum uerò optimam. nos autem eas quæ tranſgrediuntur, aberrare omnes dicimus. nec quod paucorum potentia melior ſit altera quàm altera recte dicitur, ſed quòd minus improba. uerum de his nunc diſcutere omittamus.

Hoc loco uidetur philoſophus tangere Platonem, vt quidam expoſitores dicunt, quia dicebat, popularem gubernationem eſſe peſſimã ſi comparetur cum rectis gubernationibus, ſin uero cum non rectis, eſſe optimã, quaſi rectarum deterrimam, non rectarum optimam eſſe dicat. Nos autẽ non dicimus minus malam eſſe meliorem alia, quæ ſit magis mala: ſed bonas in ordine bonarum, malas in ordine malarũ gubernationũ eſſe uolumus: & gra-

gradus ponimus inter eas,vt sit alia pessima, alia minus mala,& alia minime mala:& tamen omnes improbas dicimus. Sic de rectis optimã,& minus bonã,& minus atq; minus bonã, & tamen omnes bonas uocandas putamus.

Est autem à nobis primò distinguendũ, quot sint differentiæ rerumpublicarũ, siquidem plures sunt species popularis gubernationis,ac paucorũ. Deinde quæ cõmunissima & optabilissima sit post optimam rempublicã, & si qua contingit alia ad optimatium naturã declinans rectè constituta,& quamplurimis congruens ciuitatibus,quænam ista sit:deinde aliarum,quæ à quibus expetenda. Forsan.n.quibusdã est necessaria popularis gubernatio magis quã paucorũ potentia:quibusdam verò hæc magis quàm illa. deinde quemadmodum dispositum esse conueniat illum qui velit has gubernationes recipere. dico autem popularem secundum illas species, ac rursus paucorum potentiam. Tandem uerò omnium istarum cum facta fuerit breuiter mentio, conandum erit transcurrere,quænam corruptiones, & quæ conseruationes sint rerum publicarum, & communiter omnium, & separatim uniuscuiusque, & per quas causas,illas suapte natura maximè euenire contingat.

Hæc est tertia pars capituli, in qua philosophus affert ordiné procedendi,& ostendit, quod nunc primũ videndũ est, quot sint differentiæ rerũ publicarũ: deinde quæ sit respublica communissima & maxime expetenda post illã optimam,videlicet regnum,ac optimatum gubernationem. Vtranque .n. optimam appellat philosophus, & etiam uidendum si contingit esse aliquam aliã optimatum gubernationem rectè constitutã,vel multis ciuitatibus congruenté præter illam,quæ simpliciter dicitur optima,& reliqua quæ patent in textu. *Deinde quem admodum.* ideſt posthec autem quo pacto oportet constituere uolentem has ciuitates,seu respublicas .s. afferre.

Vt igitur sint plures rerũpublicarũ species illa est causa, quod cuiusque ciuitatis partes sint plures. videmus enim primò ex domibus omnem constare ciuitatem: deinde rursus, ex hac multitudine alios esse diuites, alios pauperes, alios medios, diuitumque & pauperum partem esse bellicam, partem imbellem, & rursus ex plebe partem agrorum cultura deditam videmus, partem

mercaturæ, partem opificiis ac sordidis ministerijs. Nobilium quoque differentiæ sunt secundum opulentiam, & magnitudinem censius: sunt enim alij equites, quod munus nemo facile supportare potest, nisi sit dives. Quapropter antiquis temporibus quæcunque ciuitates equestri potentia excellebant, in his paucorum potentia gubernabat: equitatu autem bella contra finitimos exercebat, ceu Eretrienses & Chalcidenses & Magnesii, qui sunt sub Mæandro, & aliæ plures Asiaticarum ciuitatum. Præterea sunt aliæ, quam secundum diuitias nobiliū differentiæ, quosdam.n.genus, quosdam virtus extollit, & si quid aliud tale, ciuitatis partem esse oportet, dictum est, ubi de optimatibus tractauimus. ibi nanq; distinximus, quòd ex partibus necessarijs omnis constat ciuitas. & hæ quidem partes, quandoque concurrunt omnes ad rempublicam gubernandam, quandoque pauciores, quandoque plures. Patet igitur, quòd necesse est plures esse respublicas inter se differentes specie: nam & ipsæ earum partes, inter se specie differunt. Res enim publica est institutio gubernationum: hanc verò distribuunt omnes, vel secundum potentiam eorum qui participes sunt, vel secundum aliquam æquabilitatem communem: dico autem, veluti tenuiorum, uel opulentorum, uel communem aliquam amborum. Necessarium est ergo respublicas tot esse, quot sunt institutiones circa earum superæminentias, & secundum differentias partium.

Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo philosophus ostendit plures esse species rerum publicarum, & rationem assignat. Diuiditur autem in tres partes, quæ suis locis patebunt: in prima philosophus declarat, & probat, quod non vna, sed plures sunt respublicæ specie differentes. illa differunt specie, quæ habent partes specie distinctas: sed respublicæ sunt huiusmodi: habent enim partes specie distinctas, ergo & ipsæ differunt specie, & plures sunt specie differentes. Patet ratio, & à philosopho probatur, quia ciuitas, quæ per aliquam speciem reipublicæ gubernatur, cõstat primum ex domibus: deinde ex multitudine habitantium, alij sunt pauperes, alij diuites, alij medij, et quidam armis dediti, quidam mercaturę, vel opificijs, vel sordidis ministerijs. Eorum quoque, qui sunt homines noti, alij

alias

alias habent conditiones, rationesq; viuendi, veluti in alendis equis, quòd nõ poteſt fieri, niſi à diuitibus. Ideo ciuitates quę equitibus plurimum valebant, ſequebantur eam ſpeciem gubernandi, quæ dicitur paucorum potentia, & vtebantur huiuſmodi viribus, & equeſtri potentia contra finitimos in gerendo bello, vt Eritrenſes Chalcidenſes, atque Magneſij, & alij populi Aſiatici. ſunt præter differentias diuitũ allatas etiam aliæ differentes conditiones hominum: quidam enim ſunt genere nobiles: quidam ſtudioſi, & illi genere, hi ſi virtutibus efferunt. Iſtæ autem omnes enumeratæ partes differunt ſpecie. alia namque eſt ratio pauperis, vt pauper, alia diuitis, vt diues eſt, & alia eorum qui ſunt medij. Itaque reſpublica alia ratione gubernatur ab his, alia ab illis: & diuerſa ſpecies gubernationis à diuerſis regitur. Eſt autem reſpublica ordinatio partium ciuitatis, verum in alia diuites dominantur, in alia alij enumeratorum, qui cum ſint diuerſi ſpecie, & reſpublicæ erũt etiam diuerſæ ſpecie, & ſic diuerſitas rerum publicarum probatur ex diuerſitate partium reipublicę, vel ciuitatis, vt ex dictis patet. Notandum, quod aliquis dicere poſſet, partes ciuitatis non eſſe diſtinctas, cum omnes ſint homines: homines vero non differunt ſpecie, quod eſt contra philoſophum, & probationem paulo ſupra allatam. Dicendum ex ſententia quorundam expoſitorum, quod partes ciuitatis ſumi poſſunt, vt materiales, & vt formales. Materiales ſunt homines, qui cum non differant ſpecie, nec materiales partes ciuitatis ſpecie differunt. Secundo modo acceptæ partes vt formales, differunt ſpecie, accipiendo homines pauperes, vel diuites, non eo quo homines, ſed inquantum pauperes, vel diuites ſunt. Nã opulentia, & paupertas, nobilitas generis, virtus, & huiuſmodi ſunt tanquam formæ quædam, quæ inſunt hominibus, vt in ſubiectis, & hoc modo dicere poſſumus ſecundũ huiuſmodi diſtinctionem diſtingui reſpublicas, quia conditiones diuerſæ, in quibus tales eminent, vel diuitiarũ, vel virtutum, vel huiuſmodi,

inducunt diuersas gubernandi species, quę ab illis fontibus oriuntur. *nobilitatis quoq;*. idest notorum hominum. Sunt .n. alij equites, idest deditι nutritioni equorum. *Praterea sunt aliæ*, idest sunt præter differentias diuitum allatas, etiã aliæ, scilicet differentiæ. *Secundum aliquam æquitatem communem*. vel nobilitatem, vel libertatem.

Maximè uerò duæ uidentur esse quemadmodum de uentis dici solet, alios quidem esse boreales, alios australes, cæteros autem uentos horum esse excessus: sic etiam respublicas duas esse, popularem scilicet, & paucorum potentiam. nam optimates, speciem esse paucorum potentium posuere: & eam quæ uocatur respublica dixerunt esse popularem. quemadmodum de uentis Zephyrum quidem borealem, Eurum autem australem. eodemq; modo in harmonijs, ut quidam tradunt: nam & in illis duas species posuerunt, unam Doricam, alteram Phrygiam: cæteras omnes, uel ad Doricam, uel ad Phrygiam referri. maximæ quidem igitur consueuerunt, de rebuspublicis sic existimare.

Hæc est secunda pars capituli, in qua philosophus ostendit, quot sunt species reipublicæ, & primum affert sententiam quorundam philosophorum, deinde suã. dicit autem, secundum illorum opinionem non uidentur esse, nisi duæ species reipublicæ principales, uidelicet popularis, & paucorum potentia, cęteras autẽ gubernationes harum esse participes, & ad has reducit, ueluti optimates ad paucorũ potentiã, & rempub. nomine generis vocitatã ad statum popularem, sicut accidit de uentis: nam ad boream, & ad austrum reliquos uentos reduci uolebant, tanquam illorũ participes. Idem probant quidam similitudine harmoniæ: duas.n. species tantum posuere, uidelicet Doricã, & Phrygiã, reliquas ad illas duas referebant. Eodem modo duas species reipublicę, vt dictũ est, posuere popularem gubernationẽ, & paucorũ potentiã, reliquas omnes species gubernandi, uel ad hanc, uel ad illam reduci uoluerunt, ut patet in textu.

Sed certè melius ac uerius est, ut nos diuisimus, duarum uel unius rectè constitutæ, cæteras transgressiones esse: & aliquas esse bene cõtẽperatæ harmoniæ, alias uerò ipsius optimæ reipublicæ, ad pauco-

paucorum verò potentiam, quæ duriores sunt, ac magis violentæ: quæ verò remissæ & molles, ad popularem statum pertinere.

Affert etiam magis aperte sententiam suam philosophus, & repetit distinctionem antea factam, videlicet quod quędam est respublica recta, quędam non recta. Rectæ reipublicæ species sunt tres, non rectæ etiam tres, & videtur permanere in similitudine harmoniæ. Est enim vnus concentus resultans ex consonantia vocum, & ille est simpliciter talis: sic etiam optima respublica, vt quędã harmonia recta esse videtur, ita vt vnius, vel duarum rerum publicarum, quæ sint bene constitutæ, aliæ sunt trãsgressiones, & videtur per duas rectas respublicas innuere regiam, & optimatum gubernationem. nam respublica nomine generis vocitata, & si à philosopho in numero rectarum gubernationum posita sit, tamen non est optima simpliciter, vt regia & optimates, sed comparata cũ illis quo quo modo declinans est, & digressio quædam à tali perfectione. Aliæ vero sunt transgressiones absolutæ, & quæ intẽsiores sunt, dicit philosophus, permanens in translatione fidium: ac etiam sunt magis imperiosæ, vel heriles, & ad paucorũ potentiã rediguntur: eas vero, quæ sunt remissæ, & molles, populares esse dicimus. Sic igitur sumenda est diuisio antea à nobis allata, & posthabenda ea, quæ ab illis philosophis afferebatur. *Ad paucorum vero potentiam inclinant*, id est paucorum potentiam intensiores, ac magis heriles, remissas vero, & molles populares. s. dicimus: ita vt recta atque optima media videatur esse inter hæc extrema, videlicet intensam & remissam, quasi inter excessum & defectum.

Neq; vero popularis ita simpliciter nunc ponenda est, vt quidã ponunt, vbi multitudo dominatur: nam & in paucorum potentijs, & vbiq; dominari, maior pars præualet: etenim si essent vniuersi mille trecenti, & horum mille essent opulenti, neq; partem gubernationis darent trecentis illis pauperibus ingenuis, ac in cæteris paribus, nemo certè diceret hanc esse popularem. Eodemq; modo, si pauci quidem inopes in ciuitate potentiores essent, quàm multi opulẽti, nec honores illis impartirentur, nemo vtiq; diceret hanc esse spe-

ciem quæ appellatur paucorum potentium. Potius itaq; dicendum fuerit popularem quidem esse, cum penes ingenuos homines est gubernatio: paucorum autem potentium, cum penes opulentos. sed contingit vt alteri multi sint, alteri pauci: plerique enim ingenui sunt, rari vero diuites. Etenim si magistratus, honoresq; publici secundum magnitudinem distribuerentur, vt in Aethiopia quidem tradunt fieri, vel secundum pulchritudinem, paucorum esset gubernatio, cum parua sit multitudo magnorum & formosorum. Veruntamen non isto modo sat est respublicas istas determinasse, sed cum plures sint partes, & multitudinis, & paucorum potentium, adhuc resumendum est, vt neq; ingenui pauci existentes, pluribus: neq; Ionum multitudo, ingenuis dominetur, vt in Apollonia, quæ est in Ionio, & in Thera: in vtraq; enim istarum vrbium honores, dignitatesq; erant illorum qui nobilitate præstabant, & eorum qui primi in eas colonias venerant, qui erant pauci: non autem diuitum, licet diuitum multitudine superaret populus, vt & in Colophone antiquitus: ibi enim possidebat magna patrimonia multitudo, antequam bellum gererent aduersus Lydos. Sed est multitudinis quædam gubernatio, quando ingenui homines, & inopes multi existentes gubernant rempublicam: paucorum verò potentium, quando opulenti & nobiliores pauci existentes gubernant. Quòd igitur plures sint rerũpublicarũ species, et quibus de causis, patet.

Hęc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus remouet sententiam quorundam circa statum popularem, & paucorum potentiam. Quidam enim dicebant, quod vbi dominatur multitudo, ibi est status popularis, vbi vero pauci, ibi est paucorum potentia: ita quod istæ gubernationes distinguantur paucitate, & multitudine: & hanc sentẽtiam tetigit, etiam antea sub dubitatione. Ostendit igitur quod talis determinatio, vel distinctio, vt volebant illi, non est vera. Textus est manifestus. *Potius itaque*. Affert nunc philosophus sententiam suam, & ostendit, quod istę respublicę non distinguuntur primo, & per se ratione multitudinis, & paucitatis. nam hoc accidit, vt pauperes liberi sunt multi, diuites vero pauci: sed ratione paupertatis, & diuitiarum quæ inter se aduersari videntur, & quod tunc dicemus esse gubernationem

nem popularem, cum liberi qui sint pauperes dominantur, siue plures sint, siue pauciores: cum vero diuites gubernant, dicimus esse paucorum potentiam: & ostendit quodam exemplo, quod magistratus si distribuerentur secũdum magnitudinem corporis, vt in Aethiopia fieri dicunt, vel secundum pulchritudinem, cum magni vel pulchri pauci reperiantur, diceretur talis gubernatio paucorum potentia. Sed hoc est absurdum, ergo absurdum ratione multitudinis vel paucitatis terminare paucorũ potentiam. itaq; alia ratio est, vnde talis gubernationis species oritur. nã vbi fit distributio ratione alicuius boni externi, siue diuitiarum, siue nobilitatis, dicitur paucorum potentia, vbi vero multitudo liberorum pauperum gubernat, dicitur popularis gubernatio, & accidit, vt plurimum illos esse paucos, hos vero plures. Ex his cõcluditur, quod gubernatio popularis est, cum liberi inopes, multi existentes, gubernant: paucorum vero potentia cum opulenti & nobiles, pauci existentes, dominantur: & notandum, quod accipiunt hic non nulli liberos quasi ingenuos, & libertatem, quasi ingenuitatem quandam, & vacationem à sordidis ministerijs. *Adhuc resumendum est*, ideſt, ſumendum est, quod neq; si liberi pauci pluribus, & non liberis dominẽtur, sicut in Apollonia quę est in Ionio, & in Thera contingit: neq; si diuites, quia multitudine superant, propterea populus, ideſt popularis est gubernatio.

Quam ob rem verò plures sint, quàm illæ quas dictum erat, & quænam istæ sint, & propter quid, deinceps dicemus, principio, unde prius, assumpto: fatemur enim non vnam partem, sed plures, omnem habere ciuitatem. Vt igitur si animalis vellemus species capere, primò segregaremus id quod necessarium sit omne animal habere, ceu quædam sensoriorum, & quòd cibum conficiat atq; receptet, puta os & ventrem, & præterea illas quibus mouẽtur partes. Si itaque tot species solum, harum verò differentiæ essent: dico autem ceu oris genera plura, ventris & sensoriorum, & præterea earum quibus mouetur partium: harum coniugationis numerus necessariò efficeret plura genera animalium: non enim fieri posset ut

idem

idem animal haberet plures differentias oris, sic etiã neq; aurium. itaq; quando susceptæ fuerint omnes combinationes istorum, faciẽt species animalis, & tot quidem species, quot coniugationes sunt partium necessariarum. Eodẽ modo de dictis rebuspublicis: ciuitates.n. non ex una, sed ex multis partibus constant, vt sæpius dictum est.

Hoc est tertium capitulũ huius tractatus, in quo philosophus ostendit magis particulariter, plures esse species rerumpublicarum, vel ciuilitatũ præter iam dictas. Diuiditur autem in duas partes, quæ patebunt: in prima igitur philosophus probat similitudine animalis, quod plures atq; diuersæ sunt species rerumpublicarum, sicut fit de animali, ita de re p. sed animalis plures sunt species ob diuersitatem partium animalis, ergo ita erit de re p. quod ratione partium ciuitatis plures erunt species rerumpublicarum, vel ciuilitatum. patet ratio ex sententia Sancti Thomæ, & Brulei, videlicet quod quædam sunt partes materiales ad speciem pertinẽtes, quædam non; & secundum distinctionem partium, quæ ad speciem pertinent, distinguitur forma, quãuis distinctio formæ non sit propter distinctionem materiæ. De talibus igitur partibus, quæ indicant diuersitatem specierum, loquitur philosophus. Et accipit primo sensus, vel sensuum instrumenta, sine quibus animal constare non potest: postea accipit os & ventrem, quę sunt partes, quibus animal nutritur, & istæ sunt partes necessariæ animali ad hoc, vt viuat: tertio accipit partes animalis, quibus animal mouetur, vel pergit de loco ad locum. Quòd si volumus inuenire diuersitatem specierum animalis, sumemus distinctionem ex istis partibus. videmus enim in vno animali esse vnum instrumentum sensus, quod non est in alio, & ex hoc arguimus differentiam animalium. Item ex diuersitate oris & ventris, & ex diuersitate instrumentorum, quibus animalia vtũtur ad motum, ostenditur diuersitas eorundem animalium, vt in libro de Anima, & in resolutiuis posterioribus declaratur. Quod si idem est iudicium de animali, & re publica, & plures sunt partes rei p. & ciuitatis, sicut diximus, plures

res esse partes animalis atque diuersas, sequitur, quod ex diuersitate partium orientur diuersæ species rerum publicarum, præter illas iam dictas, quæ tamen sub illis continentur, vel ad illas rediguntur. Quòd si sumantur coniugationes istarum partium animalium, tot erũt species, quot coniunctiones, vel coniugationes partium necessariarum. *Segregaremus*. i. distingueremus. *Quædam sensitiuorum*, idest, vt quędam sensuum instrumenta, & diceremus quod illa animalia sunt diuersa, in quibus talia instrumenta sunt diuersa.

Vna quædam pars est circa alimenta multitudo, quos agricolas dicimus. Secunda uerò pars ea quæ uocatur mechanica: hæc autẽ uersatur circa artes, sine quibus ciuitas habitari non põt. harũ uerò artiũ aliæ sunt necessariæ, aliæ ad delicias pertinent, & ad uitæ cultum. Tertia pars est forensis multitudo, quæ circa emendum uendendumque, & circa mercaturam, & nũmulariam uersatur. Quarta pars, mercenarij. Quinta, propulsatores belli, quæ quidem pars non minus necessaria ciuitati est, quam aliqua superiorum, si uelint aduersus inuadentes tueri libertatem: impossibile est enim ut quæ ciuitas uocari mereatur, sit natura serua: per se enim sufficiens ciuitas, seruus autem non per se sufficiens est. Quapropter in libris de republica, ornatè quidem hoc, sed non sufficienter dictum est à Socrate: inquit enim ex quatuor maximè necessarijs ciuitatem constare: hos autem esse, textorem, agricolam, coriarium, ædificatorem. rursus verò adiungit, quasi illi non sufficiant, fabrum ferrarium, & pastorem necessariarum pecudum, & insuper negociatorem, & nummularium: & hæc omnia ciuitatem complent primam. Quasi verò ciuitas omnis necessariorum gratia sit constituta, ac non magis gratia honesti, & quasi æquè indigeat coriarijs, & agricolis. Propulsatores autem belli non primam facit partem, antequam aucta regione, & vicinis coactis, ad bellum deueniatur: atqui & in quatuor illis, & in quotcunq; communicantibus, necessarium est esse aliquem, qui ius dicat, & decernat: si quidem ergo animam quis ponat animalis esse partem magis quàm corpus, & ciuitatum magis talia ponenda sunt esse partes quàm ea quæ pertinent ad necessarium usum, propulsatores belli videlicet, ac iustitiæ iudiciariæ exhibitores, & præterea

consultores, quod est ciuilis prudentiæ opus, & hoc siue separatim existat quibusdam, siue eisdem, nihil refert ad hunc sermonē. nam & in armis esse, & agros colere, sæpe contingit eisdem. quare si et hæc & illa ponenda sunt ciuitatis esse partes, manifestū est quòd propulsatores belli pars necessaria sunt ciuitatis. Septima pars est eorum, qui magna patrimonia habentes, reipub. onera sustinent, quos opulentos vocamus. Octaua eorum qui publicam operam exhibent, & qui in magistratibus gerendis occupati existunt: ciuitas.n. absq; magistratibus esse non potest: necessarium est igitur esse quosdam, qui magistratus gerere valeant, & hoc munus sufferre in ciuitate, uel perpetuò, uel ad tempus. Reliqua verò sunt illa, de quibus ad integrum determinabimus, quod in consulendo: et ius controuersiam habentibus reddendo, uersatur: si igitur hæc ciuitatibus adesse oportet, rectèq; fieri et iustè, necessarium est esse aliquos, qui virtutem habeant rerum ciuilium. Cæteras ergo potentias eisdem adesse posse videtur pluribus, ceu eosdem esse propulsatores belli, & agricolas, & artifices, & præterea consultores, & iudicantes arrogant quoq; sibi virtutem cuncti, & multifariam se existimāt idoneos ad gubernandum: uerum pauperes & diuites, eosdem esse impossibile est, quapropter hæ partes præcipuæ videntur esse ciuitatis, inopes scilicet, & opulenti. Et præterea ex eo quòd ut plurimum alij pauci sunt, alij multi, contrariæ partes inter se apparēt. quare & respub. secundum earum prævalentiam constituerunt, ac duæ videntur popularis scilicet, & paucorum potentia: sed quòd sint plures respub. & hoc ob quas causas, dictum est prius.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus enumerat plures partes ciuitatis, sed quia non sunt eodem modo dispositæ in quacunque ciuitate, idcirco oriuntur diuersæ respub. vt patet. prima pars est multitudo agricolarum. alia est circa ministeria, ceu artifices, & horum quidam sunt, sine quibus viui, quidam vero, sine quibus commode viui non potest. tertia est multitudo, quę versatur in foro dedita mercaturæ, & omnino cō tractibus emendi atq; vendendi. quarta est mercenaria, idest eorum, qui locant operā suam, & manualis est exercitatio. quinta propulsatores belli, & hoc loco redarguit Platonem, qui posuit primo quatuor partes neces-

sarius

ſarias ciuitati, deinde adiungit fabrum ferrarium, & paſtorem, tum negociatorem, & mercatorem, ex quibus omnibus exiſtimauit ſufficientem habere ciuitatem, ſed poſtea addit propulſatores, quando ciuitas eſt conſtituta, & incipit augere fines ſuos. Philoſophus autem oſtendit neceſſitatem propulſatorum requiri in prima conſtitione ciuitatis, quia ſine illis ſuã non poteſt libertatem tueri. Quòd ſi fuerit ſerua natura, ciuitas proprie appellari nõ poteſt, cum ciuitas ſit per ſe ſufficiens, ſeruus autem proprie dictus per ſe ſufficiens non ſit: ſed ipſe, & operationes eius alterius gratia eſſe videantur. Inſufficiens igitur fuit Plato, ait philoſophus, quamuis eleganter dixerit, cum poſuit primo illas quatuor partes, vt valde neceſſarias, ſecundo illas alias ſupra allatas, & adhuc non poſuit belli propulſatores. Præterea fuit inſufficiens, quia inter primas partes non poſuit eos, qui reddunt iura. hæc autem pars eſt valde neceſſaria, & eſt ſexta, & etiam conſultatiua, cuius inferius meminit. ſeptima pars eſt eorum, qui dicuntur opulenti, quorum opes ſubminiſtrant neceſſitati reipublicę. octaua pars eſt ciuitatis regimen ex illis, qui gerunt magiſtratus, vnde ſumitur ordo, & inſtitutio reipublicæ. Addit philoſophus partem conſultatiuam, & iudicatiuam, ideſt eorum, qui iudicant, & conſulunt: quorũ ſuperius meminit. Verum hæc fieri & exerceri non poſſunt bene recteq;, ſine virtute. Oportet igitur viros ſtudioſos adeſſe, & ciuili virtute inſtructos. Verum ſunt aliquæ partes, quæ poſſunt conuenire in vno, & eodem homine: nam poteſt idem eſſe agricola, & miles, vel artifex, & idem, qui reddãt ius & conſultet, non quod iudicare, & cõſulere ſit idem, ſed idem homo vtrunq; munus ſubire poteſt. At vero duæ ſunt partes, quæ in eodem conuenire non poſſunt, videlicet non poteſt eodem tempore vnus & idem eſſe diues, & pauper, & plerunq; ſunt plures pauperes, diuites autẽ pauciores: propterea ſumma eſt inter ipſos cõtentio. Ex his infert philoſophus ſententiam obortam, ideſt corrolarium, quod cum diuites, & pauperes aduerſentur, ita

quod non possint esse in eodem,& alteri sint pauci, alteri multi,propterea dicitur,quod in ciuitatibus duę tantum esse solent species rerum publicarum,videlicet paucorum potentia,& status popularis. si diuites præualēt, paucorum potentiam; sin vero pauperes, statum popularem oriri volunt. Sic igitur habemus, quod cum sint plures partes ciuitatis specie differētes, sequitur etiam, quod rerum publicarum seu ciuilitatum plures sunt species. Quod si obijciatur superius dictum,quod sunt tres respublicæ rectæ,& tres non rectæ,& non plures, dicendum,quod intelligi debet superius fuisse allata tria genera rerum publicarum rectarum,& tria non rectarum: sunt tamen quæ habent species sub se contentas,vel quę ad illa quo quo modo reducuntur,& hoc pacto loquitur hic philosophus. Altera est pars circa ministeria, idest altera est pars,quàm appellamus mercenariam. *Necessarium est esse*,idest necesse est esse aliquos ciuiles homines, qui exerceant virtutem. *Et multifariam existimant*, idest putant se posse plurimos magistratus subire. *Verum pauperes*, si dicatur, quod antea non fecit mentionem pauperum, cum enumerauit diuersas partes ciuitatis, dicendum quod in agricolis, & artificibus,& mercenarijs enumerandis satis tetigit pauperes. Tales enim plerunque pauperes sunt.Notandum,quod cum ciuitas sit non tam necessariorum,quàm honesti gratia constituta, vt dicit philosophus,qui magis conferunt ad honestatem ciuitatis,merito præsidere & gubernare debent. Tales autem sunt studiosi,& virtutibus præditi.

Quòd verò & popularis ipsius species sint plures,et paucorum potentium,ostendemus. Patet autē hoc ex ijs quæ dicta sunt: nam & in plebe,& in nobilitate plures sunt species: plebis quidem una species,agricolæ alia,artifices alia,negociatores, qui emendis uendendisq; rebus intendunt alia,circa rem maritimam, et horum alij bellatores,alij mercatores,alij portitores, alij piscatores: multis.n. in locis horum turba ingens, ut piscatores,Tarenti & Byzantij:naualis multitudo, Athenis: mercatores, in Aegina & Chio: portitores,in Tenedo: insuper manuales & paruas facultates habentes,

tes, qui ociosi esse non possunt: praeterea qui non ex vtroque parente ciue sunt orti, liberi tamen homines, & si qua huiusmodi plebeiorum hominum species altera. Nobilitatis uerò diuitiæ genus, uirtus, disciplina, & his similia, quæ dicuntur secundum eandem differentiam.

Hic est secundus tractatus huius libri, in quo philosophus declarauit, plures respublicas, in quas diuiduntur illæ species enumeratæ, quæ sunt vt genera subalterna, habentia species sibi subiectas. Diuiditur autem in quinque capitula: in primo diuidit popularem gubernationem, & paucorum potentiam in suas species: in secundo ostendit causas, ob quas ita diuiduntur illæ respublicæ: in tertio enumerat species optimatum: in quarto affert rempublicam communi nomine vocitatam: in quinto diuidit tyrannidem in suas species.

Primum capitulum diuiditur in tres partes, quæ suis locis declarabuntur: in prima dicit philosophus, quod tam popularis, quàm paucorum potētia habet sub se plures species: probatur: quæ habent partes diuersas ratione, habent diuersos modos, ac diuersas species gubernationum: sed tam multitudo, quàm homines noti habent partes ratione, & conditione diuersas: ergo & diuersas species gubernationum: maior patet ex dictis, quia ostensum est in communi ex diuersitate partium ciuitatis diuersas oriri species rerum publicarum: minor declaratur à philosopho, quia in vtrisque sunt variæ partes, quod diuersimode compositæ faciunt diuersas species, & videtur diuidere ciuitatem in populum, & homines claros, vel notos, & vtrunque membrum continet sub se diuersas partes. Dicit autem primo, quod populi vna pars est ex agricolis, alia ex artificibus. Sunt præterea mercatores forenses: item maritimi homines atque horum alij bellicosi, alij lucro dediti, alij piscatores, manuales insuper labore manuum suarum sibi quærentes victum, & aliæ huiusmodi differentiæ, quæ manifeste patent in textu. Insignium quoque vel notorum hominum plures sunt partes. quidam sunt di-

uites, quidam nobiles, quidam virtute ornati, quidam disciplinis dediti, & alia huiusmodi. *Patet autem hoc ex his, quæ dicta sunt.* Quia sicut ex diuersitate partium ciuitatis declarauimus diuersa oriri genera rerum publicarum, sic ex diuersitate partium, quæ sunt sub genere, probabimus diuersitatem specierum. *Nam & in plebe, & in nobilitate*, idest, nam species plures ipsius populi sunt, & hominum dictorum clarorum, vel notorum. *Nobilitatis*, idest, insignium, vel notorum, scilicet species sunt. *Diuitiæ*, idest diuites, nobiles, studiosi, & alij similis generis.

Popularis igitur prima species dicitur maximè secũdum æqualitatem: vult.n.lex huiusmodi popularitatis, pares esse diuites & pauperes, nec alteros plus posse, alteros minus: sed vtrosque esse æquales: siquidem maximè libertas est in populari statu, vt putant quidam, & æqualitas certè fuerit maximè simili modo omnibus republica participantibus: cum verò populus sit multitudo, & id obtineat quod pluribus videatur, necesse est vt hæc sit popularis gubernatio: una igitur species popularis hæc est.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus affert quinque species popularis gubernationis: prima autem est cum omnes sunt pares, & nullum est discrimen hominum in ea gubernatione: nam lex huiusmodi popularitatis vult omnes esse æquales, tam diuites, quàm pauperes. itaque ibi est paritas omni exceptione remota, & omnes sunt æque participes gubernationis, potestatisque ciuilis: quia dicunt se esse pares libertate: vnde populus seu multitudo ibi dominatur. sed vbi populus dominatur, ibi est gubernatio popularis, & vna species popularis gubernationis. *Si quidem maxime libertas*, idest: si enim maxime libertas est in populari statu, vt putant quidam, atque æqualitas: sic erit maxime, si omnes rei ciuilis maxime participes sint, eodem modo, cum vero populus sit plurium, idest copiosior, & maior numerus, quàm homines insignes, & id præualeat, quod in pluribus videtur, necesse est, popularem esse gubernationem, vt patet in textu.

Aliam

Alia verò species, ut magistratus honoresque in re p. secundum censum patrimoniorum, & eum quidem paruum, tribuantur, ita vt qui tanta possidet, habilis sit ad honores rei p. suscipiendos, qui verò non possidet inhabilis sit.

Affert secundam speciem popularis gubernationis, quæ talis est, dicit philosophus, cum homines parui censũs gubernant rempublicam hoc pacto, vt qui habet tantum patrimonij, & id quidẽ paruum, gubernare possint rempublicam, qui non habent, non possint. nam tunc dicitur popularis gubernatio, quia ponitur paruus cẽsus.

Alia species popularis est, vt omnibus omnino ciuibus habilitas sit, modò sint obnoxij, dominetur autem lex.

Tertia species ponitur popularis gubernationis, cum æqua potestas gubernandi cunctis ciuibus est, præterquam illis, qui sunt obnoxij alicui rei, vt si debeant aliquid rei publicæ, vel aliquid tale, additur tamen hoc, vt lex dominetur, idest, vt gubernent secundum legem.

Alia species popularis est, vt omnes omnino habiles sint ad magistratus gerendos, modo sint ciues, & dominetur lex.

Quarta species gubernationis popularis est, cum omnes habiles ad gubernandum esse dicuntur, & sunt, modo sint ciues: hic excipiuntur tantum, qui non sunt ciues: omnes autem ciues adhibentur ad magistratus gerendos secundum leges: nam apud istos etiam ipsa lex dominatur.

Alia species, eodemq; modo, nisi quòd non lex dominatur, sed multitudo. Hoc autem fit, quando populi decreta præualent legibus. accidit uerò istud ob quosdam, qui populum ducunt: nam in ijs rebuspub. in quibus dominatur lex, non fit aliquis qui populum ducat: sed optimi ciuium remp. gubernant: at vbi leges non dominantur, ibi ductores populi oriuntur: solus enim populus regit, compositus unus ex pluribus: multitudo enim dominandi auctoritatem habet, non ut singuli, sed ut omnes. Homerus autem cum dicit, non esse bonum ut plures regant, utrum de hac dicit, uel de alia cum plures gubernant vt singuli, incertum est: talis ergo populus utpote absolutam potestatem habens, dominari solus quærit, nec vlli legi subesse, efficiturq; dominator: quare assentatores eius in

precio habentur. Et est huiusmodi populus, in gubernatione sua tyranno persimilis: ijdem nempe mores, et utrobique meliores deprimuntur: & decreta huius populi, perinde sunt vt tyranni praecepta, & ductores suasoresq; huiusmodi populi, sunt velut adulatores illi, qui circa tyrannos versantur. & maximè vtrisq; apud vtrosque potentia est, adulatoribus, inquam, penes tyrannum, ac ductoribus suasoribusque populi apud ipsum populum. Hi actores sunt, vt decretum populi leges infringant, & ad populum cuncta referunt: contingit autem illos fieri potentes ex eo, quia populus dominatur omnium, ipsi verò voluntati populi: nam fides à populo eis adhibetur. Praeterea qui de magistratibus conqueruntur, aiunt, ad iudicia populi, negocia referri oportere, populus autem audit gratanter eorum prouocationes: quare per hunc modum magistratus dissoluuntur omnes.

Affert quintam speciem popularis gubernationis,quę est cum multitudo gubernat,& omnium est æqua potestas subeundi magistratus reipublicæ,tamen non dominatur lex,sed populus ita,vt ex iudicio populi omnia agãtur, & particularia decreta magis valent, quàm leges vniuersales. *Accidit uerò*. Assignat causam ob quam oritur talis modus gubernationis. Fit autem hoc,cum quidam ductores populi omnia in fauorem populi gerunt, qui tamen fauor redundat ad ipsos, quia populus fidem adhibés illis facile mouetur,& ducitur ad libitum persuadentis: tales autem ductores repetiuntur,vbi nõ dominantur leges,sed summa potestas est populi: nam tũc populus est,vt princeps vnus ex multis compositus: dominatur enim multitudo cõiunctim,& nõ diuisim. Homerus aũt dicit,non esse bonum,multitudinem dominari: sed incertum est,vtrum Homerus intellexerit,cũ tota multitudo dominaẽ cõiunctim,vt simul oẽs possint sicut vnus princeps: an cũ populus dominaẽ ita, vt vnusquisq; auctoritaté habeat.dicit igitur philosophus,quod populus talem potestatẽ habens,& eo modo gubernans,similis est tyranno,quia omnia ad suam vtilitatem refert, & non ad commune bonum ciuitatis, & non subijcitur legibus,sed se adulari sinit,sicut tyrannus à suis assentatoribus.

ribus: sunt enim ductores populi veluti adulatores circa tyrannum, quorum arbitrio & prudentum consilio regitur multitudo, ac similes adulatores trahũt populum quocunq; volunt assentationibus suis, vt apud Romanos interdum faciebant quidam tribuni plebis. *Præpotens aliquis*, idest ductor populi. *Dominari solus quærit*, idest solus quærit dominari, vt non habeat leges præsidentes, & efficitur princeps herilis, quasi dominans dominica quadã gubernatione. *Potentia par*, idest potentia magna. *Leges infringat*, idest auctores sunt, vt decreta valeant, & dominentur, & non leges.s.vniuersales.

Meritò igitur reprehendere videntur: qui dicunt huiusmodi popularem esse potentiam, non autem reipublicæ speciem: ubi enim leges dominari non præualent, non est respublica: nam lex dominari omnibus debet, de singularibus autem magistratus & respublica iudicare: quare si est popularis potentia una specierum reipublicæ, clarum est quod talis gubernatio, in qua decretis populi cuncta efficiuntur, non est propriè popularis potentia: nullum. n. populi decretum, recipit esse uniuersale. De popularis igitur speciebus, in hunc modum determinatum sit.

Hac in parte philosophus affert sententiam quorundam, qui dixerunt, hanc non esse rem publicam, vel speciem rei publicæ. quia in omni re publica debet dominari lex, verum in hac specie gubernationis non dominantur leges, nec locum habent, sed populus ad libitum suum gubernat vtens decretis particularibus, & quotidianis prouisionibus ex arbitrio, & non ratione aliqua vniuersali. cum igitur in tali specie gubernationis non sint leges, ideo non est dicenda respublica, nisi æquiuoce. *In particularibus autem*, idest in singulis. itaque si volumus ponere popularem gubernationem speciem unam rei publicę ciuilis, patet, quod talis gubernatio non est proprie res ciuilis, vel respublica. *Nullum enim decretum*, idest: non enim fit, vt decretum subeat rationem vniuersalis.

Paucorum verò gubernationis species una est, in qua censum habentes ad gubernationem rei p. recipiuntur, tãtum quidẽ vt tenues

homines ad eum peruenire non possint, is uerò qui tanta possidet, habilis sit ad rempublicam gerendam.

Hęc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus affert plures species paucorum potentiæ: vna est, in qua opulenti, & magnum habentes censum dominantur. Ferunt enim leges, vt habentes tantum census, (& ponunt magnum numerum) habiles sint ad gerédam rem p quo fit, vt inopes, & tenuem habentes censum plures existentes ab honoribus exclusi relinquãtur, & posthabeantur.

Alia species est, cum à paruo censu est fungendi magistratus habilitas, atque cum eligunt ipsi, eos qui desunt: si igitur ex omnibus hoc faciant, videtur hoc potius esse optimatum. sin verò ex definitis quibusdam, paucorum potentiæ.

Affert secundam speciem paucorum potentiæ, quæ oritur cum habentes paruum censum sunt habiles ad gerendos magistratus, & habent auctoritatem eligendi sibi socios, qui sunt tenuiores, & quibus desit, scilicet quantitas patrimonij præfinita à lege. Et dicit, quod si isti eligunt ex omnibus, modo sint idonei, & boni, tunc esse videtur talis gubernatio species optimatum, quia per virtutem eligentur. Sin vero prout cuiusque ingenium est eligunt eos, à quibus aliquid commodi consequi posse confidunt, erit paucorum potentia, vbi propria vtilitas quæritur.

Alia species est, cum pro patre succedit filius.

Tertia est species paucorũ potẽtię cũ filius succedit patri, ita vt filijs p successionẽ relinquatũ talis gubernatio.

Quarta species, cum hoc fit quod modò diximus, et lex non dominatur, sed id illi qui regunt. Et hæc est correspondens in paucorum gubernatione, ut est tyrãnus in monarchia, et ut est in populari statu ultima illa species de qua diximus: et vocãt huiusmodi speciẽ, paucorum potentiam: gubernationis igitur paucorũ hæ species sunt.

Affert quartam speciem paucorum potentiæ, quę est, cum gubernatio relinquitur per successionem, vt modo dictum fuit, & vlterius lex non dominatur: & ista est pessima: nam ab illis tertiæ speciei non posthabetur lex: ista vero quarto loco posita est similis tyrannidi, & vltimæ

mæ ſpeciei popularis potentiæ, quia in vtriſq; extermi-natur lex, & gubernatur ad libitum eius, vel eorum, qui dominantur.

Nec latere debet nos, quod multis locis accidit rēpublicam quæ ſecundum leges non ſit popularis, conſuetudine tamen & viuendi modo populariter gubernari: ſimiliter autem econuerſo apud alios contingit rem p. ſecundum leges magis eſſe popularem, moribus tamen & viuendi modo ad paucorum gubernationem magis pertinere: Contingit hoc autem maximè poſt mutationes rerum publicarū: non enim ſtatim mutantur, ſed contenti ſunt ab initio homines parua acceſſione potentiæ. Quare leges manent vti prius erant, præualent tamen qui rempublicam mutauerunt.

Hoc eſt ſecundum capitulum, in quo philoſophus affert rationes modorum, & ſpecierum vtriuſq; rei publicæ, videlicet popularis, & paucorum potentiæ. Diuiditur autem in tres partes, quæ ſuis locis declarabūtur: in prima igitur dicit, quod plerunque fit, vt reſpublica nō ſit legibus popularis, viuatur tamen in ea populariter: interdum fit contra, vt ſit popularis ſecundum leges, gubernetur tamen vt paucorum potentia. Hoc autem euenit dicit philoſophus ob mutationem rerum publicarū: nam quando vna ſpecies mutatur in aliam, veluti cum popularis mutatur in paucorum potentiam, actores talis mutationis retinent ab initio morem popularé: cum de paucorum potentia ad popularem fit mutatio, retinent ab initio morem paucorum gubernationis: præualent tamen ij, qui mutauerunt talem ſpeciem rei publicæ, & ſenſim labuntur ab illa ad mores & conſuetudines alterius. *Sed contenti ſunt homines.* i. amant illa ſua prima mutuo ſumentes parua, ſcilicet altera inuicem ab altera vt popularis à paucorum potentia vel contra paucorum potentia à populari.

Quod autem tot ſint popularis, & paucorum gubernationis ſpecies, ex dictis patet: neceſſe eſt enim, aut omnes partes populi, quas ſupra enumerauimus, reip. gubernationem habere, aut quaſdā habere, quaſdā non habere Cū igitur et agricolæ, et mediocria poßidentes, rem p. gubernabant, ſecundum leges eſt gubernatio: uictum.n.

ex opera sua quærere habēt, nec ociosi esse possunt: quare legē agno scentes solummodo ad necessarias conciones populū conuocant: alijs autem recipi ad rem p. licet, cum tanta possidebunt, quanta determinat lex: omnino.n. non licere omnibus, paucorum potentiæ est. ociari aūt eum qui non redditus habeat, impossibile. Hæc igitur his de causis, una est species popularis gubernationis.

Hæc est secunda pars capituli, in qua philosophus affert rationem, cur tot oriantur species popularis gubernationis, & paucorum potentię, quot enumerauit. videtur autem posthabere primum modum superius allatū, cum dixit, quod prima species popularis gubernationis erat, vbi præcipue æqualitas seruabat̄, & maxime attendebatur libertas, quia talis modus habet conditiones cō munes cunctis alijs modis viuēdi populariter, & est tanquam genus. itaque non est necesse assignare rationem illius modi generalis, atque notissimi, & ideo affert rationem reliquorum, & in primis dicit, quod necesse est, aut oēs quas diximus, partes populi dominari, aut quasdam dominari, quasdam non dominari: nam si agricolæ sumantur, & artifices mediocria possidentes, orietur res publica posita superius in secundo loco. Agricolæ enim non habent tantum ad viuendum, vt possint semper curam habere rei publicæ: ideo apud ipsos necessario ponuntur leges, vt eæ sint, quæ dominentur: idem accidit de alijs, qui non habent magnum, sed mediocrem censum: non enim possunt in quocunque tempore vacare rei publicæ, sed certis quibusdam & determinatis temporibus: ideo fit, vt lex & non homo dominetur, & oritur talis species reipublicæ popularis videlicet ex penuria rerum, quæ sunt victui necessariæ illis quidem hominibus, qui rempublicam gubernant.

Altera verò species est ob adhibitam electionem, nam omnibus licet re p. participare, qui prohibiti non sunt per genus, potentibus tamen in ocio esse: quapropter in huiusmodi quidem populari administratione leges præualent, & gubernant, quia redditus non est.

Affert rationē alterius speciei reipublicæ popularis,

quę

quæ oritur cum omnes ad gubernationē sumuntur prę-ter eos, quibus interdictum est ratione generis: cæteris autem licet gubernare, dummodo per ocium possint vacare reipublicæ. Sed cum non habeant ampla patrimonia, vt possint esse continue ociosi, ideo ponunt leges, quæ dominentur. *Redditus non est,* scilicet tantus, vt sufficiat degentibus in ocio.

Tertia species est, omnibus omnino licere rempub. gerere, qui liberi sint: non tamen licere ob supradictam causam: quare necessarium est in hac quoque legem dominari.

Affert rationem, qua oritur tertia species reipublicæ popularis, vbi liberi homines assumuntur ad gubernandum, nec excipiuntur, nisi qui non sunt liberi. libertas igitur est illa, quam omnes respiciunt, & in hac quoque specie gubernant secundum legem. *Ob supradictam causam.* quia non habent ampla patrimonia.

Quarta vero species est illa, quæ postremis temporibus in ciuitatibus esse cæpit: maioribus enim multo factis ciuitatibus quam ab initio fuerant, & redditibus facultatibusq́; abundantibus, participant omnes reipub. propter multitudinis superabundantiam, versanturq́; in re pub. gubernanda, ex eo quia possunt ociosi esse, etiam inopes, mercedem capientes: maximeq́; huiusmodi multitudo ociosa est. non enim cura rei familiaris propriæ eos impedit, quæ diuites ita occupat, vt sæpe à concionibus absint, & à iudicijs. ex quo fit, vt multitudo pauperum dominetur in hac repub. non autem leges. species igitur popularis gubernationis tot ac tales sunt, ob necessitates supradictas.

Affert rationem quartæ speciei popularis ostendens quod talis gubernatio oritur cum totus populus, quasi vnus princeps, gubernationem sibi assumit. & hæc differt à singulis supradictis, quia in prima erat institutio reipublicæ per censum mediocrem: præterea in illa & in alijs dominatur lex: in hac omnes ad gubernationem sumuntur, siue mediocrem habeant censum, siue non habeant: & vniuersa multitudo quasi vnus princeps, non leges, dominantur. fit etiam vt egentes summam vtilitatem ex republica capiunt, atque ex eo ocium agere pos-

ſint,& vacare gubernationi ciuitatis,& talis gubernatio oriri cępit in ciuitatibus maioribus factis,&magis auctis quam ab initio erant. Vbi igitur in huiuſmodi ciuitatibus talis ſpecies popularis gubernationis ē orta,ibi multitudo pauperū ex arbitrio dominatur, & non ipſa lex.

Paucorum autem gubernationis prima ſpecies eſt, quando plures habent patrimonia,ſed non admodum ampla: faciunt enim poteſtatem participandi ei, qui tanta poſſidet, & propter multitudinem eorum qui ad rempub.recipiuntur,neceſſe eſt non homines,ſed legem dominari. quanto enim magis diſtant ab vnius principatu, neque tam amplas habent facultates,vt eas negligendo ociari valeant, neque ita exiguas vt à ciuitate victum quærant, neceſſe eſt, vt legem velint dominari,non autem ipſos.

Hæc eſt tertia pars huius capituli, in qua philoſophus affert rationes, quibus oriuntur illæ quatuor ſpecies paucorum potentiæ. Prima eſt cum ſint plures in ciuitate habentes opulentiam, non tamen exceſſiuam: Gubernant igitur ij,qui tantū patrimonij habent, ideſt tantam quantitatem,quantam exigit lex. Nam cum ſint plures, diſtant à gubernatione, & cum non habeant ſuperabundantes diuitias, ita omnino ociari,& poſthabita cura rerum ſuarum vacare poſſint gubernationi ciuitatis: iccirco legem conſtituunt, quæ in republica dominetur.

Quod ſi pauciores ſint,qui patrimonia poſſident(ſiquidem plura quàm prius)ſecunda ſpecies fit gubernationis paucorum. magis enim potentes, plus habendi ſe dignos putant. quapropter ipſi ſumunt ex alijs, qui ad rempub. ſe conferunt. propterea quod nondum ita robuſti ſunt, vt abſque lege gubernari poſſint, legem huiuſmodi poſuere.

Affert rationem ſecundæ ſpeciei paucorum potentię,quę fit,cum minores ſint ſubſtantias habentes,quam plures:nam pauci exiſtentes tantum onus ſuſtinere non poſſunt. Itaq; ſocios aſſumunt,qui ſibi contra multitudinē auxilium præbeant, ſi opus ſit,& ex eo conſtituunt huiuſmodi legem, ex qua authoritatem habent eligendi ſocios minoris cenſus,vt ſupradictum fuit in ſecunda

ſpecie

ſpecie potentiæ paucorũ. *Quod ſi pauciores ſint qui patrimonia poſſident ſiquidem prius*, ideſt ſi pauciores vel minores ſint ſubſtantias poſſidentes, quam priores. *Propterea quia nondum.* Quia vero nondum ita robuſti ſunt, vt abſque lege gubernare poſſint, huiuſmodi legem ponunt.

Quòd ſi eò deueniant, vt ipſi pauciores numero, maiores facultates habeant, tertia fit gubernationis paucorum acceſſio: ipſi enim per ſe magiſtratus & imperia retinent, ſecundum legem iubentem, vt parentum defunctorum loco, filij ſuccedant.

Affert rationem tertiæ ſpeciei paucorum potentiæ, quæ fit, cum pauciores numero, habentes tamen maiores facultates, gubernant, & notandum, quod latenter & paulatim accedit ad ipſam tyrannidem, de qua eſt tractaturus. & iſti adhuc gubernatores tertiæ ſpeciei ferũt legem, vt filij loco defunctorum ſuffecti in gubernatione ſuccedant, quamuis lege vtantur, referunt tamen omnia ad ſuam vel poſterorum ſuorum vtilitatem.

Quod ſi magis etiam ſubnixi ſint opibus & amicis, propè eſt talis potentia ad vnius gubernationem, & dominantur homines, non autem lex. & eſt hæc quarta ſpecies gubernationis paucorum, correſpondens vltimæ ſpeciei popularis.

Affert rationem quartæ ſpeciei paucorum potentiæ, quæ fit, cum magnis opibus, & clientelis fulti cuncta ex arbitrio gubernant, & non dominatur lex. Talis gubernatio ſimilis eſt tyrannidi, dicit philoſophus, & vltimæ ſpeciei ſtatus popularis: nam ſicut illa popularium gubernationum, ita hæc paucorum potentiæ eſt peſſima, vt patet.

Sunt inſuper alia duo genera rerum publicarum, præter eas in quibus aut multitudo, aut pauci gubernãt, quarum alteram aiunt omnes, ſpeciem eſſe vnam ex quatuor. dicunt autem eas quatuor, monarchiam, paucorum gubernationem, popularem, & quartam, quam vocant optimatem. eſt & quinta, quam communi nomine omnium appellant, rem enim publicam vocant. ſed quia non ſæpe fit, latet numerare volentes, & ita ſuſcipiunt, quaſi ſint quatuor ſolum, vt Plato in libris de republica dicit,

Hoc eſt tertium capitulũ huius tractatus, in quo philoſophus

losophus postea quam diuisit statum popularem, & paucorum potentiam in suas species, & attulit rationes, ob quas tales species oriuntur, nunc sumit optimatum gubernationem, & in suas partes distribuit. Vult enim diuidere omnes res publicas, tanquam genera subalterna, in suas species. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes, quæ declarabuntur. in prima igitur dicit philosophus, quod sunt duo alia genera rerum publicarum præter statum popularem, & paucorum potentiam: ex quibus duobus vnum est de numero illarum quatuor gubernationũ, quas afferunt penè omnes. Dicunt enim quodlibet regimen aut esse monarchiam, idest regimen vnius, aut paucorum potentiam, aut statum popularem, aut optimatum gubernationem. Est autem & alia species gubernationis, quæ communi nomine vocatur respublica. Hæc verò quia raro inuenitur, ideo posthabetur à plerisque in enumeratione rerum publicarum, vt omissa est à Platone, dicit philosophus, qui tantum posuit illa quatuor, nos autem & quintam adiungimus, & vlterius diuidimus monarchiã, idest regimen vnius, in regnũ & tyrannidem: hoc pacto, emergunt sex videlicet regnum, tyrannis, optimatum gubernatio, paucorum potentia, respub. status popularis.

Optimatem igitur rectè se habet appellare illam, de qua tractauimus in primis sermonibus: quæ enim ab optimis viris simpliciter per virtutem est gubernatio reipublicæ, & non ad suppositionem quandam bonis viris, eam solam iustum est optimatem appellari. in sola enim ista simpliciter idem est vir bonus & ciuis. In alijs autem boni sunt ad suam gubernandi speciem.

Hęc est secunda pars huius capituli, in qua diuidit regimen optimatum in quatuor species, & in primis ostendit, quod illa gubernatio, in qua viri simpliciter boni dominantur, & non viri boni ex suppositione gubernãt, est prima & propria species optimatum: & in ista sola, dicit philosophus, fit vt idem sit vir bonus & ciuis bonus simpliciter, & absolute, de quo etiam in tertio latissime disseruit. *In primis libris.* Vbi etiam de regia potesta-

testate tractauimus: nam ista conuenit cum regia. Differt tamē in eo, quod in hac plures numero: in illa vnus tantum dominatur, sed vtraq; gubernatio per virtutem habet electos principes gubernandi, & virtutē respicit.

Sunt tamen quædam quæ differentiam habent à paucorum gubernatione, & appellantur optimates, & ab ea quæ vocatur respublica: vbi non solum respectu diuitiarum, sed etiam respectu virtutis, ad gubernationem reipublicæ sumuntur. hæc respublica differt ab vtrisque, & naturam optimatis sapere uidetur. nam & in his ciuitatibus quæ non faciunt publicè curam uirtutis, sunt tamen quidam præstantiores, qui uidentur esse boni & æqui uiri.

Secundam affert speciem optimatum, quæ fit cum nō tam respectu diuitiarum, quam virtutis gubernatur. Vbi igitur dominatur virtus appellatur optimatum potestas: nam virtus potest cum multis alijs coniungi, vnde plures species gubernationis optimatum oriuntur. Differt autem à paucorum potentia, quia in hac intentio prima est, vt studiosi viri dominentur: in illa vero, vt diuites gubernent. Differt quoque à republica communi nomine appellata, & etiam à populari statu. Miscentur tamen istę, & secundū quod alia ad paucorū potentiam, alia ad statum popularē, vel rempublicam magis inclinat, dicit talis ac talis gubernatio, vt postea videbimus

Vbi ergo respublica respicit ad diuitias, & ad uirtutem, & ad populum, ut est apud Carthaginenses, ea naturam optimatum sapere uidetur.

Tertiam speciem affert optimatum, vbi concurrunt ista tria, videlicet diuitiæ, virtus, & populus. Fieri enim potest, vt respublica habeat respectum ad virtutem, & cum ea alia coniungantur: sed tamen posthabeatur populus. Quod si multitudo adiungatur, emergit tertia species optimatum, qua vtebantur Carthaginenses, & ista differt à paucorum potentia, quia ibi nec virtus sumitur, nec populus.

Et ubi ad duo illorum solum, ut Lacedæmoniorum, ad uirtutem & ad populum: & est hæc mixtura popularis ac uirtutis. optimatum igitur, præter illam primam optimam reipublicæ gubernandi formam

formam, hæ duæ species sunt. Et tertia, quæcunque illius quæ appellatur respublica, inclinant ad paucorum gubernationem.

Quartam speciem affert optimatum, in qua sumitur virtus, & populus, idest habetur ratio virtutis & populi. Differt autem à prima, quia ibi sumitur tantum virtus: & à secunda, & tertia, quia ibi sumuntur etiam diuitię, non autem hic: & à paucorum potentia, vbi nec virtus sumitur nec populus. Est autem hæc similis reipublicæ Lacedæmoniorũ, vbi spectatur virtus & populus. Quatuor itaque species sunt optimatum: sed prima est optima omnium: quæ simpliciter est virtutis indagatrix. aliæ tres habent adiunctum, & mixtũ aliquid aliud præter virtutem, sed quia virtus est communis cunctis speciebus optimatum, ideo dicuntur & illæ quodammodo optimatum gubernationes. *Et tertia.* idest & tertia species, quæ secundo loco posita est superius.

Reliquum est, ut de ea quæ appellatur respublica dicamus, & de tyrannide: ordinauimus autem sic, cũ prius ordinatæ non essent, neq; hæc transgressio, neq; illæ (de quibus modo diximus) optimates: quia reuera omnes aberrant à rectissima gubernandi forma, postmodum cum ijs numerantur quæ sunt harum transgressiones, et labes, ut in superioribus circa principium diximus. meritò autem postremo loco tyrannidem reseruauimus, propterea quod ista minimè omnium est respublica. nostra uerò materia est de republica tractare. qua igitur de causa sic ordinauimus, dictum est.

Hoc est quartum capitulum huius libri, in quo philosophus posteaquam declarauit quatuor species optimatum, nunc declarat rem publicam communi nomine vocitatam, idest quæ retinet commune nomen generis. Diuiditur autem in duas partes, quæ suis locis declarabuntur: in primis igitur præmittit ordinem procedendi, & dicit, quod restat tractare de repub. & de tyrannide. nam positæ sunt à nobis tres species reipublicæ, quę dicuntur rectæ, & tres labes ipsarum. loquuti autem sumus de statu populari, & potentia paucorum & de ipsis optimatibus. Videtur autem confundi ordo procedendi, cum interponatur doctrina transgressionum, & misceatur

sceatur cum doctrina rectarum rerũ publicarum. Nam cum docuisset de regno, & quo quo modo de optimatibus, sequebatur in ordine doctrina de republica communi nomine vocitata. Verum quia cognitio paucorum gubernationis, & status popularis confert multum ad cognitionem reipublicæ communi nomine vocitatæ, ideo prius de illis tractauimus, postea tyrannidem in vltimum locum distulimus: quia non est respublica, dicit philosophus, & sic soluitur difficultas. *Re uera omnes.* Vel omnes illæ species optimatum excepta prima, vel omnes quæ non rectæ appellantur. Nam omnes, quæ deficiunt à prima optima, videtur esse quo quo modo transgressiones vel digressiones. Cum autem de optima loquimur, dicit philosophus in principio huius, idem est, ac de regia & optimatum republica loqui.

Nunc autem est à nobis de illa quæ communi nomine appellatur respublica, ostendendum: nam clarius eius uis apparebit post determinationem eorum: quæ ad paucorum gubernationem, & ad popularem spectabant: est enim respublica (ut simpliciter dicamus) mixtura paucorum gubernationis ac popularis,

Sequitur philosophus materiam propositam declarare, & ostendit, quid sit respublica cõi nomine generis vocitata. Dicit igitur, ꝙ respublica composita est ex paucorum potentia, & populari gubernatione & est mixtio quędam istarum duarum, vt manifeste patet in textu. Dubitatur quia labes alicuius videtur esse posterior eo, cuius est labes: nunc autem philosophus dicit, quod respublica componitur ex paucorum potentia, & statu populari: sed partes compositi sunt priores composito, ergo status popularis, cum sit pars reipublicę, erit prior, cum sit eius labes, erit posterior. Dicendum, quod res publica non proprie componitur ex illis, tanquam ex partibus suis constitutiuis, sed hoc potius esse videtur, quantum ad cognitionem nostram: quia non possumus bene percipere rem publicam, nisi cognoscamus prius illas partes, quę videntur constituere rempublicam, & ob hanc rationem philosophus prius declarauit illas, quæ viden-

videntur esse partes eius cōstitutiuæ,& tamen non propriæ sunt. Nam si essent,tunc respublica, quæ ponitur in numero rectarum, & dicitur recta, componeretur ex partibus non rectis,& ex ipsis transgressionibus,nisi vellemus eam esse participem extremorum,ac istam & omnes alias appellare labes,& trāsgressiones,respectu optimæ vel præter optimam, quam diximus esse regiam, & optimatum gubernationem: vel dicere possumus,quod ex vna illarum sumitur vna pars, ex alia, alia: quæ se compatiuntur, & non sumuntur illæ ambæ penitus, ac omnino totæ.

Consueuerunt autem eas quæ inclinant ad popularem, vocare respublicas: eas verò quæ ad paucorum gubernationem, vocare optimates,ex eo,quia opulentioribus doctrina,atque nobilitas,magis adesse consueuerunt,præterea qui diuitias habent, ea videntur habere,propter quæ cæteri iniurias faciunt: vnde,& honestos,& bonos,& nobiles, istos appellant. Cum ergo optimatum gubernatio, velit excellentiam tribuere optimis ciuibus, & paucorum gubernationem esse dicant ex bonis, & honestis magis, videtur impossibile ciuitatem non bene legibus institui, quæ ab optimis moderatur,& non ab improbis: eodemque modo quæ leges non habeat bonas, gubernari ab optimatibus. Habere autem leges bonas, non idest, si rectè sint positæ, nec eis. pareatur itaque vna recta legum institutio putanda est, legibus parere,altera, vt eæ rectæ sint leges positæ, quibus parere oportet (fieri enim potest, vt pareant ciues malè positis: legibus) id autem dupliciter accidit. aut enim optimis quantum contingit ipsis, aut simpliciter optimis.

Affert sententiam quorundam antiquorum, qui gubernationem vergentem ad popularē appellabant rem publicam: Eam vero, quæ vergebat ad paucorum potentiam,vocabant optimates. Mouebantur autem,quia diuites plerunq; solent esse eruditi, ex eo quod diuitias habent,vt instrumenta, ad consequendam eruditionem & etiam nobiles. Nobilitatem enim dicebant esse virtutem,& antiquas diuitias, vt ostendet inferius. Præterea diuites habent ea, quorum defectu cæteri homines sæpe mouentur ad inferendam iniuriam. Digladiantur enim

enim plerique, & iniuriam inferunt ob pecuniam consequendam, quam cum diuites habeant, cessant ab iniurijs. Vnde honesti & bene morati dicuntur, & gubernatio eorum existimatur & appellatur ab istis optimatum gubernatio. *doctrina*. idest educatio recta. *Nobiles istos*. idest insignes & claros. *Cum ergo optimatum gubernatio*. idest cum igitur optimatum gubernatio velit excellentiam tribuere optimis ciuium & paucorum gubernationem esse dicunt, ex bonis & honestis magis, idest dicunt paucorum gubernationem constitutam esse ex melioribus, & magis honestis, & ideo vocant optimates. *Videtur impossibile*. ostendit nunc philosophus, quod respublica vergens ad paucorum potentiam, non est optimatum gubernatio. Declarat enim quæ sit illa, & dicit, quod impossibile videtur ciuitatem, quæ optimorum habeat gubernationem, non habere bonas institutiones. Similiter impossibile est, optime gubernari, quæ non sit bene legibus instituta. Non est autem bona institutio legum, bene positas esse leges tantum, & non eis obedire. Itaque duæ videntur esse, & requiri bonæ institutiones legum: vna est, obtemperare legibus, & quia fit, vt etiam male positis legibus interdum obediatur, ideo alia requiritur, vt leges sint recte positæ. Contingit autem dupliciter legibus bene positis obedire, aut quia sint optimæ ex suppositione, idest quantum datur ciuitatibus ipsas recipientibus, aut quia sint optime simpliciter. Notandum, quod leges, vt dicit Sanctus Thomas, rationem sumunt ex fine. Nam si finis reipublicæ est simpliciter optimus, vt in regno, & optimatum gubernatione, leges illæ sunt simpliciter optimæ: Si autem finis est bonus secundum quid, & ex quadam suppositione, ita etiam leges tales dicentur, videlicet bonæ non simpliciter, sed in illa republica.

Videtur autem optimatum esse, maximè honores tribuere secundum virtutem: finis enim optimatum, virtus: paucorum verò gubernationis, diuitiæ: popularis autem, libertas. Quod autem pluribus videtur, commune est omnium: nam & in paucorum, & in

multitudinis gubernatione, & in optimorum, quod videtur maiori parti eorum qui in republica versantur, id obtinet.

Ostendit philosophus contra illorum antiquorũ sententiam, quod respublica ad paucorum potentiam vergens, non est optimatum gubernatio. Nam respublicæ habent diuersos terminos, quos respiciunt in distribuendis honoribus: optimates spectant virtutem: paucorum potentia respicit diuitias: popularis gubernatio libertatem: hi sunt diuersi termini, ergo & respublicæ illæ sunt diuersæ. Patet igitur ex dictis, quod respublica inclinans ad paucorum potentiam, non est optimatum gubernatio. *Quod autem pluribus videtur.* idest in quacunq; respublica id præualet, quod pluribus videtur participantibus illius gubernationis.

In plerisque igitur ciuitatibus, hæc species gubernandi respublica vocatur: sola enim mixtio coniecturam facit opulentorum, & inopum, diuitiarum, & libertatis. Ferè enim apud plurimos illi qui diuitijs pollent, bonorum & honestorum locum obtinere videntur. Cum verò tria sint, quæ circa æqualitatem reipublicæ contendant, libertas, diuitiæ, virtus (nam quartum illud quæ appellatur nobilitas, duobus consequens est: nobilitas enim est antiquæ diuitiæ & virtus) manifestum est, quia duorum mixtura diuitum, & pauperum, est respublica appellanda, trium verò, optimatum gubernatio maximè aliarum, præter illam verã & primam. Quod igitur aliæ sint respublicæ præter monarchiam, id est, vnius principatum, & popularem, & paucorum potentium, dictum est. & quales istæ, & in quo differant inter se, & optimatum gubernatio, & aliæ species quæ ad optimates declinant, & quomodo non longè distant inter se, manifestum.

Ostẽdit philosophus quod in multis ciuitatibus, vbi talis species gubernationis reperitur, illa vocari solet respublica. Ratio autem est, quia plurimæ ciuitates mixtæ sunt ex pauperibus, & diuitibus: nam mixtio designare videtur libertatem, atque diuitias. Libertas vero est terminus status popularis, diuitiæ paucorum potentiæ: mixtio complectitur vtrunque, sunt item tria, quę contentionem inducunt apud respublicas, libertas, diui-

diuitiæ; virtus. Quidam enim honores distribuendos esse dicunt secundum libertatem. nobilitas enim, quæ quarta est in ordine, consequitur diuitias, atque virtutem. Itaque nobilitatem ex virtute antiquisq; diuitijs resultare dicit. Nam ipsa nobilitas, virtus dicitur esse generis, idest quędam dispositio plerunque à maioribus sumpta ad consequendas virtutes, & antiquę diuitię, vel quia progenitoribus fuere, & ipsis sunt instrumenta ad operationes virtutum, vel quia diuites habent plerunque commoditatem ad bonam educationem suscipiendam, vt supra ab illis dicebatur. Mixtio igitur ex pauperibus, & diuitibus rempublicam designare videtur. Mixtio vero trium, scilicet virtutis, diuitiarum, & libertatis, constituit optimatum gubernationem, non illam optimam, quę solam habet virtutem: sed aliam speciem optimatum. Hæc cum ita sint, patet quod differt respublica communi nomine vocitata & optimates. Patet ét ex dictis, quòd sunt aliæ respublicæ, præter monarchiā, & popularem, & paucorum potentiam, & quomodo differant optimatum gubernationes inter se se, & ipsæ respublicæ à gubernatione optimatum. *In plerisq;*. idest in plurimis. *Et optimatum gubernatio*. idest & optimatum gubernationes, & respublicæ à gubernatione optimatum.

Quomodo autem fiat præter popularem & paucorum potentiā, illa quæ appellatur respublica, & quonam pacto constituenda sit, deinceps dicemus. & simul apparebit, quibus definiant popularem & paucorū gubernationem. sumenda est enim horū distinctio. postea ex his, ab vtraq; tanquam regulā sumentes componere oportet.

Hæc est secunda pars huius capituli, in quo philosophus posteaquam dixit rempublicam communi nomine vocitatam compositā esse ex populari, & paucorum potentia, & declarauit eam differre ab optimatum gubernatione, nunc docet modum talis compositionis, ostendendo etiam finem illius, & ea quę requiruntur ad hoc, vt sit respublica talis. Verum, vt eius ratio percipiatur, sumenda est distinctio paucorum potentiæ, & popularis, idest sumenda est vtraque distincta, & separata. *tan-*

quam regulam : idest tanquã symbolum ab vtraq; sumens *Comparare oportet*, idest componere oportet ipsam rem p.

Sunt autem modi tres compositionis ac mixturæ: aut .n. ambo sumenda, quorum utræq;, leges ponunt: ceu circa iudicia: in paucorũ .n. potentia diuitibus pœnam constituunt, nisi iudicando assint, pauperibus verò mercedem nullam. in popularibus autem, pauperibus mercedem, diuitibus autem pœnam nullam, commune ac medium istorum ambo hæc, quare & ciuile: mixtum est enim ex ambobus: vnus igitur modus hic est combinationis.

Affert triplicem modum compositionis secundum numerum rationum, vel terminorum, quibus componitur ipsa respublica. Sunt enim tres conditiones in ciuitate: prima in iudiciis: secunda in consultando: tertia in eligendo, & illarum duarum rerum publicarum, videlicet popularis, & paucorum potentiæ quælibet habet leges proprias circa hæc tria, & ex his tribus afferuntur tres modi reipublicę. Primum dicit philosophus paucorum potentia habet legem circa iudicia, constituentem pœnam diuitibus, si non uenerint ad iudicandum: pauperibus vero nullam mercedem tribuunt, si ipsi venerint. Hæc lex constituta est in fauorem diuitum, quia compelluntur venire ad exercenda iudicia, & magistratum, pauperes vero non incitantur ad ueniendum vllo præmio, & cum victum sibi comparare debeant, causam habent omittendi magistratus, & sic posthabentur. Contra autem fit in populari statu: Lex enim est egenis mercedem, opulentis pœnam nullam constituens, ex quo pauperes veniendi, diuites non veniendi causam habent: & sic fauet pauperibus. Quod autem est commune istis duabus legibus, est medium, in quo consistit ratio huius reipublicę, de qua loquimur. Si enim sumantur diuites reportare damnum ex paucorum potentia, & pauperes reportare mercedem ex populari gubernatione, orietur illud medium ciuile ex vtrisq; mixtum. Sumitur namque ab vtraque regula, idest symbolum, & oritur primus modus compositionis, seu combinationis talis reipublicæ. Notandum, quod symbolum, dicit hic philo-

philoſophus,ſicut dicitur qualitas in elementis,illa videlicet ſymbola vnius elementi, quæ ſtare poteſt cum alia alterius elementi, & vbicunque ſunt tales qualitates ſe inuicem compatientes, facile fit tranſitio ab vno elemento in aliud.Si igitur iſtæ duæ conditiones ſumantur, videlicet diuites reportare damnum, ſi non accedant,pauperes reportare mercedem,ſi accedant,ſe compatiuntur: quia ambo trahuntur iſtis conditionibus ad iudicandum, & ſic ex vna conditione à paucorum potentia,ex alia à populari gubernatione accepta oritur aliquod tertium, quod eſt medium vtriuſque, & in aliqua parte huius,in aliqua illius particeps.

Alius autem, medium capere eorum quæ ab vtriſq; iubentur, ceu concionarij,hi quidem à nullo cenſu vel exiguo penitus,illi verò à magno cenſu.cõmune certè neutrũ,ſed mediũ vtriuſq; cenſus.

Secundus modus cõpoſitionis eſt,in quo ſumitur medium ex parte cenſus,nã paucorũ potentia habet legem iubentem, vt accedant ad concionem, videlicet ad conſultandum,& deliberandum à magno cenſu, ideſt diuites,& non alij: popularis verò aliam habet legem, quæ dicit, ad conſultandum accedant etiam à minimo cenſu,ideſt etiam pauperes.Iſtæ leges non ſe inuicem compatiuntur,cum altera diuites tantum ad concionem vocet,altera etiam egentes alliciat. Quare ſi ex his volumus componere aliquid, accipiendum eſt medium ex parte cenſus: nam ſi prima lex ſumit magnum cenſum, ſecunda nullũ, vel exiguum, ſumatur aliqua via media ſeruata proportione ita,vt neque diuites,neq; pauperes excludantur,& ſic orietur compoſitio quędã ex diuerſis reſultans,& ſecundus modus compoſitionis reipublicæ.

Tertius verò ex vtrarumque inſtitutis: hæc quidem ex populari lege, illa verò ex paucorum gubernatione. dico autem tale, ut uidetur populare quidem, magiſtratus ſortiri: paucorum autem gubernationis, eligere: & populare, non ex cenſu tribuere: paucorum autem ex cenſu. optimatum igitur ac ciuile ab utraque utrunque accipere: ex paucorum quidem gubernatione electiuos facere magiſtratus: ex populari autem ſumere non

per censum . modus igitur admiscendi talis .

Tertius modus compositionis oritur ex parte magistratuum creandorum . Est enim institutio in populari gubernatione vt magistratus sorte accipiantur, & à nullo censu.Hoc totum est populare,quia ibi est magna æqualitas ob sorté nulla selectione seruata , & pauperes non excluduntur , cum à nullo censu etiam sumantur . Alia institutio est paucorum potentiæ, quæ ipsam conseruat , quod magistratus electione creentur, & à censu aliquo. Hæc videtur deprimere pauperes & quia ponitur mensura census, ideo est paucorum potentiæ . Nam si illa particula non esset , tunc talis lex videretur esse optimatum potius,quam paucorum potentię.Est.n.optimatum,vt dicit philosophus, electiuos facere magistratus,& non respicere censum,sed virtutem. Quare cũ leges supra allatæ sibi aduersentur , & non possint facere compositioné symbolicã , quia altera dicit per sorté, & à nullo censu:altera per electionem & ab aliquo censu, ideo medium sumédũ est , ex aliqua parte vtriusq; legis transuersaliter per diametrũ.i.à lege populari sumatur illa particula à nullo censu,& à paucorum potentia sumatur illa,per electionem : & sic orietur tertius modus compositionis reipublicæ communi nomine vocitatæ.

Bene autem admiscuisse, popularem & paucorum gubernationem, finis est, quando eadem respublica dici potest popularis , & paucorum gubernatio . manifestum enim hoc accidere dicentibus eas bene esse commixtas : accidit hoc etiam medio: nam apparet in eo vtrunque extremorum , quod contingit Lacedæmoniorum reipublicæ . sunt enim permulti,qui aggrediuntur dicere eam esse popularem , propterea quod populariter complura in illa sunt constituta: ceu primum circa educationem puerorum : pari enim modo diuitum filij educantur , & pauperum , & eodem erudiuntur modo,quomodo valeant pauperũ filij erudiri,similiterq; in sequenti ætate : & cum viri facti sunt eodem modo . in nullo enim magis conspicuus diues,quàm pauper . cibi quoq; ijdem vtrisque in commessationibus : vestitu etiam tali diuites vtuntur,qualem & pauperum quiuis habere potest. Præterea, duorum maximorum magistra-

stratuum, alterum eligit populus, alterum gerit. senatores enim eligit, ephoriam autem gerit. Alij vero dicunt esse illam paucorũ gubernationem: quoniam multa habeat, quæ paucorum potentiam afferant: ceu omnes dignitates per electionem conferri, per sortem verò nullam. & insuper apud paucos potestatẽ esse necandi, & in exilium pellendi, ac cætera huiusmodi permulta. Oportet enim in repub. bene temperata vtrunque videri inesse, & neutrum, & conseruari per seipsam, non aliunde: & per ipsam, non per alios multos extraneos, qui velint. nam & prauæ reipublicæ hoc potest contingere: sed nec velle quidem gubernationem alteram quo quo modo partium ciuitatis omnino. Quemadmodum igitur oporteat rempublicam constituere, & similiter illas, quæ appellantur optimates, dictum nunc est.

Postquam philosophus attulit triplicem modũ compositionis, unum ex compositione lateris: alterum ex medio extremorum, tertium ex compositione transuersali per diametrum: nunc declarat terminum compositionis reipublicæ bene compositæ. Habet enim gradus & magis & minus. Signum autem est, quod talis respublica sit bene composita, cum nunc videtur popularis, nunc paucorum potentia, & causa huius est bonitas compositionis, quia medium comparatum ad utrunque extremorum apparet esse vtrunq; .i. nunc vnum, nunc alterum, & tamen neutrum est illorum. Quare mixtio illa videtur esse temperata æquis ponderibus ita, vt nunc popularis, nunc paucorum potentia existimetur, quod est signum bonæ mixtionis, & affert exemplum Lacedęmoniorum, quorum respublica nunc popularis, nunc potentia paucorum esse videbatur, vt patet in textu. *Patet autem hoc*, idest patet hoc accidere ita dicentibus, quia bene mixta est. *Accidit hoc etiam medio.* scilicet quia utrunque extremum apparet esse quo quo modo in ipso medio. In mixto enim licet non secundum actum, tamen quo quo modo manent miscibilia, dicit Sãctus Thomas. Oportet enim, ut ostendit philosophus, duo curanda esse in tali republica, iam constituta, & temperata: unũ, ut in ipsa uideatur esse utrunque, idest popularis guber-

natio & paucorum potentia,& tamen neutrum ſit. Hoc .n. competit illi,quod bene compoſitũ eſt,ut partes habere uideatur, ex quibus componitur,& tamen ſit quoddam tertium ſpecie differens ab utraque illarum,ut patet in fuſco colore, qui componunt ex albo & nigro, & uno modo poteſt dici album & nigrum,alio modo neutrum, cum fuſcus color ſit ſpecie diuerſus ab albo & nigro: ita debet eſſe reſpublica compoſita ex illis duabus, & tamen ſit tertia quædam ſpecies; Secunda curare oportet, ut ipſa per ſe ipſam ſeruetur, & non per externum auxilium, ſicut contingit prauæ reipublicæ, ut tyrannidi: Sed reſpublica tunc per ſe ipſam ſeruabitur, cum ita erit temperata, ut nulla pars eius aliam gubernationẽ expetat magis,quam illam,quam habet. *Et conſeruari per ſe ipſam*. ideſt per ſe ipſam & non ab extra, & per ſe ipſam & nõ per alios,ne plures ſint extranei quod tyrannidi,& cuicunq; prauæ reipublicæ contingere poteſt, qui ipſa velint, ſcilicet eſſe ſaluam, quam ſui proprij. *Sed nec uelle.* Sed hoc quod nulla pars ciuitatis uelit aliam gubernationem ſubire, quam illam talis reipublicæ. Notandum,quod dicere poſſumus,rempublicam componi non ex populari, & paucorum potentia, quæ duæ partes ſe inuicem compatiuntur.

Reſtat nunc ut de tyrannide dicamus: non quod multis verbis indigeat, ſed vt habeat in hoc tractatu locum ſuum, quandoquidẽ hanc quoq; poſuimus partem eſſe aliquã publicæ gubernationis.

Hoc eſt quintum capitulum huius tractatus, in quo philoſophus declaratis cunctis ſpeciebus reipublicę,tractat de tyrannide,de qua ſolum reſtabat dicere. Diuiditur autem in tres partes, quæ ſuis locis declarabuntur. In prima igitur præmittendo ſuam intentionem dicit philoſophus, quod de tyrannide dicendum eſt paucis. Notandũ, quod ſicut ſit in medicina,ita in facultate ciuili: ſed medicina conſeruat ſanitatem corporis,uel ipſum ad ſanitatẽ redigit,ita facultas ciuilis conſeruat bonã gubernationẽ,rei p.aut eam redigit.Medicina præterea conſiderat non ſolũ ſanitatẽ,ſed ẽt ęgritudinẽ,vt eã exclu-

excludat, vel caueat ab illa: eodem pacto ciuilis facultas considerare debet rectas respublicas principalissime: deinde etiam non rectas: vnde & tyrannidem, vt explodere eā possit, quia non est proprie respublica, nisi æquiuoce, & nomine tantum.

De regno igitur determinauimus in superioribus libris, vbi tractatum est à nobis de eo quod maximè regnum dicitur, nunquid regis gubernatio vtilis foret ciuitatibus, an inutilis. & quam oportet constituere, & vnde constituere oportet, & quomodo. Tyrannidis verò species duas ibidem distinximus, propterea quod earum potentia quodammodo alteratur ad regiam gubernationem, ex eo quia ambæ potestates istæ sunt secundum leges. nam & apud barbarorum quosdam eliguntur aliqui ad gubernandum soli, cum absoluta omnimodaque potestate. Et olim apud vetustos Græcos eodem modo quidam eligebantur, qui soli gubernarent, quos vocabant Aesymnetas. Habent vero hæ inter se differentias quasdam: erant enim regiæ, ex eo, quia secundum leges, & ex eo, quia volentibus imperabant; tyrannicæ autem, ex eo quia pro suo arbitrio dominationem exercebant.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus repetit breuiter quædam supra allata ad hoc propositum pertinentia. nam cum loquuti sumus de regno proprie dicto, quæsitum est à nobis, vtrum sit vtilis ciuitatibus, & gentibus gubernatio talis, & quæ, & quomodo, & vnde sumi debeat. Attulimus etiam ibi duas species tyrannidis, quarū vna apud barbaros, alia apud Græcos seruabatur: prima erat per totam vitam, & per successionem: secunda neq; per successionem erat, neq; per totam vitam: sed habebat prefinitum tempus. Vergebat tamen quo quo modo ad regiam potestatem, quia ambæ secundum leges volentibus subditis imperabant: ex altera parte tyrannicæ erant, quia dominicum & non paternum erat imperium: & ad propriam vtilitatē, & non subditorum gubernabant. *Vbi tractatum est à nobis*, idest, vbi de regno, quod maxime dicitur tale, cōsideratum est à nobis, & perquisitum, vtrum sit vtile, an inutile: *alteratur*, idest vergit ad regiam gubernationē. *Tyrannicæ*, quia

vt heri non paternam, sed dominicam exercebant dominationem.

Tertia autem species tyrannidis quæ maximè propriè videtur id nomen habere, opposita est regiæ potestati absolutè. hanc necesse est tyrannidem, vnius principatum esse, qui nullis subiaceat legibus, & dominetur æqualium & meliorum omnium, ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem subditorum, quapropter inuoluntaria est, nullus enim liber, sponte sufferat huiusmodi seruitutem. Species igitur tyrannidis, propter dictas causas, tot, atq; tales sunt.

Hęc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus affert tertiam speciem tyrannidis, & ostendit, quòd hæc est proprie tyrãnis, & omnino opponitur regno proprie dicto, quia vt regia gubernatio proprie dicta est optima gubernationum, sic tyrannis proprie dicta est pessima. nam est sine ratione reddenda suæ administrationis, & inuitis subditis dominatur, & refert gubernationem ad propriam vtilitatem, & non ad vtilitatem eorũ, qui gubernantur. vnde inuoluntaria est respectu subditorum, quod patet, quia inuiti ferunt seruitutem ij, qui sunt natura liberi. *Hanc necesse est esse*, idest hunc principatum vnius necesse est esse tyrannidem, qua quis sine vlla ratione reddenda suæ administrationis parium ac meliorum dominatur suæ, & non subditorum vtilitati consulens. Ex his colligere possumus diffinitionem seu descriptionem tyrannidis hoc pacto: tyrannis est principatus vnius, qui sine ratione suæ administrationis reddenda parium ac meliorum herili imperio dominatur, propriã & non subditorum vtilitatẽ quærens. Cõuenit cum rege in eo, qđ est principatus vnius: in alijs vero differt.

Quæ verò sit optima respublica, & quæ vita optima plurimis ciuitatibus & plurimis hominibus, neque per virtutem iudicãt quæ supra vulgus emergat, neque per doctrinam quæ ingenio indiget et adiumentis externis, neq; per gubernationem quæ ad votum fiat: sed vitam eam probant quàm plurimi consequi possint, & gubernationem eam quam plurimæ ciuitates valeant recipere: nam quas vocant optimates, de quibus modo diximus, partim exterius cadũt plurimis ciuitatibus, partim appropinquant illi quæ respublica vocatur

catur, quam ob rem de ambabus tanquam vna sit, dicendum est: iudicium autem de omnibus istis ex eisdem principiis est.

Hic est tertius tractatus huius libri, in quo philosophus posteaquam declarauit omnes species rerum publicarum non modo subalternas, sed etiam specialissimas, nunc declarare videtur rempublicam, quæ dicitur optima non simpliciter, sed ea ratione, qua pluribus ciuitatibus competere potest. Diuiditur autem in duo capitula: in primo affert optimam rêpublicam secũdum quod possibilis sit participari à pluribus: in secũdo docet, quæ respublica quibus ciuitatibus conueniat.

Primum capitulum diuiditur in duas partes, quæ patebũt. In primis dicit philosophus quærẽdo quæ sit optima respublica, non comparando eam ad exactam virtutem, & summam disciplinam, & ad vitam perfectam secundum virtutem, sed ad eam quæ potest plurimis ciuitatibus competere: dicit inquam, quod de tali est deinceps inuestigandum. Attulimus enim optimam rempublicam simpliciter, quæ non competit multis, & omnes rectas: attulimus etiam labes rerum publicarum, quæ fugiendæ sunt: quare congruum est, vt afferamus vnam rem publicam, quę possit communiter competere pluribus, & à pluribus possideri. *Quæ uero sit optima,* idest, quęnam vero sit optima respublica, & quæ vita optima pluribus ciuitatibus & hominibus, non comparando ipsam ad virtutem exactam, & quæ supra vulgus emergat, neq; ad disciplinam, idest ad bonam & rectam educationem, quæ ingenio, idest natura indiget. & forsitan hic sub intelligit aptitudinem illam naturalem, qua dirigũtur homines ad virtutes consequendas, vt in sexto Ethicorum ostendit, neque comparando eam ad rempublicam quæ ad votum fiat, (optimam enim omnes desiderant,) sed comparando eam ad vitam, quam plurimi consequi possunt, & ad eam gubernationẽ, quàm plures ciuitates attingere posse videntur. *Partim exterius,* idest partim excedunt vires & facultates plurium ciuitatum, partim appropinquant illi, quæ vocatur respublica. *Quamobrem de amba-*

ambabus. Hucusq; suspenditur oratio, idest de ambabus loquamur, ac si de vna dicendum esset, quæ quidem sit alia prҿter illas optima non simpliciter, sed optima pluribus, & communiter optima. *Ex eisdem principijs.* i. ex eisdem elementis. Nam qualia erunt elementa, & principia, ex quibus componuntur, talia erunt composita: si enim partes reipublicæ erunt optimæ, & respublica erit optima; sin prauæ, & respublica erit praua. quare secundum quod sunt elementa & partes compositi; tale est illud compositum.

Si enim probè dictum fuit in ethicis, vitam beatam esse secundum virtutem non impeditam, virtutem autem ipsam esse mediocritatem, necesse est mediam esse vitam optimam eius, quam singuli adipisci valeant, mediocritatis: & easdem definitiones necesse est esse circa ciuitatis virtutem, & vitium, & rempublicam: est enim respub. vita quædam ciuitatis.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus affert illam rempublicam paulo ante propositam, & sumit tanquam principium vnum fundamentum probatum in ethicis. nam si recte dictum fuit in libro moralium, vitam beatam esse secundum virtutem non impeditam, virtutem vero esse mediocritatem, procul dubio viuendi rationem huius reipublicæ, de qua nunc loquimur, oportet esse in medio constitutam; accipiendo medium non solum secundum exactam virtutem, sed etiam secundum virtutem largo modo sumptã, quæ possit competere pluribus. quare illa sententia accommodabitur huic nostro proposito, & huic viuendi rationi, quæ si non sit simpliciter optima, tamen sit optima pluribus, vel communiter optima, vt intelligamus mediocritatem non solum secundum exactas virtutes, sed etiã secundum virtutes largo modo sumptas esse laudandã. Cum igitur vita beata sit secundum mediocritatem, & respublica sit vita quædam ciuitatis. (Est enim institutio eius & ordo, quo cessante cessare videtur ciuitas) merito ad hoc, vt sit optima, etiam si largo modo, & communiter optima accipiatur, consistet in quadam mediocritate,

critate, vnde officia & officiorum actus oriuntur. *Has diffinitiones*. i. hos terminos, & quasi cancellos. vnde si respublica erit bona, & ciuitas erit bona; sin mala, & ciuitas erit mala. Est. n. resp. vita quædam ciuitatis, vt diximus. Notandum quod felicitas, secundum philosophum, consistit in operatione secundum virtutem; virtus autem in mediocritate, & hæc sententia largo modo sumpta accommodatur non solum felicitati, sed etiam alijs operationibus laudabilibus secũdum cõmunem viuendi modum. Possunt enim produci operationes studiosæ, & tamen non erunt secundum habitum virtutis. vnde philosophus dicit in libro Ethicorum non sequitur, egit iuste, ergo est iustus, idest habens iustitiæ habitum. Non ergo cunctæ operationes studiosæ producuntur secundum virtutem perfectam, tamen redigendæ sunt ad mediocritatem, & sic dicentur aliæ fortes, aliæ iustæ, ac sumendo virtutes largo modo separari possunt, vt dicit Cicero in libro officiorum. Verum si de ipsis loquamur exacte, dicemus de mente philosophi, quod vbi erit vna perfecta virtus, reliquæ consequentur. Vt igitur ad propositũ redeamus, mediocritatem dicimus esse laudandam, vel stricte, vel largo modo sumptam, & per consequens vitã in mediocritate consistentem. Cum vero respublica sit quędam vita ciuitatis, & ratio quædam viuendi, dicemus, quod in ciuitate, vel republica optima seruabitur quidã modus, & quędam ratio mediocritatis.

In cunctis autem ciuitatibus partes sunt tres, nam alij diuitijs excellunt admodum, alij paupertate nimia deprimuntur, alij sunt inter hos medij. cum igitur confessi simus mediocritatem, & medium esse optimum, palam quod bonorum fortunæ mediocris possessio, est optima omnium existimãda: hæc enim facillima est, ad obediendum rationi. at vero si modum excedunt in alterutram partem (ceu si fortuna, si viribus, si nobilitate generis, si diuitijs, uel his contrarijs, ceu si paupertate nimia, si ingenii imbecillitate, si ignominia multa) difficile est ut rationi obediant: fiunt enim istorũ alij quidem contumeliosi, & delinquentes magis, in rebus magnis, alij occulte praui, et in rebus exiguis fraudatores. Iniuriæ uero inferuntur

runtur quandoq; per contumeliam, quandoque per dolum, insuper hi minimè circa gubernationem reipub. afficiuntur, minimeq; consulunt: hæc autem utraq; damnosa sunt ciuitatibus.

Ostendit philosophus, quę sit illa ciuitas, & per consequens illa respublica optima pluribus, quam omnes homines communiter consequi volunt, & probat quod est illa, quæ constat ex medijs hominibus, idest ex illis, qui nec excedunt in bonis externis, nec deficiunt, & probat hanc conclusionem pluribus rationibus. Prima est hæc, illa ciuitas, quæ habet suos ciues facile obedientes rationi, est communiter optima, sed constans ex medijs. i. ex abundantibus inter parum & nimium externis bonis, est huiusmodi: ergo ciuitas constans ex medijs est communiter optima. maior est manifesta: nam quales sunt partes totius, tale est illud totum, quod ex illis componitur, partes autem ciuitatis sunt ciues. ideo dixit antea, quod iudicium de omnibus ex eisdem principijs est, idest ex eisdem elementis, & partibus compositi. minor declaratur à philosopho: in cunctis enim ciuitatibus tres ciuium partes reperiũtur, idest alij diuites, alij pauperes, alij medij. at nimium inquit opulenti, & omnino abundantes externis bonis, plerunque sunt difficiles ad obediendum rationi; nimium vero inopes, & bonis externis valde indigentes, ducuntur sæpe penuria rerum ad delinquendum: medij autem facile obtemperant rationi: ergo ciuitas cõstans ex illis, est communiter optima. *Mandatorum*, idest rationes. *Delinquentes aperte*, idest magis delinquentes. *Per contumeliam*, idest per quandam arrogantiam. *Per dolum*, prauitate. *Insuper hi minime*. secunda ratio talis est. Illa ciuitas, quę habet ciues, qui bene afficiuntut circa gubernationem rei publicæ, est communiter optima: sed constans ex medijs est huiusmodi, ergo ciuitas constans ex medijs est communiter optima.

Præterea qui bonis fortunæ superabundant, ceu opibus, diuitijs, amicis, & alijs huiusmodi, nec imperium cuiusquam pati uolunt, neq; sciunt: & hoc statim domi, eorum natis existit, propter delicias enim ne in scholis quidem præceptoribus obedire consueuerunt,

uerunt, qui autem horum sunt in indigentia nimia constituti, deiecto nimium animo, uilesq; existunt: ex quo fit, ut hi magistratum gerere nesciant, sed ad parendum seruiliter sint apti: illi uerò imperari sibi nullo modo patiantur, sed ipsi alijs tanquam domini, uolunt imperare: efficitur ergo seruorum & dominorum ciuitas, non liberorum: & aliorum inuidentium, aliorum spernentium, quod plurimum abest ab amicitia, & ciuili societate: nam societas amicabile quiddam est, cum inimicis enim, ne in uia quidem communicare homines uolunt. Vult quidem ciuitas ex paribus, ac similibus esse, quantum fieri potest maximè: hoc autem maxime existit medijs, quare necessario fit, ut huiusmodi ciuitas optimè gubernetur, ex quibus dicimus natura constare ciuitatē. Conseruantur quoque in ciuitatibus isti maximè cæterorum ciuium: neq; enim aliena concupiscunt: ut faciunt pauperes, neq; eorum bona cupiuntur ab alijs, ut diuitum à pauperibus: & quia neq; insidiantur alijs, neq; alij ipsis, sine periculo degunt: quapropter bene optauit Phocylides, mediocribus optima multa: mediocris esse uolens in ciuitate.

Tertia ratio est hæc: illa ciuitas, in qua ciues erga magistratus bene se habere volunt, & sciunt, est communiter optima, sed constans ex medijs est huiusmodi, ergo constans ex medijs est communiter optima, patet ratio. nam in tertio huius dictum fuit, quod preclari ciuis officium atq; virtus est, vt possit & sciat bene imperare atque parere: & medij ad vtrunque accommodati esse videntur: excedentes autem externis bonis, dicit philosophus, cum sint à primis incunabulis in delitijs educati, & à magistrorum præceptis alieni, nolunt postea obtemperare alijs, nec admodum sciunt. Nimium vero egentes ad gerēdos magistratus sunt plerunq; inepti, & cum proprijs molestijs opprimantur, publicam curam non egregie sustinent. medij igitur ab his externis discedentes sunt illi, ex quibus constans ciuitas bene se habet, & vt communiter optima. *Ne in scholis quidem præceptoribus*, idest ne à præceptoribus quidem sibi imperari volunt. *Vult quidem ciuitas*. quarta est ratio hoc pacto: illa ciuitas, quæ fit ex æqualibus, est cōmuniter optima: sed quæ constat ex medijs est huiusmodi, ergo ciuitas cōstans ex

mediis,

medijs, est communiter optima. *Conseruantur quoq;*. Quinta ratio talis est; illa ciuitas, quæ fit ex ciuibus, qui maxime conseruantur & sine periculo viuūt, est communiter optima, sed constans ex medijs est huiusmodi, ergo &c. Patet ratio, quia medij neq; aliena appetūt, cum mediocria & sibi sufficientia possideant, neque sua appetuntur, cum non superabundent opulentia rerum. Probat hoc etiam auctoritate Phocylidis, qui fuit antiquissimus poeta, & scripsit heroicum carmen. *Mediocris esse uolens*, idest mediocris esse volo, & hoc dicit philosophus esse exoptandum. *recipere*, idest contingere.

Patet igitur quod ciuilis societas optima est, quæ per mediocres fit, easq; ciuitates recipere, ut bene gubernentur, in quibus mediocres plurimi sunt; ac plus possint maximè quidem ambabus, quod si non, at saltèm altera parte: hæc enim addita momentum facit, & prohibet contrarios excessus fieri. Quapropter ualdè optādum est, ut ij qui in republica uersantur, facultates habeant mediocres, & sufficientes: nam ubi alij nimis multa possident, alij nihil, uel plebs infima insurgit, uel paucorum potentia illa extrema, uel tyrannus propter utrunq; excessum: ex populari enim statu nimium puerili, & ex paucorum potentia, ad tyrannidem deuenitur: ex mediocribus autem ac prope paribus, multo minus: cuius rei causa postea, ubi de mutationibus tractabitur, dicemus.

Colligitur ergo per ea, quę dicta sunt, quod ciuitates in quibus plurimi sunt medij, optime se habent. atque hoc etiam patet ex eo quod medij cum plus possunt diuitibus, & pauperibus, vel altera parte ipsorum facile prohibent transgressiones fieri, & labes rerum publicarum. nam vbi multum excedentes, vel multum deficientes, idest aut nimium diuites, aut nimium pauperes in ciuitatibus reperiuntur, ibi facilè transgressio fit nunc in popularem statum, nunc in paucorum potentiam, vel tyrannidem; in illis enim extremis constituti minime quiescunt, vt patet in textu. *Superbo*, idest robusto, vel præpotenti.

Quod autem media sit optima, manifestum est: sola enim seditionibus caret: vbi enim permultum est mediocre, nimium seditiones

nes & discordiæ ciuium innascuntur: magnæque ciuitates ob hanc ipsam causam minus seditionibus subiacent: quia in his multa est mediocrium hominum multitudo: paruas autem ciuitates facile est in duas partes diuidi omnes, ita vt nihil medium relinquatur, et ferè cuncti uel inopes sint, vel opulenti.

Declaratum est antea pluribus rationibus, eam ciuitatem esse optimam, quæ ex ciuibus medijs, seu mediocribus constat, atq; ex ijs etiam patuit, vbi ciues, mediocres numero, & viribus præstant alijs, ibi esse optimam gubernationem, & per consequens optimam rempublicam: optimam inquam pluribus, & communiter optimam: nunc eandem sententiam cõfirmat quibusdam signis: affert autem in primis talem rationem: illa respublica, quæ minime seditionibus agitatur, est communiter optima, sed media, & quæ constat ex medijs est huiusmodi, ergo &c. maior est nota: nam societas ciuilis est quiddam amicabile, vt superius ostendit philosophus. Ea igitur gubernatio, quæ ipsam continet, ne seditionibus dissoluatur, & pereat, optima videri debet. minorem declarat philosophus, primum hoc signo, quod videmus magnas ciuitates magis se tueri à seditionibus, quàm paruas: eo quod habent maiorem copiam mediocrium hominum, qui coniuncti cum altera partium videlicet aut cum diuitibus, aut cum pauperibus, vt dixit superius, facile continent aliam, si vellet motum facere in republica: paruę vero ciuitates sæpius agitantur, quia ibi pauci mediocres reperiuntur: ergo quæ constat ex medijs ob copiam mediorum minime seditionibus perturbatur.

Populares quoq; gubernationes tutiores sunt, & diuturniores, quàm paucorum potentiæ, propter medios. Plures.n. sunt, et magis honoris participant in populari gubernatione, quàm in paucorum, nam quando sine his multitudo inops plus potest, malè res se habet, ac cito pereunt. Signum vero huius putandum est, quod qui optimè leges condiderunt, ex mediocribus ciuibus fuere: nam et Solon huiusmodi fuit, vt apparet ex eius carminibus, & Lycurgus: (non.n. erat rex) & Charondas, & ferè plurimi aliorum.

T Alio

Alio ſigno confirmat eandem minorē, videlicet quia popularis gubernatio ſtabilior eſt, quàm paucorum potentia. Hoc autem fit, dicit philoſophus, quia in populari gubernatione plures reperiuntur mediocres, & magis honorum participes, quàm in paucorum potentia, & ideo talis reſpublica tutior, & firmior eſt, quàm illa: ergo multo magis media vbi prævalet copia mediorum. *Signum verò huius*. Probat eandem ſententiam de media republica tali ſigno, quia optimi legumlatores apud Græcos fuerũt ex mediocribus, vt Solon, Lycurgus, atq; Charondas, ideo bene reſpublicas temperauerunt inſtitutis & legibus, amantes mediocritatem: quod nihil aliud erat, quàm ſeditiones expellere, & quieti conſulere ciuitatum.

Patet autem ex his, & propter quid plurimæ reſpublicæ, aut populares ſunt, aut paucorum gubernationes: propter id enim quod frequenter in his pauci ſunt medij, ſemper qui prævalent (ſiue hi ſint qui facultates habent, ſiue plebs, quia medium tranſcendunt) per ſeipſos gubernationem agunt: itaq; aut multitudo populi ſurgit, aut paucorum potentia. Præterea, ex eo quia ſeditiones fiunt, & pugnæ inter multitudinem & opulentos, quibuſcunque vincere contingit, hi neque communem amplius habẽt rempublicam, neque æqualem, ſed quaſi victoriæ præmium reportant, rempublicam obtinere: & alteri popularem ſtatum, alteri paucorum potentiam faciunt.

Probat eandem ſententiam de media republica alio ſigno. nam videmus vt plurimum in ciuitatibus reperiri, aut populares, aut paucorum gubernationes, quia mediocres, vt plurimum ſunt pauci, dicit philoſophus. Hoc eſt ſignum, quod vbi abundant & prævalent medij, ibi eſt optima reſpublica, & quod reſpublica conſtans ex ijs eſt communiter optima. verum hæc raro emergit, illæ autem frequentius: cauſa eſt, vt diximus, paucitas mediorum. Præterea ſeditiones, quæ oriuntur inter diuites & pauperes, ſunt etiam cauſa, vt tam frequenter, aut paucorum gubernationes, aut populares exiſtant, quia ea pars, quæ ſuperat aliàm, non æqualita-

tem constituit in re publica, sed eam speciem gubernationis, quàm appetit, vt si pauperes superant, statum popularem: sin autem diuites, paucorum potentiam constituunt.

Praterea qui principatum Gracia habuerunt, hi ad propriam respicientes rempublicam, aut popularem statum in ciuitatibus constituerunt, aut paucorum gubernationem, non ad ciuitatum illarum commoda respicientes, sed ad sua: quare per istas causas effectum est, vt vel nunquam mediorum illa gubernatio extiterit, vel admodum raro, & apud paucos: vnus enim vir consensit solus ex ijs qui antiquitus in principatu fuere, hunc gubernandi modum constituere: iamq; in ciuitatibus consuetudo obtinuit, non velle aequale, sed aut imperare quaerere, aut victos obedire. Quae igitur optima sit respublica, & quam ob causam, ex his patet.

Affert aliam causam ad idem declarandum, nam duae fuerunt ciuitates, praecipue contendentes de principatu Graeciae, Athenae, & Sparta, quanquam de Thebanis idem dici posset, vt ex commentarijs rerum Graecarum manifeste apparet, sed nunc de istis loquamur. Athenienses igitur obtinuerunt victis Lacedaemonijs. deinde Lacedaemonij versa vice illis superatis obtinuerũt Graeciae principatum. Gubernatio Atheniensiũ vergebat magis ad popularem, quàm ad paucorum potentiam: Lacedaemoniorum contra, ad paucorum potentiam magis, q̃ ad popularem. Ex quo harum rerum publicarũ, quę erat victrix & domina rerũ, vertebat omnes respublicas Graeciae sibi subiectas in eam gubernandi formam, quàm ipsa habebat, & sic plurimae respub. aut populares, aut paucorum gubernationes emergebant. Talis autem ex medijs constituta rarissime orta est, ob causam assignatam. Fuit tamen quidam in principatu, qui persuasus cõstituit huiusmodi speciem reipublicę: Deinde dicit philosophus, quasi conquerendo, quod in ciuitatibus consuetudo obtinuit, vt malint, scilicet ambitiosi homines, aut dominari, aut victos sibi subiectos facere, quàm aequalitatem quaerere. & sic patet ex dictis signis, ex his quae superius attulit philosophus, vt ciuilis, & de vita ciuili, q̃ optima

ma republica constat ex mediocribus,optima inquã non simpliciter, sed quæ communiter haberi potest optima à pluribus ciuitatibus,& hominibus : vt si illã optimam simpliciter secundum exactam virtutem sibi proponãt, & consequi non possint, saltem hanc consequantur, quæ sit communiter optima. Prima.n.sequente r, vt orator inquit,honestum est in secundis,tertijs'ue consistere.

De alijs autem rebuspublicis, cum plures populares, & plures paucorum gubernationes esse dixerimus,quæ prima ponenda sit,et quæ secunda, & quæ hoc pacto deinceps potior sit,aut deterior, determinata optima,non erit difficile intueri : necesse est enim esse meliorem, quæ proximè huic accedit,deteriorem uerò quæ plurimũ distat à medio, nisi ad suppositionem quis indicet. Dico autem ad suppositionem,quia sæpenumero alia rei p. forma eligibiliore existente,nihil vetat,aliam quibusdam magis utilem esse.

Hęc est tertia pars huius capituli,in qua philosophus cõparare videtur alias respublicas cum hac , quàm ipse attulit,dicendo,quod aliæ habebunt gradum bonitatis, aut prauitatis , prout magis vel minus huic appropinquabunt,alię inquam ex popularibus vel paucorum gubernationibus.Collocabimus.n.istam in medio,& sumemus populares,vel paucorum gubernationes, & quæ minus distabit ab hac republica,erit minus improba. nam cum quatuor sint species popularis gubernationis, prima erit minus mala,quàm secunda, & quàm tertia , vel quarta. Eodem modo de paucorum gubernatione dicere possumus,qđ erit melior, quæ erit huic propinquior nisi sit alia melior ex quadã suppositione.i.ratione quorundam hominũ,quibus aliqua alia magis accommodatur,& ideo ostendet inferius,quæ quibus, & qualis qualibus congruat,vel sit accommodata, sequẽdo ordinem, quem in principio quarti sibi proposuisse videtur.

Quæ autem respublica,quibus,et qualis qualibus conferat, post dictas consequens est tractare : sed capiendum est prius uniuersaliter de cunctis : oportet enim partem illam ciuitatis quæ rempublicam stare uult, potentiorem esse, quàm illa pars, quæ non uult rempublicam manere. Est autem omnis ciuitas ex quali & quãto:

dico

dico autem quale, ceu libertatem, diuitias, disciplinam, nobilitatem: quantum verò, ceu multitudinem excedentem Fieri autem potest, ut quale existat uni ciuitatis parti, earum quidem partium, ex quibus coalescit ciuitas: alteri vero quantum, ceu maiorem esse numerum ignobilium, quàm nobilium, & pauperum quàm diuitum, neq; tamen tantum superare quantitate, quantum superare qualitate, propter hoc adinuicem conferenda sunt. Vbi ergo superat pauperum multitudo eam quam diximus proportionem, hic suapte natura popularis gubernatio exoritur, ac species singulæ popularis status, secundum multitudinis exuperantiam: ceu si agricolarum multitudo plus possit, prima species. si multitudo mechanicorum, ac mercenariorum, ultima species: & sic de alijs quæ sunt harum mediæ. Vbi autem ea pars, in qua sunt opulenti & nobiles, magis superat qualitate, quàm deficiat quantitate, hinc paucorum potentia, gubernatioq; exoritur, ac eodem modo singulæ species secundum exuperantiam istiusmodi hominum.

Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo philosophus posteaquam declarauit, quæ sit respublica optima pluribus ciuitatibus, & communiter optima, nunc ostendit, quæ respublica quibus, & qualis qualibus conueniat. Diuiditur autem in tres partes, quę suis locis declarabuntur: in primis proponit suam voluntatem, dicendo quod ex eo, quod dictum est supra, sequitur tractare quę respublica quibus, & qualis qualibus accommodatur. Quasi attulimus omnes respublicas & in genere, & in specie, & etiam illam postremo adduximus, quæ optima pluribus esse potest, & communiter: sed quia fieri potest ex quadam suppositione, vt sit aliqua non melior absolute, sed accōmodatior huic, vel illi ciuitati, vt supra dictum fuit, ideo consequens est, videre, quæ respublica quibus, & qualis qualibus conueniat, sed pręsupponit ante, & pręmittit duas sententias vniuersales, quę pertinent ad declarationem eorum, quæ ipse vult ostendere in hoc capitulo. Prima sententia est, quæ de cunctis vniuersaliter rebuspublicis dici potest, videlicet quod oportet partem illam ciuitatis, quæ rempublicam stare vult, potentiorem esse illa, quæ

non vult: Secunda eſt, quod omnis ciuitas cõſtat ex quali & quanto, & declarat ſe ipſum, & oſtendit, quid intelligit per quale, & quid intelligit per quantum, & quomodo ſunt conferenda, patet textus. *Vniuerſaliter de cunctis*, ideſt vniuerſaliter idem de cunctis. *Vbi ergo ſuperat*. Secunda eſt pars, in qua philoſophus incipit declarare, quæ reſpublica, quibus, & qualis qualibus ſit accommodata, vel quomodo hæc, vel illa exoritur. Dicit igitur in primis, quod vbi ſuperabundat pauperum multitudo, eo pacto quo diximus, ideſt vt quantitate excedat qualitatem alterius partis, tunc oritur gubernatio popularis, & cum ſint gubernationis popularis ſpecies quatuor, ſi iſta multitudo excedens ſit ex agricolis, prima ſpecies emergit: ſin vero ex infimis, oritur vltima, ideſt quarta; eadem ratio eſt de ſecunda, & tertia. *Eam quam diximus proportionem*, ideſt ea ratione, vel proportione, quàm diximus. *Vbi autem ea pars*. Conſequenter oſtendit quibus eſt accommodata paucorum potentia, vel quomodo exoritur. Dicit enim quod vbi opulenti ſuperant ſua qualitate quantitatem inopem, tunc emergit paucorum potentia, & cum ſit multiplex, vt ſupra oſtendimus ſecundum plus & minus, ideſt exuberantiam talium hominum orietur prima, aut ſecunda, vel tertia, aut quarta ſpecies. nam ſicut ſe habent ſpecies popularis reſpectu quantitatis multitudinis, ita ſe habent ſpecies paucorum potentiæ reſpectu qualitatis, ideſt reſpectu diuitiarum, & aliarum huiuſmodi qualitatum.

Debet autem qui legem ponit in republica, ſemper ad medios reſpicere: ſiue enim ad paucorum gubernationem dirigantur leges, de medijs eſt coniectandum, ſiue ad popularem ſtatum, & ad medias quoq; leges reſpicere debent: vbi enim mediocriũ ſuperat multitudo, vel vtrunque extremum, vel alterum tantum, hic reſpublica recipit ſtabilitatem: non enim eſt metus, ne quandoque diuites cum pauperibus conſpirent contra mediocres: nunquam enim alteri ſeruire alteris vellent. Quod ſi communiorem aliquam quærunt, nullam aliam quam iſtam reperient: nam per vices gubernare non pate-

paterentur, propter diffidentiam, quæ inter eos existit. In cunctis verò locis arbiter est fidelissimus. arbiter tamen medius, quantoq; melior est gubernatio temperata, tanto durabilior.

Ostendit philosophus ex dictis, quod via media, vt conuenientior & communior, est quærenda, atque ex eo dicit, quod legumlatores in ferendis legibus debent semper respicere ad medias, siue in populari gubernatione, siue in paucorum potentia ferantur leges, vt introducatur mediocritas reipublicæ, vel aliæ ad illam quoad fieri potest, reducantur. quare conditores legum ad medios, vt diximus, respicere debent, sibi persuadentes eam rempublicam firmam ac stabilem fore, in qua mediocres præualent vtrique extremorum, videlicet diuitibus ac pauperibus, vel saltem alteri parti illorum. Quod si quis diceret verendum esse, ne duæ partes extremæ simul conuenirent, & conspirarent contra medios, hoc, dicit philosophus, non est timendum, quia ita sunt disiuncti, vel potius aduersi, vt nunquam æquo animo paterentur exclusis medijs alterum alteri cedere. nam si medij eijcerentur, tunc aut diuites, aut inopes dominarentur: quod neutra pars alteri tolerandum putaret. quod si aliquam cõiunctionem simul inire vellent, nullam aliam reperirent præter hanc mediorum, qui erunt tanquam nexus, & arbitri, & quãto magis erit gubernatio ex his medijs composita, tanto firmior & stabilior erit. *Quantoque melior*, idest quanto melius gubernatio ista miscetur, scilicet ex medijs, & ad mediocritatem reducitur, tanto est durabilior.

Aberrant etiam plerique illorum, qui optimates reipublicæ gubernationes efficere volunt, non solum in tribuendo nimium diuitibus, verumetiam in seducendo populum: necesse est enim procedente tempore, ex falsis bonis, uerum malum euenire: diuitum enim cupiditates plus habendi, magis destruunt rempublicam, quàm quæ multitudinis.

Hęc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus affert errorem quorũdam, qui cum velint rempublicam optimatum efficere non solum tribuunt nimium diuiti-

bus,sed etiã decipiunt populum:ex quo fit,vt procedente tẽpore ex falsis bonis verum malum oriatur: ex veris enim propositionibus,vt dialectici volunt,semper verũ, ex falsis interdum sequitur verum. Dicunt enim diuites esse optimates,& his multa tribuunt, atque ex eo maius detrimentum prouenit reipublicæ à diuitibus, quàm à pauperibus, quia diuitum cupiditas plus habendi magis destruit rempublicam, inquit philosophus, quàm multitudinis. Hoc autem fit,dicit Sanctus Thomas,quia bonum commune trahitur ad pauciores. *In excludẽdo*, idest in decipiendo plebem,vel multitudinem.

Sunt autem (ut exordij gratia dicatur) illa circa quæ simulant, fallaciterq; prætexunt ad populum,quinque numero: concio, magistratus,iudicia,armatura,exercitatio. Circa cõcionem quidem licere omnibus adesse, sed pœna apposita diuitibus si non assint, uel solis, uel multo maior. Circa magistratus autem non licere ijs qui censum habent magnum, renuntiare magistratui, pauperibus autem licere. Circa indicia uerò, pœnam esse diuitibus nisi iudicent, pauperibus autem impunitatem, aut illis magnam, his paruam pœnam, ut est in Charondæ legibus. Quibusdam uerò locis, omnibus licet descriptis in concionibus, iudicijsq; adesse: quod si descripti sint, & non exerceantur, in pœnas incidunt permagnas, ut metu pœnæ, uitent descriptionem: & per non descriptionem, neque iudicia, neque conciones exerceant. Eodem modo circa arma possidenda,& circa gymnasia legibus statuunt: pauperibus licet non habere arma, diuitibus autem pœna constituta est, nisi habeant: & si gymnasio se non exerceant pauperes, nulla pœna est: diuitibus autem pœna est, ut alij metu pœnæ se exerceре compellantur, alij (quia nullam formidant pœnam) non faciant. Hæc igitur in paucorum potentiæ legis positione, sunt machinamenta. In populari autem statu, contra hæc, alia excogitant: pauperibus enim salaria statuunt concionantibus,atque iudicantibus, diuitibus autem nullam pœnam imponunt.

Affert nunc ea philosophus circa quæ cõstituentes huiusmodi rem p. quam appellant optimatum gubernationem,cum sit paucorũ potentia, decipiũt multitudinem: sunt aũt quinque,videlicet concio, magistratus, iudicia,

arma-

armatura, exercitatio. Nam ferunt leges circa iſta fauentes diuitibus, vt manifeſte patet in textu. Ponunt .n. nunc præmia, nũc pęnas, quę opulentis cauſam prębeãt, vt adſint: pauperibus vero, vt abſint. Patet hoc, quia diuites cauſam habent, veniendi ad concionem ob pęnam oppoſitam: pauperes vero minime. Item magiſtratus gerere compelluntur diuites ob magnum cenſum: inopes autem minime. Item conſtituunt pœnam diuitibus, ſi non interſint iudicijs, pauperibus vero impunitatem, & eodem modo faciunt circa arma atq; exercitationes gymnaſiorum. Latenter enim decipiunt multitudinem, permittentes licentiam pauperibus, vt ab iſtis pro arbitrio abſint. ex quo nullam formidantes pœnam, gubernationem emittunt, & rei familiari intendunt. Diuites vero pœna compelluntur, vt his omnibus interſint: & ſic gubernationem ſuſcipiant reipublicæ, quæ ſunt artes paucorum potentiæ. In populari autem ſtatu contra fit: pauperibus enim mercedem, diuitibus nullam pœnam conſtituunt.

Itaque manifeſtum eſt, ſi quis velit iuſtè hæc temperare, quod oportet vtrinq; aſſumere: et illis quidem ſalaria conſtituere, his autem pœnam. ſic enim omnes communicarent: nam illo quidem modo, reſpublica fit alterorum ſolum, oportet quidem rempublicam eſſe ex ijs ſolum qui arma poſſident. Cenſus autem magnitudo definiri ſimpliciter non poteſt quantus ſit: ſed conſiderata qualitate, attinet maximũ (vt qui participant republica ſint plures, quàm ij qui non participant) hunc inſtituere. volunt enim pauperes & honorum expertes, quietem agere, ſi neque contumelia eos quis afficiat, neq; bona illis auferat. ſed hoc non facilè: non enim ſemper contingit, vt qui rempublicam gubernant ſint mites & humani. conſueuerunt autem quoties bellum eſt grauiter ferre, niſi ſuſcipiant alimenta, cum ſint pauperes, at verò ſi quis alimenta porrigat, cupiunt bellum. Apud quoſdam gubernatio reipublicæ exiſtit, non in ijs ſolum qui ad armaturam ſunt habiles, ſed in ijs qui exercuerunt arma. in Malienſibus quidem gubernatio reipublicæ erat in iſtis: & magiſtratum creabant ex ijs qui militabant. primaq́ue reſpublica apud Græcos conſtituta eſt ex ijs qui bellum gerebant

rebant, posteaquam desierunt regna: ab initio quidem ex equitibus, nam robur excellentiaque belli, tunc in equitibus habebatur. peditatus .n. nisi ordo ac disciplina assit, inutilis est. huiusmodi autem disciplina & ordo antiquis illis temporibus nondum erat: ex quo fiebat, vt in equitatu robur belli haberetur: sed auctis ciuitatibus quæ in armis potentiam magis habebant, plures ad communionem reipublicæ recepti sunt. ex quo factum est, vt quas nunc respublicas vocamus, tunc popularis status diceretur. Fuerat.n. antiqua ciuitatum gubernatio rationabiliter paucorum, & regia: propter paucitatem enim hominum, non erat magnus numerus mediocrium. itaq; pauci cum essent multitudine & ordinatione, magis ferebant ab alijs gubernari. Quam igitur ob causam plures sint rerum publicarum formæ, & quamobrem præter illas quæ dicuntur, aliæ sint (nam popularis gubernationis non vna numero est species, neque aliarum similiter) ac præterea quæ differentiæ sint inter eas, & quare accidat, & insuper quæ optima rerumpublicarum, vt plurimum dici potest, & aliarum quoque rerumpublicarum qualis qualibus congruat, dictum est.

Ostendit nunc philosophus quod non fiet error, si temperata mixtio adhibeatur, accipiendo ex vtrisque eam partem, quæ congruam facit mixtionem, idest ex populari mercedem pauperibus tribuere, ex paucorum potentia pœnam diuitibus imponere. tunc orietur temperata respublica & concurrent ad gubernandum mediocres homines inter pauperes & diuites, & erit tertium quoddam ex illis resultans, vt superius etiam dictũ fuit. Posthæc moderatur legẽ, quæ est circa arma & forsitan dicere possumus, quod tangere intendit hoc loco virtutem illam militarem allatã superius in republica com muni nomine vocitata. Est enim ciuilis quædam fortitudo. Nam vrbanæ copiæ sunt illæ, quarum proprie est fortitudo dicit philosophus, in libro moralium. Quod si arma definiri debeant aliquo censu, difficile est afferre determinatam quantitatem census: sed oportet considerare, quantum, vel quale, vt habeatur respectus ad illos medios, de quibus diximus, vt sint plures vel per se, vel cum altera partium, idest plus valeant, quam alij se

cundum

cundum qualitatem in gubernatione reipublicę.nec est dubium de egenis,si recta sit gubernatio dicit philosophus. Nam homines egeni etiam si non sint honorum participes, quiescunt, dummodo eis non afferatur iniuria. Sed non est facile, vt qui rempublicam tenent, caueant ab iniurijs, quia non semper accidit, vt gubernatores reipublicæ sint mites,atq; humani. Et egeni consueuerunt tempore belli indignari, si non susceperint alimenta : inopes enim sunt. Quod si quis porrigat alimentum, volunt & contenti sunt pugnare pro patria, & reliqua,quę patent in textu satis manifeste. *Alterorum solum.* idest aut diuitum tantum,aut popularium. *Sed considerata.* idest considerantes quantum, vel quale maximum accommodari potest, vt participantes reipublicæ sint plures,quam non participantes,hoc instituere. *Non in his qui ad armaturam.* idest non ex his,qui arma ferunt, sed ex his qui arma gesserunt, quibus gubernationem deferebant ob experientiam rerum. *Primaque,* scilicet respublica prima post regnum. *Sed auctis ciuitatibus quæ in armis.* idest auctis ciuitatibus, & his qui arma habebant plures &c.

Rursus autem & cōmuniter et separatim,de vnaquaq; dicemus earum partium,quæ post hæc sequuntur, conuenienti sumpto principio. Sunt ergo tres partes omnium rerumpublicarum in singulis, quarum studiosus legis positor, considerare debet vtilitatem: quibus bene se habentibus,necesse est rempublicam bene se habere: & gubernandi formas inter se differre,in eo quod singulæ istarū differunt. Harum trium partium vna est quæ versatur in publicis consilijs,altera in magistratibus:hoc est,quos esse oportet,& quam potestatem habere, & quemadmodum habeant creari. Tertia pars in iudicijs consistit. Ea pars quæ consulit, authoritatem habet de bello & pace,de societate ineunda ad bellum, vel dissoluenda, de legibus ferendis,vel abrogandis,de morte,de exilio,de publicatione bonorum, de rationibus reposcendis.

Hic est quartus & vltimus tractatus huius quarti libri, in quo philosophus postea quam declarauit rempublicam communiter optimā, & competentem pluribus ciuita-

ciuitatibus,& ostendit, quæ quibus, & qualis qualibus conueniat,nunc affert tres partes,ex quibus constat vnaquæq; ciuitas,videlicet consilium,magistratus; iudicia: & ostendit varios modos vnius cuiusq; partis,& cui reipublicæ quis modus accommodatur. Diuiditur autem in tria capitula secundum numerum istarum trium partium. In primo declarat concionem, vel consilium, & ostẽdit quot modis fiat & quibus ciuitatibus accommodetur quisque modus. In secundo declarat magistratus, & distinguit eos, & ostendit quot sint, & quam authoritatem habeant. In tertio considerat ipsa iudicia, afferendo modos & differentias eorum.Primum capitulum diuiditur in tres partes, quæ suis locis declarabuntur. Prima autem pars est manifesta de se: dicit enim quod vult tractare de tribus partibus,quę reperiuntur in omni republica, & vult tractare de eis communiter,& separatim:communiter,quantum ad ea quæ competunt cuilibet reipublicæ: separatim, quantum ad ea, quæ competunt huic vel illi. Hæ autem partes sunt consilium, magistratus,& iudicia. Et cum ista tria bene se habent, etiam bene se habet illa respublica. Oportet autem legislatorem considerare istas partes: quia earum diuersitas facit diuersitatem in rebus publicis.

Necesse est enim vel omnibus ciuibus hæc omnia decernenda tribuere,vel quibusdam omnia, seu vni cuidã magistratui,aut pluribus alijs alia: vel quædam illorũ omnibus,quædã verò quibusdã.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus affert diuersitatem eorum,circa quæ versatur consilium, & consultatiua pars ciuitatis, & in primis affert varios modos, ostendendo quod fieri potest, vt omnes vel quidam deliberent de omnibus: vel alij de alijs,vel omnes de quibusdam, vel quidam de quibusdam. Plures igitur sunt huiusmodi consultandi & deliberãdi modi.

Omnia igitur & omnibus populare est: talem enim a qualitatem affectat populus.Sunt autem plures modi eius,quod est omnia omnibus. Vnus, si singulatim & non simul omnibus, vt est in republica Teleclei Milesii, & in alijs rebuspublicis, deliberant magi-

stratus simul collecti, ad magistratum verò vadunt omnes singulatim ex tribubus & partibus etiam minutis, donec transeat per omnes. congregatur autem populus, solummodo pro legibus ferendis, & pro ijs quæ pertinent ad reipublicæ statum, & pro ijs audiendis quæ à magistratibus nuntiantur.

Declarat omnes istos modos, ex quorum diuersitate oriuntur diuersæ rationes rerum publicarum: primus modus consilij est circa gubernationem popularem, cũ omnes de omnibus consultant, vbi æqualitas à populo quæritur. hoc quatuor modis fieri potest: idest iste modus principalis in quatuor diuiditur, primus modus cũ omnia omnibus tribuuntur in populari gubernatione: hoc pacto contingere potest, vt nunc pars hæc, nunc illa deliberet: Sic enim omnibus omnia tribuuntur vicissim munera consultandi: vel omnia omnibus sic, vt ex singulis partibus veluti ex qualibet tribu accedat aliqua pars ita, vt ex singulis partibus accedant aliqui, qui deinde simul collecti deliberent, vt in Teleclei legum latoris republica, & alijs quibusdam rebus publicis fit. deliberant enim magistratus simul collecti, & plures ex omnibus partibus. *Si singulariter*, idest si pro parte.

Alius modus est, omnes simul conuenire, aut solummodo ad magistratus creandos, & ad ferendas leges, & pro bello uel pace, & ad rationes reposcendas: in cæteris uerò eos qui magistratum gerunt discernere ad singla deputandos, uel per electionem uel per sortem.

Secundus modus, quo omnia omnibus tribuuntur in populari gubernatione, fit, cum totus populus congregatur ad creandos magistratus & leges ferendas, & similiter cum de pace, vel bello, & reposcendis rationibus publicæ administrationis, & huiusmodi rebus grauibus consultat. Nam in reliquis sunt magistratus electione, vel sorte constituti, qui de eis decernere possunt.

Alius modus est, vt ad magistratus creandos & rationes reposcendas conueniant omnes ciues, & ad deliberationem belli suscipiendi, vel societatis ad bellum ineundæ, cætera verò magistratus exequantur per electionem creati, quicunque fuerint: tales verò

rò sunt quoscunque gerere necessarium est, eos qui sciunt.

Tertius modus, quo omnia omnibus tribuuntur, fieri potest, cum omnes congregantur ad creandos magistratus, & huiusmodi res magni ponderis decernendas: cętera vero disponunt magistratus quidam electi. & iste modus est similis priori, præterquam in eo quod magistratus, vt quidam expositores volunt, eliguntur in vno, ex quibuscunq;, non autem in alio, vel differt etiam in eo, quia hic electione tantum, ibi sorte, vel electione magistratus constituti decernunt.

Quartus modus est, vt omnes de omnibus conuenientes deliberent, magistratus autem de nullo statuant, sed tantum primo loco sententiam dicant: quemadmodum fit in extrema illa gubernatione populari, quam in paucorum gubernatione speciei violentæ, & in gubernatione vnius tyrannidi correspondere diximus. Hi ergo modi populares omnes. Quibusdam verò omnia, paucorum potentiæ. Habet autem & hoc differentias plures: quando enim à mediocri censu fiat assumptio, & multi assumuntur propter eam census mediocritatem, & quæ lex vetat non moueant, sed sequantur, & liceat possidenti censum, habere paucorum & huiusmodi gubernatio, sed tamen ciuilis propter eius mediocritatem.

Hoc est cum omnes de omnibus deliberant. Magistratus vero in hoc tantũ præstant alijs, vt primo loco proponant, vel dicant sententiam suam: populus tamen est dominus decernendi omnia, & hoc contingit in vltima specie popularis status, quæ est deterrima omniũ, quam philosophus dixit similem esse quartę speciei paucorum potentiæ, & ipsi tyrannidi, vbi leges minime valent. *Quibusdam verò omnia.* Affert philosophus secundum consilij modum, cum quidam de omnibus consultant ac deliberant, qui contingit circa paucorũ potentiam, & iste trifariam fieri potest, atque ideo in tres modos iste principalis subdiuiditur. Primus est, cum à mediocri censu fit electio consultantium, & eorum, qui deliberant: & sic assumuntur plures ob census mediocritaté. Hic modus pertinet ad paucorum potentiam, & tamen est minime malus inter paucorum gubernationes, & quasi mi

xtus.

xtus. *acquirenti*. idest habenti. *habere*, idest participem esse gubernationis reipublicæ.

Quando verò non omnes participes sunt, sed hi qui eliguntur, & secundum leges gubernant, vt & prius, paucorum potentiæ est.

Secundus est modus circa paucorum potentiam, cum non omnes, sed quidam electi decernunt de omnibus, sequuntur tamen leges in deliberando & decernendo.

Quando autem ipsi se eligunt, qui deliberandi auctoritatem habent, & quando filius patri succedit, & domini sunt legum, necesse est huiusmodi gubernationem esse paucorum potentium.

Tertius modus est circa paucorum potentiam, cum ipsi se ipsos eligunt, & cum filius succedit patri, & post habentur leges. Tunc enim sumitur quodam modo tertia, & quarta species paucorum, quæ sunt valde propinquæ & iste modus est deterrimus.

Sed quando quædã, ceu cum de bello, pace, & repetendis rationibus, uniuersi cognoscunt: de alijs aũt magistratus electi, vel forte assumpti, optimatũ id est, vel eius quæ appellatur respub. quod si de quibusdam electi, de quibusdam verò sortiti, & vel simpliciter sortiti, uel ex præelectis, uel communiter electi ac sortiti, partim optimatum est, partim reipublicæ ipsius. Distinguitur ergo ea pars quæ in consulendo deliberandoúe consistit, in hunc modum, pro natura rerum publicarum. & administratur vnaquæq; respublica. secundum huiusmodi determinationem.

Hic tertio loco affertur modus ad optimates, vel rem publicam pertinens. Nam vel respectu optimatum, vel respectu reipublicæ nomine generis vocitatæ fieri pôt. Electio enim ad optimates, sortitio vero ad ipsam rempublicam spectat. *ex prelatis*. idest ex præstantioribus.

Confert autem & gubernationi illi populari, quæ nunc maximè videtur esse popularis, (dico autem ei in qua populus dominus est, etiam legum in deliberando ac melius disponendo) hoc idem facere in communibus, quod fit circa iudicia in paucorum potentia: imponunt enim pœnam illis, quos iudicare uolunt, ut iudicent. Populares uerò mercedem statuunt pauperibus. Confert & hoc idem circa conciones agere: melius enim in communi deliberabunt, si omnes consilio intersint, populus quidem cum nobilioribus, isti

autem

autem cum populo. Confert etiam per electionem assumi eos, qui deliberaturi sunt, uel per sortem æqualiter ex partibus ciuitatis. confert etiam si plurimum excedat multitudo plebis eos qui sunt in gubernanda republica peritiores: uel non omnibus mercedē tribuere, sed quātis correspōdent numero nobilitatis, uel exsortiri plures.

Hæc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus affert quædam, quæ conferunt statui populari, & paucorum potentiæ circa consultationem. Affert autem tria successiue, quæ conferunt speciebus status popularis. Primum est, vt constituatur diuitibus pena si ad concionem, vel consultationē non veniant: pauperibus merces, si veniant, & hoc pertinet ad vltimam speciē status popularis. Secundū est, vt per electionē, vel sortem sumantur hi, qui sunt cōsultaturi, vel deliberaturi, æqualiter ex partibus ciuitatis, idest ex qualibet sorte ciuiū sumere oportet conuenientem numerum proportione seruata: & hoc confert alijs speciebus gubernationis popularis. Tertium est, si multitudo plurimum excedat viros insignes atque electos, tunc subtrahatur merces quibusdam, idest non detur omnibus præmium ad ueniendum, sed tot, quot possint æquare homines notos atque insignes, vel sortiri plures ex illis.

In paucorū verò gubernationibus, aut eligere quosdam ex multitudine, aut talem magistratum constituere, qualis est in quibusdam ciuitatibus, quos appellant præ cōsultores ac legum custodes, ac de ijs solummodo rebus ad consilium referre, de quibus ante isti deliberauerint. Per hunc enim modum populus interueniet in deliberando, nec tollere quicquam de republica ualebit. Insuper, aut illa decernere poterit populus, aut nihil contrarium illis, quæ proponentur, uel conueniendi quidem omnes participes facere: deliberandi uerò magistratibus potestatem relinquere. Et oppositum eius facere, quod fit in populari statu. populi enim decretum in condemnando ratum non sit, sed ad magistratus rursus referatur. quod contrà fit in popularibus: magistratus enim absoluendi, domini sunt omnino: condemnandi uerò non, sed ad populum habetur recursus. De consulendo igitur & deliberando, eiusque potestate, in hunc modum determinatum sit.

Affert

Affert nunc, quæ conferunt paucorum gubernationi, ea autem in textu sunt plana atque manifesta. *aut illa decernere*, idest eadem. *quod fit in populari statu*, idest oppositum eius, quod ibi fit. Nam ibi, idest in populari statu pauci habent potestatem absoluendi, condemnandi non habent, nisi omnes. Sic igitur declarauit vnam partem ex tribus, idest cosultatiuam, vt patet.

Consequens his est, circa magistratus distinguere: habet enim & hac pars reipublicæ differentias multas: quotque magistratus & quarum rerum authoritatem habere, & pro quo tempore magistratus quosq; (nam alij semestres, alij breuiores, alij annuos, alij diuturniores statuunt magistratus) & vtrum oportet esse perpetuos, an ad longum tempus, an neutrum. vtrum frequenter eosdem, an non eundem bis. sed tantum semel gerere oportet, & præterea circa constituendos magistratus, ex quibus oportet, & à quibus, & quomodo, de his enim omnibus oportet posse destinguere, quot modis valeat fieri: & deinde accõmodare, qui quibus conferamt gubernationibus reipulicæ.

Hoc est secundum capitulum huius quarti tractatus, in quo philosophus posteaquam declarauit consilium, idest vnam ex tribus partibus, ex quibus constat omnis ciuitas vel respublica, nunc declarat magistratus de quibus erat secundo loco considerandum. Diuiditur autem hoc capitulum in quinque partes, quæ suis locis declarabuntur. In prima igitur parte philosophus proponẽs voluntatem suam & ordinem procedendi, dicit, quòd post declarationem partis consultatiuæ, consequens est de magistratibus doctrinam afferre, distinguendo ipsos per differentias quas habent, & videre quot sint, & quales, & quãto tempore duraturi. Tum ex quibus, & à quibus hominibus, & quomodo creari debeant, & qui quibus & quales qualibus conferant, vel accommodentur.

Est autem ne hoc quidem facile determinare, quales magistratus sunt nuncupandi: indiget enim ciuilis societas multis magistratum gerentibus. quapropter non omnes qui vel eliguntur, vel assumuntur sorte, sunt magistratus existimandi: vtputa in primis sacerdotes: hoc enim aliud quiddam ponendum est à ciuilibus ma-

gistratibus. Praeterea festorum prouisores, & praecones, & legati qui eliguntur. Sunt autem curae ciuiles, aut omnium ciuium ad vnam actionem: puta, dux eorum qui militant: aut secundum partem, vt mulierum, puerorumque curatores. Aliae dispensatiuae: saepe enim eliguntur quidam ad distribuendam annonam. Aliae ministratiuae, ad quas si opulenti eliguntur, substituunt seruos. Maximè vero, vt simpliciter dicamus, illi sunt magistratus appellandi, quibus est deliberare de quibusdam, & iudicare, & iubere: & maximè hoc extremum, nam iubere imperosius est. Verum ista quantum ad vsum nihil differunt, vt ita dixerim: nondum enim determinata est huiusmodi de nomine controuersia: habet enim aliam quandam intellectiuam considerationem.

Hæc est secunda pars capituli, in qua philosophus ostendit, qui sint magistratus: quia ciuitas indiget multis præsidentibus, & tamen non omnis præsidentia magistratus est appellandus. Dicit enim quod sacerdotium non est magistratus, sed cura quædam circa cultum diuinum: nec qui præsunt festis, nec præcones, nec legati sunt dicendi magistratus. Postea ostendit, quòd quædam sunt curę circa publica, aut omnium ciuium, vt est dux exercitus, aut circa partem vt circa mulierum, & puerorum mores, quædam circa forum, vt habeant curam mensuræ rerum venalium: quædam ministratiuæ circa eas res, quarum cura committitur ministris, vt sunt curæ circa publicas ædes reficiendas, & circa portas ciuitatis aperiendas, atq; claudendas, & alię curę eiusdem generis, quæ ministratiuæ dicuntur. Postea declarat, & diffinit quid sit magistratus, dicendo quòd magistratus est proprie, cui data est facultas & commissum munus deliberandi, iudicandi, & iubendi: maxime autem competit ei iubere: quia sine hoc non videtur magistratus. *Sæpe enim eliguntur quidam*, idest sæpe eliguntur quidam, qui præsunt mensuris. *quandam aliam intellectiuam considerationem*, idest aliam quandam intellectionem.

Sed quales magistratus, & quot necessarij sunt ciuitati, & quales necessarij, quidem, inutiles verò ad bonam reipulicæ gubernationem, magis vtique quispiam dubitabit, & ad omnem rempublicam,

cam, & præsertim ad paruas ciuitates. Nam in magnis quidem licet, & debent singuli magistratus ad singula opera deputari: sufficit .n. multitudo ciuium ad magistratus gerendos, propterea quod multi ciues sunt: quare hos cum intermissione magna temporis, alios semel duntaxat gerunt: meliusque singula curantur, quàm si in multis cura nostra distrahatur. Sed in paruis ciuitatibus, necesse est in paucos, magistratus plures conferre: nam cum sit paucitas hominum, non facile est multos in magistratibus esse. quinam postea forent successores eorum? Indigent quandoque magistratibus eisdem, & legibus, paruæ magnæque ciuitates: nisi quod hæ quidem sæpe indigent eisdem, illis verò multo tempore intermisso id accidit. quapropter nihil prohibet multas simul curas illis demandare: non enim se impediunt & propter hominum paucitatem, necessarij sunt magistratus quidam, quasi luminaria obeliscis imposita. Si ergo dicere possumus, quot necessarij sunt omni ciuitati, & quot non necessarij quidem, sed oportuni, facile quis sciens ista, coniungat, quales coniungere congruat, in vnum magistratum. Debet etiam hoc non latuisse, quales conueniant secundum locum magistratus plurium curam habere, & qualium vbique vnum magistratum potestatem habere: ceu honestatis. vtrum in foro præfectum annonæ, alium alibi, aut vbique eundem dicemus magistratum. & vtrum secundum negocia partiendum est, an secundum personas: dico autem, ceu vtrum curæ honestatis alium puerorum, & alium mulierum.

Hæc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus considerat, qui & quales magistratus sunt necessarij, & primum ostendit, quod in magnis ciuitatibus vtile est singulos magistratus ad singula deputari. Melius enim perficiuntur diuersa officia reipublicæ à diuersis magistratibus, quàm diuersa ab eodem. Et multitudo ciuium in amplis ciuitatibus subministrare potest numerum sufficientem, intercedente etiã interuallo temporis, idest vt ijdem ciues non habeant eosdem magistratus, nisi magno temporis interuallo, aut nisi semel tantum. In paruis autem ciuitatibus ob penuriam hominum oportet, vel necesse est plures magistratus deferre ad paucos. Sed interdum indigent eisdem magi-

ſtratibus,& legibus,dicet aliquis,paruæ ciuitates & magnæ. Verũtamen illæ quidem frequenter indigent eiſdem, vt ijdem homines ſæpe gerant eoſdem, vel ſimul plures magiſtratus: magnæ vero non ſæpe indigent, ſed magno temporis interuallo accidit, vt habeant eoſdem ciues eoſdem magiſtratus gerentes. In paruis autem ciuitatibus oportet ob penuriam hominum conſtituere magiſtratus, ſicut lucernas in candelabro. Nam vt vnum gerit plura lumina, ſic vnus magiſtratus ſubit officia plurium,& eſt plures magiſtratus, vel plurium curas ſuſtinens. Si ergo poſſumus dicere, quot magiſtratus ſunt neceſſarij cuilibet ciuitati, & quot non neceſſarij, facilè quis ſciens iſta colliget quales, vel quot magiſtratus conueniat congregare,& conferre in vnum magiſtratũ. Debet etiam non latere, quales magiſtratus conueniat habere curam plurium ſecundum locum, & qualium vbiq; vnum magiſtratum poteſtatem habere, & ponit exemplum, ceu honeſtatis, id eſt probitatis, atque modeſtiæ, vtrum in foro præfectum annonę, & alium alibi, vt circa veſtitum, & mores puerorum & mulierum; veluti cenſores, vel ediles circa alia huiuſmodi, an vbiq; vnum,& eundem magiſtratum curam habere plurium: & vtrum ſecundum materiã, vel perſonas fieri diſtributio & deputatio debeat: ſẽtẽtia huius partis talis eſſe videtur. Conſiderandũ, quod plures debent eſſe magiſtratus in qualibet ciuitate: Sed videndũ quot & quales debeãt eſſe pro magnitudine,& paruitate ciuitatum: & conſiderandũ, an perſonarum, an negociorũ, circa quę debet eſſe gubernatio, ſit ratio habenda. Multa.n. occurrunt, quæ diligenti indigẽt perquiſitione: *niſi quod hæ quidem ſæpe indigent eiſdem:* ideſt paruæ ciuitates indigent ſæpe eiſdem ad eoſdem magiſtratus gerendos, *& propter hominum paucitatem* ideſt propter penuriam, & paucitatem hominum oportet magiſtratus veluti candelabra multarum lucernarum facere. *Facile quis ſciens iſta coniungat*, ideſt facile quis ſciens iſta concludat, videlicet quot, vel quos coniungere conueniat magiſtratus in vnum magiſtratum

tum. Honestatis, idest modestiæ & probitatis.

Et in rebuspublicis vtrum differat secundùm unamquamque, magistratuum genus, an nihil. ceu in populari statu, & paucorum gubernatione, & optimatum, & in monarchia: vtrum idem sint magistratus potestatem habentes. sed non ex æqualibus aut similibus, sed alij in alijs. veluti in optimatibus quidem ex hominibus doctis, in paucorum autem potentia ex opulentis, in populari statu ex ingenuis: an existant magistratuum quidam secundum has differentias. est autem ubi ijdem conueniunt, est & vbi ijdem differunt. alicubi enim congruit magnos esse, alicubi paruos eosdem magistratus. Veruntamen sunt aliqui proprij, ceu eorum qui præconsultant: hæc enim potestas non est popularis, consilium verò populare. oportet enim esse aliquid tale, cui cura sit populum consilio præuenire, ne ociosus sit. id autem (cum pauci sint numero) paucorum potentiæ est, est autem necesse vt præconsultores illi sint pauci numero: quare paucorum id potentiæ est. sed ubi sunt ambo hi magistratus, præconsultores consiliarijs præficiuntur. nam consiliarius popularis, præconsultor autem paucorum potentiæ. Dissoluitur etiam potestas consilij in huiusmodi plebeis gubernationibus, in quibus populus ipse conueniens de omnibus constituit: hoc autem accidere consueuit, cum est utilitas quædam aut merces constituta, ijs qui in concionem conueniunt: ociosi etiam conueniunt persæpe, & de cunctis ipsi statuunt. Qui autem puerorum curam habent, & qui mulierum, & si quis alter est qui potestatem & curam habeat huiusmodi, optimatum id est, & non populare: quo pacto enim in populari statu, pauperum mulieres cohibebuntur foras non prodire? neque est paucorum potentiæ: nam mulieres ipsorum, in delitijs uiuunt. Sed de his quidem eatenus dixisse, nunc sat sit.

Hæc est quarta pars huius capituli secundi, in qua ostendit quomodo magistratus differunt, in diuersis speciebus rerum publicarum, & ostendit, quod differunt, aut secundum materiam, aut secundum quantitatem, aut secundum formam. Nam si aliquis sit magistratus eiusdem numeri & potestatis in populari & paucorum, & optimatũ gubernatione diuersificabitur ex parte materiæ quia in gubernatione populari erit ex liberis ho-

minibus,in paucorum potentia erit ex diuitibus,in optimatibus ex ſtudioſis viris. Quòd ſi in paucorũ,aut optimatum poteſtate idem magiſtratus, erit ex paucis,in populari vero ex multis, tunc differet etiam ſecundum numerum & quantitatem : vel differet quantitate , vt quidam dicunt, ſi habeat maiorem poteſtatẽ in vna , quàm in alia. Sin vero magiſtratus diuerſam poteſtatem habebunt in diuerſa ſpecie reipublicæ , different forma. Sunt .n. aliqui magiſtratus proprij vnius ſpeciei reipublicę,ita quòd non alterius,vt pręconſultores ſunt proprij paucorum potentiæ:conſiliũ verò popularis gubernationis eſt proprium. Magiſtratus etiã,qui poteſtatem habet,& curam modeſtiæ mulierũ & puerorum,eſt pręcipue optimatum. *Conſilio præuenire* .ſ. vt populus ſit negocioſus.i.vt posſit vacare ſuis negocijs. *Sed ubi ſunt ambo hi magiſtratus*, ideſt vbi ſunt ambo hi magiſtratus conſtituuntur qui ante deliberant ſuper conſiliarios. Conſiliarius enim popularis, præconſultor vero paucorũ potentiæ. *Fieri enim non poteſt*, ideſt quomodo fieri poteſt,vt prohibeantur exire vxores pauperum? Neq; paucorum potentię? Vxores enim talium in delitijs & in luxu plerunq; viuunt. *De his*, ſcilicet de diuerſitate magiſtratuum & an ſint plures eidem committendi,vt patuit ſupra.

De conſtituendis autem magiſtratibus,conandum eſt iam tranſigere. Conſiſtunt autem differentiæ in tribus terminis:quibus compoſitis, neceſſe eſt omnes modos eſſe comprehenſos. Vnus ex tribus eſt, qui ſint illi qui magiſtratus conſtituant : alter, ex quibus conſtituatur : tertius,per quem modum. Cuiuſque verò iſtorum differentiæ tres ſunt : aut enim ciues omnes conſtituunt, aut quidam, vel ex omnibus, vel quibuſdam determinatis : ceu per cenſum, vel per genus, vel per virtutem, vel per quiddam tale aliud, quale apud Megarenſes, ex ijs, qui vnà cum populo coniuncti ſunt ad bella gerenda. & hoc per electionem,aut per ſortem. Rurſus autem hæc ſimul conduplicata : dico autem, hos quidem quidam, illos verò omnes, & hos ex omnibus, illos ex quibuſdam : & hos electione, illos verò ſorte. Vniuſcuiuſque differentiæ iſtorum modi erunt quatuor : aut enim omnes ab omnibus per electionem, aut

omnes

omnes ab omnibus per sortem : & vel ex cunctis : vel quasi diuisi per tribus & conuentus, & societates, quousque transeat per vniuersos ciues: aut semper ab omnibus, & partim sic partim illo modo. Rursus verò, si aliqui sunt qui constituunt magistratus, aut ex omnibus per electionem, aut ex omnibus per sortem, aut ex quibusdam, per electionem, aut ex quibusdam per sortem, vel partim isto modo, partim illo: dico autem, quædam ex omnibus per electionem, quædam per sortem. atque ita duodecim modi efficiuntur seorsum, duobus conduplicatis.

Hæc est quinta pars huius capituli, in qua determinatur de constitutionibus magistratuum. Habent enim tres terminos, videlicet constituentes, ex quibus constituuntur, & modum constituendi, & necesse est ipsos terminos componi, ex qua compositione oritur quilibet modus magistratuum accommodatus cuique reipublicæ. Habet autem quisque terminus differentias tres. nam constituentes, est primus terminus, qui habet tres differentias: aut enim constituentes sunt omnes ciues, aut quidam, & hæc est prima differentia. Secunda est quòd tales constituentes, aut ex omnibus constituunt magistratus, aut ex quibusdam determinatis secundum aliquam dignitatem vel generis, vel virtutis, vel alicuius talis, vt apud Megarenses fiebat. Tertia differentia est, quòd instituunt aut sorte, aut electione, ponit autem combinationes, vt habeatur numerus modorum, & ostendit combinari posse inuicem hæc tria. Nam si omnes sint constituentes magistratus ex omnibus, tunc aut sorte, & hoc est vnum membrum: aut electione, & est secundum: aut diuisim, & est tertium: aut coniunctim, & est quartum: aut quosdam ex omnibus coniunctis, & est quintum membrum: aut quosdam ex omnibus diuisis, & est sextum. Dicimus autem diuisim ceu per tribus, & conuentus ciuitatis, ita vt modo constituatur ex vna tribu: deinde ex alia discurrendo per omnes partes ciuitatis coniunctim, ita quòd semper ex omnibus simul sumptis sumantur. Verum si quidam sint constituentes, habebimus etiam sex membra: quia aut

constituunt magistratus ex omnibus electione, uel forte, & sic habemus duo membra, aut ex quibusdam electione, vel forte, & sic habemus duo alia: aut quasdam ex omnibus electione vel forte, & sic habemus duo alia, quæ cũ superioribus iuncta faciunt duodecim mẽbra. Vel dicere possumus hoc pacto. Si omnes ex omnibus sumant tunc aut ex omnibus coniunctim, aut ex omnibus diuisim, & sic habemus duos modos: aut partim hoc modo ex omnibus simul sumptis, aut illo modo ex omnibus diuisim, & habemus duos alios. & isti quatuor modi suscipere possunt triplicem diuisionem, aut forte, aut electione, aut vtroque modo. Similiter si quidẽ constituunt, aut ex omnibus diuisim, aut ex omnibus cõiunctim, aut partim illo modo, aut partim isto: proculdubio isti quatuor modi tripliciter, aut forte, aut electione, aut vtroque modo. i. partim forte, partim electione, fieri possunt: & sic duodecim modi efficiuntur, vt patet. *In tribus diffinitionibus.* i. tribus terminis. *Seorsum duobus conduplicatis.* i. præter illas duas copulationes ne plures sint, quam duodecim hoc pacto, vt declarat Sanctus Thomas ducendo membra primæ diuisionis in membra aliarum duarum, omittendo duas combinationes. i. non ducendo membra tertię diuisionis in membra secundæ.

Horum autem duæ constitutiones sunt populares, hoc est, omnes ex omnibus electione uel forte, uel ex utrisq; partim forte, partim electione fieri magistratus. At uerò non omnes simul, sed ex omnibus constituere, uel ex quibusdam: uel forte, uel electione, uel utroque modo, aut partim ex omnibus, partim ex quibusdam utraque modo: dico autem utroque modo, partim forte, partim electione: illius speciei est, quæ appellatur respublica. Quosdam uerò ex omnibus constituere, partim electione, partim forte: aut utroque modo, hos quidem forte, illos electione: paucorum potentiæ est, multoque magis, si utroque modo: sed quosdam ex omnibus, quosdam ex quibusdam, ciuile optimatum: uel quosdam electione, quosdam forte: quosdam uerò ex quibusdam, paucorum potentiæ, etiam si per fortem fiat, uel non fiat, & quosdam ex quibusdam vtroq; modo, quosdam autem ex omnibus, & ex quibusdam omnes

per

per electionem, optimatum. Modi igitur circa magistratus tot sunt, & distinguuntur ita secundum rerumpublicarum formas: qui autem quibus conducant, & quomodo constitutiones eorum faciendæ sint vnà cum potestatibus magistratuum: & qui sint hi, manifestum erit: dico autem potestatem magistratus, ceu circa redditus auctoritatem habere, & circa custodiam: (alia enim potestatis species:) quemadmodum circa bellum, & circa contractus forenses.

Allatis terminis, & differentijs terminorum, & modis duodecim constituendi magistratus, nunc ostendit, quod duæ primæ constitutiones, videlicet omnes ex omnibus constituere electione vel sorte, vel partim sorte partim electione, pertinent ad statum popularē: populus enim vult æqualitatem omnium, & ideo omnes ex omnibus quomodocunque. Cum vero fiunt magistratus partim ex omnibus, partim ex quibusdam, hoc ad rempublicā pertinet, quæ cōstare dicitur ex aliqua parte paucorum potentiæ, ex aliqua status popularis, ideo sumit aliquid ab vtroq;. Nam cōstituere ex omnibus, populare est: ex quibusdam vero, paucorum potentiæ. Vlterius dicit philosophus, quod constituere quosdam ex omnibus magistratus, idest vt quidam constituant magistratus ex omnibus partim sorte, partim electione, pertinet ad paucorum potentiam: sin vero quosdam ex omnibus sumant: quosdam vero ex quibusdam, & partim sorte, partim electione, pertinere videtur ad mixtionem quandam ex republica, & optimatibus, vt quidam expositores volunt, & philosophus antea tetigit quādam speciem optimatum quæ non erat omnino mera, sed mixta. Vnde dicere possumus, quod pertinet ad ciuilem gubernationē optimatum, vnam ex illis speciebus, præter primam. Item si quidam ex quibusdam constituantur, aut electione, vel sorte, vel vtroq; modo, idest partim electione: partim sorte, paucorum potentiæ. nam illud quidam ex quibusdam ad paucorum potentiam pertinet. Postremo sumere quosdam ex omnibus, aut ex quibusdam omnes, dummodo fiant per electionem, ad optimatum gubernationem pertinet. *Modi autem.* Resumit philosophus breuiter dicendo,

cendo, quod modi sunt ij quos enumerauit circa constituendos magistratus, & addit, quod deinceps declarabit quibus rebus publicis conducant, & quomodo, & quę sit eorum auctoritas circa redditunm, & custodiæ potestatem, & alia quę patent in textu.

Reliquum ex tribus, est de iudicijs dicere: capiendi verò sunt istorum modi per eandem viam, etenim differentia iudiciorum in tribus terminis: ex quibus, & de quibus, & quomodo. dico autem quibus, vtrum ex omnibus, vel ex quibusdam. de quibus, quot sunt species iudiciorum, quomodo vtrum per sortem, vel per electionem.

Hoc est tertium capitulum huius quarti tractatus, in quo philosophus posteaquam docuit de magistratibus constituendis, nunc quod restabat ex tribus antea propositis, docet de ipsis iudicijs ea, quæ deinceps patebunt. Diuiditur autem in quatuor partes, quę suis locis declarabuntur: in prima philosophus proponit suam voluntatem, & ordinē procedendi, & sumit tres terminos, ex quibus oriūtur diuersa iudicia: termini autem sunt isti, ex quibus, de quibus, & quomodo, & declarat istos terminos. nam ex quibus, significat personas, quę debent sumi ad iudicia exercenda. de quibus, significat materiam, & res de quibus fiunt iudicia. quomodo designat modum creandi iudices, vel sorte, vel electione.

Primo igitur distinguamus quot sunt iudiciorum species. Sunt autem octo numero: una, rationes reposcere: altera, si publicè quis cui iniuriatus sit: alia, quod ad statum ciuitatis pertinet: quarta, ex magistratibus & priuatis hominibus, quæcunq; circa pænas versantur: quinta, de priuatis contractibus, habentibus magnitudinem, ac præterea de homicidijs, & peregrinis. Homicidij rursus species, siue in ipsis iudicijs, siue in alijs ex prouidentia fecerit vel inuitus, & quotcunq; confitemur quidem facta, sed de iure controuersiam facimus, & quæcunque pro homicidio, profugis circa reditum statuuntur, vt Athenis dicitur, & id quod est ad putei mulctam, iudicium. Contingunt autem talia in omni tempore pauca, et in magnis ciuitatibus. De peregrinis autem vna pars est, si peregrinus contra peregrinum agat: altera, si peregrinus contra ciuem: est insuper vltra hæc omnia, de paruis contractibus cognitio, qui

dragmas

dragmas quinque, aut non excedant, aut parum: oportet enim de his ius dici, nec incidit in iudicum multitudine: sed omittamus de his, & de homicidijs, & de peregrinis: dicamus autem de ciuilibus, de ijs, inquam, in quibus si non recte iudicetur, seditiones gignuntur, ac rerumpublicarum motus.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus declarat terminum illum de quibus: sunt enim plures species iudiciorum secundum diuersa subiecta, & diuersos fines, & affert octo species: prima est circa reposcēdas rationes rerum gestarum in magistratibus: secunda est circa iniuriam publice factam: tertia circa ea, quæ pertinent ad statum ciuitatis: quarta circa damna, & pęnas tam magistratibus, quàm priuatis constitutas: quinta est circa priuatos contractus, non quoscunq;, sed magnos: sexta est de homicidijs, quæ diuiditur vt subalterna quædam species in plures partes subiectiuas: septima est de peregrinis, quæ etiam subdiuiditur: octaua est de paruis controuersijs, atq; contractibus. modis igitur & finibus suis distinguuntur ista iudicia. verum quinta species de homicidijs subdiuiditur in quatuor, ex quibus oriuntur constitutiones iuxta præcepta rethorum. quęritur.n. vtrum aliquis fecerit, & tunc oritur cōstitutio coniecturalis. Si confitetur factum, tunc quæritur vtrum ex prouidentia, sponteq; fecerit, an inuitus, & vlterius iure an iniuria. Hinc constitutio iuridicialis, & quæ assumptiua per remotionem, vel translationem criminis dicitur, & etiam constitutiones aliæ oriuntur in quibus factum conceditur, sed culpa excusatur, & fit controuersia: sunt etiam aliæ constitutiones, vt legitimæ, vel diffinitiuæ, & translatiuæ, vt à rethoribus traduntur, quæ non sunt præsentis speculationis: septima quoq; species iudicij dupliciter fit, aut peregrinus cum peregrino, aut peregrinus cum ciue. *De ciuilibus in quibus si non recte iudicetur*, idest si non recte instituantur, oriuntur seditiones & motus rerum publicarum. Videtur enim loqui de institutione, & forma iudiciorum, quæ si non recte ordinentur male stabit respublica.

Necess

Necesse est enim, vel omnes de omnibus supradictis iudicare electione vel sorte, vel omnes de omnibus, partim sorte, partim electione, vel de quibusdam eorum aliquos, partim sorte, partim electione assumptos: hi ergo modi numero sunt quatuor. Totidem autem alteri, qui secundum partem: rursus enim ex quibusdam, & qui iudicant de omnibus per electionem, aut ex quibusdam de omnibus per sortem, vel partim sorte, partim electione, vel quædam iudicia de eisdem exsortitis et electis. Isti ergo (vt dictum est) sunt modi in prædictis. insuper eadem conduplicata: dico autē vt quædam ex omnibus, quædam ex quibusdam, quædam ex vtrisque: ceu si eiusdem iudicij essent, alij ex omnibus, alij ex quibusdam, vel per sortem, vel per electionem, vel ex ambobus: quot igitur modi iudiciorum esse possunt, dictum est.

Tertia est pars huius capituli, in qua affert modos constituēdorum iudiciorum, de quibus nuper dixit, & ostendit quatuor modos: deinde totidē alios, & postea alios, vt patet in textu.

Horum autem prima, popularia sunt, quæcunq; ex omnibus, vel de omnibus. secunda vero paucorum potentiæ, quæcunque ex quibusdam de omnibus. tertia, optimatum & ciuilia, quæcunque partim ex omnibus, partim ex quibusdam.

Quarta est pars huius tertij & vltimi capituli, in qua accommodat illos modos iudiciorum diuersis rebus publicis: & patet textus.

DONATI ACCIAIOLI FLORENTINI

IN V. POLITICORVM ARISTOTELIS, Explanatio.

DE ALIIS *quidem omnibus, de quibus dicere propoſuimus, ferè dictum eſt, ex quibus autem mutantur reſpublicæ, & quot ea ſint, & qualia, & quænam ſint ſingularum rerumpublicarum corruptiones, et ex qualibus in quales maximè mutantur, præterea quæ remedia & generaliter, & ſpecialiter cuiuſq;, & per quæ maximè conſeruari poſſit vnaquæq; rerumpublicarum, conſiderandum poſtea quæ dicta ſunt, deinceps erit.*

HIc eſt quintus liber Politicorum, in quo philoſophus poſteaquam diuiſit rempublicā in partes ſuas .i. in genera ſubalterna, & ſpecies ſpecialiſſimas, atque eas earumq; differentias declarauit, & vlterius attulit tres partes, quæ in cunctis rebus publicis reperiunt, videlicet cōſilium, magiſtratus, & iudicium, nunc affert cauſas mutationum rerumpublicarum, tum remedia, & cauſas conſeruationis ipſarum. Ad eundem.n. pertinere videtur conſideratio mutationis, & cōſeruationis rei p. ſicut ad medicum conſideratio ægritudinis, & ſanitatis corporis. Diuiditur autem hic liber in duas partes principales, quæ poſtea diuiduntur in tractatus: in prima affert cauſas mutationum rerum publicarum, & itē cauſas conſeruationū earundem, in quibus dominantur plures; in ſecunda affert cauſas mutationum, & item conſeruationum, earum rerum publicarum, in quibus dominatur vnus.

vnus. Prima pars principalis diuiditur in duos tractatus quorum altero affert causas corruptionis rerumpublicarum, in quibus dominãtur plures: in altero causas conseruationis earundẽ. Primus tractatus diuiditur in quinque capitula, quorũ primo breuibus verbis proponit ea, de quibus est dicturus, & sumit vnum fundamentum, vel principium commune, vnde oriuntur variæ species rerumpublicarum, & inuicem permutantur: in secundo affert causas in genere mutationum omnium rerum publicarum, in quibus plures dominantur: in tertio affert causas particulares mutationis status popularis: in quarto affert causas particulares mutationis optimatum.

Primum capitulum diuiditur in quatuor partes, quæ inferius patebunt: in prima autem parte philosophus affert suam intentionem, & ordinem procedendi: patet textus.

Oportet autem prius illud principium assumere, quòd plures sint formæ rerumpublicarum, & confitentur quidem omnes iustum, & secundum proportionem æquale, sed aberrant ab eo, vt est antea dictum; nam populus constat ex ijs, qui cum sint secundum quid æquales, putant se simpliciter pares esse. paucorum verò potentia ex ijs, qui cum præstent aliqua re, sintq; inæquales, se in cunctis præstare arbitrantur, inæqualesq; esse: opibus enim superantes, simpliciter existimant superare. deinde verò alij quasi pares existentes in cunctis, dignum putant se parem portionem habere; hi autem quasi superiores sint, maiora sibi competere arbitrantur; maius enim inæquale. habent igitur omnes secundum quid iustũ, sed simpliciter aberrant. Et ob eam causam, quando non pro opinione sua vtrique reportent de republica. seditiones concitant. omnium verò iustissimè hoc facerent, qui virtute præcellunt, qui tamen minimè omnium id faciunt. nam id simpliciter rationabile est, ut hi soli præferantur, habeanturq; inæquales. sunt autem quidam, qui præstantes genere, plus habere, se dignos putant. Videntur nobiles esse illi, quorum maiores virtute, & diuitijs præditi fuere; hinc principia et fontes (ut ita dixerim) seditionum oriuntur. Quapropter & mutationes meritò fiunt, quandoq; ex præsenti statu ad alium, ceu ex populari gubernatione, ad paucorum potentiam.

tiam, vel ad popularem ex paucis, vel ad rempublicam optimatem ex illis, vel ad alias ex istis: quandoq; præsentem gubernandi formam non quærunt mutare, sed in ea permanentes per se illam suscipiunt, vt paucorum potentiam, vel monarchiam. Insuper circa magis et minus, ceu vel paucorum potentiam existentem magis extendere, vel coercere, vel popularem statum ampliare vel restringere, eodemq; modo de alijs speciebus ampliandis vel restringendis: adhuc autem in parte aliqua reipublicæ mouenda, ceu magistratum quendam de nouo inducere vel remouere, vt apud Lacedæmonios ferunt aliqui Lysandrum tentasse, regiam potestatem tollere, & Pausaniam regem, Ephoros, & Epidamni, respublica est mutata in parte; nam pro tribuum præfectis consiliarios creauerunt: in eo verò magistratu, quem Athenienses eliæam vocant, necesse est etiam eorum qui in republica versantur, magistratus abire, cũ quis suffragijs in magistratu creatur. Paucorum autem potentia erat, ꝙ unus in hac republica erat princeps: ubiq; enim propter inæqualitatem oritur seditio: disparibus tamen non existit proportio: perpetua enim potestas regia, iniqua foret, si esset in paribus. omnino enim quærentes æquum, in seditiones incidunt.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus accipit fundamentum vel principium, à quo oriuntur diuersæ species rerum publicarum, & inuicem permutantur. Nam omnes ciues confitentur iustum, & dicunt esse conseruatiuum ciuitatis, sed alij alio modo sumunt iustum. quo fit vt emergant diuersæ formę rerum publicarum: etenim populares dicunt iustum consistere in ipsa paritate, vel ęqualitate: ex quo emergit gubernatio popularis: habent enim ciues vnam conditionem in tali republica, videlicet ipsam libertatem, in qua sunt pares, & credunt in cunctis conditionibus simpliciter & absolute pares esse debere, in quo falluntur. Alij sunt, qui dicunt æqualia non debere tribui inæqualibus, sed his, qui diuitijs præstant, plura esse tribuenda: tales autẽ sunt opulenti, qui plura sibi tribuenda putant, & quia sunt inæquales ex eo quod excedunt alios vna conditione diuitiarum, putant in cunctis omnino, & simpliciter præstare debere, in quo falluntur. Cum igitur tales ho-

mines non reportant præmia secundum opinioné suam, illi secundum æqualitatem, hi secundum opulentiam, dicunt se non habere iustum, & seditiones concitant. Sunt alij ciues virtute præstantes, quia plura sibi, quàm ceteris, tribuenda putant & vere putant: Non enim falluntur opinione sua cum penes virtutem debeat iustum magis attendi, quàm penes diuitias, aut nobilitatem, aut huiusmodi externa bona. Hi tamen, si non recipiũt quos merentur honores, minime omniũ mouentur, quia ob suam probitatem fugiunt seditiones. Sunt alij præter hos genere præstantes, qui maiora, quàm cæteris rebus, nobilitati tribuenda esse existimant, & si non habẽt, indignantur. Hinc igitur, idest & his opinionibus, quas de se habent huiusmodi homines varijs modis metientes iustum, & vt plurimum seipsos fallentes, discordiæ oriuntur, & mutationes rerum publicarum. Veluti ex populari statu mutatio interdum fit in paucorum potentiam, interdum contra: aliquando etiam ex illis ad rem publicam vel optimates, interdum etiam ex istis ad illas. & quandoq; fit, vt non mutetur respublica, sed eadem permanente quidam gubernationem suscipiant. Fit etiam interdum alteratio quædam secundum magis, & minus, manente eodem genere gubernationis. Accidit etiam aliquando, vt mutetur aliqua pars reipublicæ, veluti si magistratus quidam afferatur, qui antea non erat, vel remoueatur, qui antea erat, vt exemplis ostẽdit philosophus. *Oportet autem prius*, idest oportet autem primo sumere principium, quod multæ oriuntur, vel fiunt respublicæ, idest species rerum publicarum omnibus quidem confitentibus iustum, & secundum proportionem seu proportionalitatem æquale; ab hoc autem aberrant, vt dictum fuit. *cum præstent*, idest inæquales sint, videlicet si diuitijs excedant, *vt ita dixerim*, idest, vt summatim, vel simpliciter dicam. *Simpliciter aberrant*, quia existimant habere iustum simpliciter, cum habeant secundum quid.

Est enim duplex est æquum: unum numero, alterum dignitate. numero

mero quidem, ceu multitudine, ac magnitudine idem & æquum: di gnitate autem dico, id quod est secundum rationem, ut secundum numerum, æquali excedunt tria duo, & duo unum: sed dico secun dum rationem excedere duo, & duo unum: nam duo pars æqua quaternorum, & unum duorum, ambo enim medietas. Fatentes au tem simpliciter esse iustum, id quod est secundum dignitatem, con tendunt: vt dictum est. alij, quia si in aliquo sint pares, se pe nitus pares esse existimant: alij quia si in aliquo præstant, in cun ctis se superare arbitrantur.

Hæc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus, cum antea dixerit, quod circa id quod putabant esse iustum & æquum, pleriq; fallebantur, atq; ex eo seditiones concitabant, nunc ad declarandum istud funda mentum distinguit æquum vel æquale, & dicit, quod est duplex: vnum secundum numerum, idest secundum pro portionem vel proportionalitatem arithmetricam, alterum secundum dignitatem, idest secundum proportio nem vel proportionalitatem geometricam, vt exemplis ostendi potest. Exemplum iusti & æqui secundum numerum & quantitatem, est huiusmodi: tria excedunt duo, & duo excedunt vnum pari modo, quia sicut tria in vno superant duo, sic duo in vno excedunt ipsum vnum. Exemplum iusti secundum dignitatem, & æqualitatem rationis est tale: sicut se habent quatuor ad duo, ita duo ad vnum: est enim talis proportio, seu ratio dupla. nam sicut quatuor excedunt in dimidio duo, ita duo excedunt in dimidio vnum: vbi similitudo rationis attenditur. atque vt hæc clarius intelligantur, alia afferamus exempla, & primo sumamus proportionalitatem geometricam hoc pacto: sicut se habent nouem ad sex, ita sex ad quatuor. Istæ dicuntur proportiones sesquialteræ, quia maior numerus continet minorem cum di midio eiusdem. Vel hoc pacto: sicut se habent duodecim ad sex ita octo ad quatuor. Est enim talis proportionalitas, vt ita loquar, ex duplis. Sumamus nunc arithmeticam, idest secundum numerum. sicut se habent octo ad sex, ita sex ad quatuor. Hic igitur octo ex-

cedunt ſex in duobus, & ſex excedunt quatuor in totidem. Differt autem hæc geometrica, quia in geometrica attenditur ſimilis proportio, videlicet vt ſimilis, ſexquialtera, vel dupla: in arithmetica vero idem exceſſus quantitatis. Nam vt dictum fuit, octo excedunt ſex in duobus. & ſex excedunt quatuor in duobus: tamen ratio, vel proportio eſt diuerſa. nam octo ad ſex habent proportionem ſexquitertiam: & ſex ad quatuor habent proportionem ſexquialteram: ergo differunt. Verum hæc ſunt à nobis in expoſitione Ethicorum latius tractata. Omnes igitur, dicit philoſophus, in re publica clamant æquum & iuſtum ſecundum dignitatem eſſe ſeruandum, vbi attenditur ratio dignitatis, & merentium conditio. Falluntur tamen poſtea; quia alij ſecundum libertatem, alij ſecundum diuitias metiuntur huiuſmodi iuſtum, & ſe dignos honoribus arbitrantur. nam populares attendentes dignitatem penes libertatem, dicunt, quod æquales libertate ſunt ſimpliciter & omnino æquales, & pariter digni. Excedentes vero diuitijs dicunt, quod qui ſunt inæquales diuitijs, ideſt præſtant diuitijs ſimpliciter ſunt inæquales, ideſt impares, & præſtare debent omnino, atq; ſimpliciter. *Ceu tria excedunt duo*, ideſt ſecundum æqualem numerum tria excedunt duo, & hæc, ſcilicet duo excedunt vnum. *Dico autem*, ideſt ratione autem quatuor excedunt duo, & hæc vnum, vbi attenditur proportio dupla, & non quantitas. nam quatuor excedunt duo in duobus, ſed duo non excedunt vnũ in duobus: ergo exceſſus eſt inæqualis, ſed proportio eſt dupla in vtriſque vt ex dictis patet.

Quam ob rem duæ præcipuè ſunt gubernandi formæ, populus ſcilicet, & paucorum potentia. Nobilitatem enim ac virtutem in uerbis quidem omnes ferè vſurpant: etenim qui reuera nobiles ac boni ſint, nuſquam centum reperiuntur, diuites autem multis in locis.

Hæc eſt quarta pars huius capituli, in qua philoſophus affert tres ſententias, quas appellant corrolaria, emergentes ex dictis. Prima eſt, quod duæ ſunt præcipue guber-

gubernandi ſpecies, videlicet popularis gubernatio, & paucorum potentia probatur. Illæ formæ rerum publicarum, quarum actores frequentius reperiũtur, frequentius fiunt: at popularis,& paucorum potentia ſunt huiuſcemodi, ergo iſtæ frequentius fiunt, atque emergunt, quàm aliæ. Patet ratio,quia pauperes & liberi, & huiuſmodi homines,qui popularem ſtatum cõficiunt,frequentes reperiuntur: paucorum potentiam qui conficiunt, ſunt diuites,qui & ſi pauciores reperiuntur,quàm populares,tamen frequentius vbiq; ſunt,quàm ſtudioſi. *Nobilitatem enim ac virtutem*, ideſt nobilitas & virtus eſt in verbis,& ideo raro optimates reperiuntur.

Simpliciter uerò omnino ſecundum alterutram ſtatuere æqualitatem, improbum eſt: patet autem ex eo quod contingit: nulla. n. huiuſmodi rerumpublicarum recipit ſtabilitatem. Cauſa verò huius,quia impoſſibile eſt ex primo errore in principio commiſſo, non euenire ad extremum aliquid mali: quare opus eſt partim arithmetica æquitate uti, partim ea quæ eſt ſecundum dignitatem.

Secunda ſententia eſt,quod non eſt ſtatuenda æqualitas ſecundum alterutram conditionem,ideſt ratione libertatis vel diuitiarum,& probat hoc philoſophus ſigno quodam. Dicit.n.quod huiuſmodi reſpublicæ ortæ ex tali fundamento atq; opinionis errore,ſtabilitatem non habent,quia ſtatim concitantur ſeditiones. nam ſi ſtatuitur æqualitas ratione libertatis, vt populares volũt,ſtatim diuites & homines inſignes clamant, & indignantur ſibi pauperes & ignobiles æquari: ſin vero ſtatuitur reſpectũ diuitiarum, (æquum enim diuites putant ſe dignitate atque honoribus præſtare debere, quia diuitijs præſtant) tunc pauperes indignantur, & ſe pares libertate eſſe dicunt,atq; ex eo ſeditiones concitant. quare tolerabilius eſt in his vti partim vel quandoq; æqualitate ſecundum arithmeticam proportionem, vbi attenditur æqualitas quantitatis, partim vel quandoque æqualitate ſecundum geometricam, vbi attenditur ratio dignitatis,vt altera cum altera compẽſata communiorem, & ſtabiliorem efficiat gubernationem: alterutrã,ideſt,vel

rationem diuitiarum tantum, vel libertatis tantum. *Ex primo errore*.i.ex malo fundamento, & opinionis errore.

Verũtamen tutior est, ac minus seditioni subiacet popularis gubernatio, quàm paucorum. nam in paucorum gubernatione duæ gignuntur seditiones: una inter seipsos, alia ad populum, in gubernationibus autem populi, vnà tantum seditio fit, ad paucorum potentiam, ipsis vero inter se (quod quidem dignum dictu sit) non accidit seditio populi. Insuper mediocrium hominum gubernatio, propinquior est populari gubernationi, quàm illi quæ paucorum, quæ quidem est magis tuta, quàm aliqua huiusmodi rerum publicarum.

Tertia est sẽtẽtia quod popularis stabilior est, quàm paucorum potentia: dixit enim ambas esse parum firmas. Verũ ne videretur eas pariter esse mutabiles, ideo ex dictis infert, quod popularis est firmior duabus rationibus: prima est, quia minus agitatur seditionibus, quàm paucorum potentia, quę nunc cum populo, nunc inter se habet contentiones: secunda, quia propinquior est reipublicæ ex mediocribus hominibus constitutæ quàm paucorum potentia.

Cum verò consideremus quibus de causis seditiones, mutationesq; rerumpublicarũ eueniunt, capienda sunt primo vniuersaliter principia, & causæ eorum. Sunt autem ferè (ut ita dicam) tria numero, de quibus primo secundum se succinctè determinandum est, videre enim oportet, quemadmodum dispositi ad seditiones deueniunt, & quarum rerum gratia, & tertio quæ sunt principia ciuilium turbationum, ac seditionum inter ciues.

Hoc est secundũ capitulum huius primi tractatus, in quo philosophus posteaquam attulit principium, vnde oriuntur diuersę species rerum publicarum, & inuicem permutãtur & distinctionem ęqui & iusti secundũ arithmeticam & geometricam proportionem seu proportionalitatẽ, nunc affert cões causas seditionum in rebus publicis, in quibus plures dominantur. Diuiditur autẽ hoc capitulum in duas partes: in prima affert tria principia mutationum: in secunda declarat illa tria principia: in prima igitur parte dicit philosophus, quod oportet con

siderare

ſiderare cauſas communes, ex quibus fiunt, mutationes: & affert tria principia, de quibus communiter, & in genere eſt determinandum: primo eſt conſiderandum, quæ nam ſit radix atque origo, per quam illi ad ſeditiones concitandas diſponuntur: ſecundo quarum rerum gratia contendunt: tertio quæ ſint cauſæ effectrices ſeditionum in rebus publicis.

Quod quidem igitur diſponantur ad res nouas appetendas, illa eſt potiſsima cauſa, de qua iam diximus. hi quidem quia pares eſſe volunt ijs, qui plus habent, niſi hoc ſit, ſeditiones concitant. illi uerò (quia inæqualitatem affectant & exceſſum) ſi ſe arbitrantur non plus habere cum ſint inæquales, ſed æquale, aut minus, adæquè ſeditioſi ſint: hæc autem quandoq; iuſtè cupiuntur: quandoq; iniuſtè. Inferiores quidem ut pares ſint, ſeditiones moliũtur, & pares qui ſunt, vt præſtent. Quemadmodũ igitur diſpoſiti ſunt, qui res nouas ſeditionesq; quærunt, dictum eſt.

Hæc eſt ſecunda pars huius capituli, in qua philoſophus declarat illa tria, quę proponit. incipit autem declarare primum, ideſt qua diſpoſitione affecti ciues mouent ſeditiones, & dicit quod cauſa eſt illa, quàm attulit antea. nam quidam ciues ex eo, quod exiſtimant ſe debere in diſtributione honorum recipere æqualia, poſtea dolent cum vident alios plus recipere, quos exiſtimant ſibi eſſe æquales. Quidam verò ſe digniores putantes, cum non habeant pluſquam cęteri, diſponuntur ad ſeditiones. Hęc autem iuſte vel iniuſte petũtur, prout homines merentur, vel non merentur: omnes tamen dicunt, ſe æquum & iuſtum quęrere; ſed plerique falluntur opinione, quam de ſe, & etiam de iuſto habẽt. nam alij libertate, alij diuitijs, pauci virtute id metiuntur. Cum igitur ciues per ſe ipſos decipientes non habẽt id quod putant ſibi deberi, diſponuntur ad ſeditiones. Malum itaq; iudicium quod de conditionibus ſuis, & de ęquali quod eſt iuſtum, & inęquali ei oppoſito habent, eſt cauſa diſpoſitiua ſeditionis: qui plus poſſunt, ideſt qui ſunt inęquales.

Res autem pro quibus ſeditionibus contendunt, ſunt lucrum, &

 honor,

honor, atq; his contraria: dedecus enim & damnum, uel ipsorum uel amicorum fugientes, seditiones in ciuitatibus agunt.

Declarat secundum, quod proposuit, & ostendit, quod ea ob quæ contendunt, sunt lucrum & honor, & his contraria damnum & dedecus. ob hunc igitur finem, quia lucrum & honorem quærunt, fugiunt opposita non solum sibi, sed etiam amicis suis, ideo seditiones in rebus publicis concitant.

Causæ vero, ac principia motionum, vnde ipsi ita disponuntur, & pro ijs quæ diximus, sunt vt septem, sunt etiam ut plura, quorum duo sunt eadem cum illis, quæ dicta sunt, non tamen eodem modo, propter enim lucrum, & propter honorem irritantur inuicem, non vt acquirant sibiipsis (ut dictum est prius) sed quia vident alios, partim iniustè, partim iustè plus in ipsis habere. Insuper propter contumeliam, propter metum, propter præpotentiam, propter contemptum, propter incrementum excessiuum, præterea & alio modo, propter verecundiam, propter negligentiã, propter paruitatem, propter dissimilitudinem.

Affert tertium philosophus, quod proposuit, & primo affert causas effectrices seditionum, postea declarat illas. Ostendit igitur in primis, quod principia effectiua seditionum sunt septem, vel etiam plura. nã aliquo modo septem dici possunt, aliquo modo plura: & sumit primo duo nuper allata, videlicet honorem & lucrum. Sed supra considerauit hæc duo, vt appetuntur & sic habent rationem finis: hic vero considerat ea, vt sunt in alijs, & sic rationem habent causæ efficientis. Vt enim cernũtur in alijs, & putantur iniuste esse locata, efficiunt vel mouent indignationem ad seditiones cõcitandas. Sunt aliæ præterea causæ impellentes ad motus, videlicet contumelia, metus. s. pęnarum, prępotentia vnius, vel plurium hominum, contemptus: incrementium nimium alicuius partis. sunt alia pręter hæc, verecundia: i. indignitas personarum, quæ eliguntur & assumuntur ad magistratus, tunc oritur non seditio, sed quædã indignatio, quæ deinde est causa mutationis: insuper negligẽtia in gubernando: item pusillitas. i. parua distantia à nihilo: item impa

ritas,

ritas, quæ est dissimilitudo eorum, qui moribus, & conditionibus sunt dissimiles. *Vt plura.* quia possunt reduci ad septem, tamen si volumus ampliare erunt plura.

Horum autem contumelia, & lucrum quã habeant vim, & quot seditionum causæ, ferè est manifestũ: contumelia enim, et auaritia eorũ qui gubernant, homines prouocantur ad seditiones contra illos, & contra statum reipublicæ, quæ ista fieri patiatur: auaritia verò quandoq; ex priuatis rebus fit, quandoq; ex publicis.

Declarat philosophus causas allatas, & affert etiam alias effectrices seditionum, vt successiue patebit. Dicit autem in primis explicando duas causas simul quod ferè est manifestum, quam vim habeant contumelia & lucrũ, & qualiter sint causæ seditionis. nam superbia & cupiditas plus habendi prouocant homines in eos, qui gubernant rem pub. *Quot sunt*, idest quo pacto sunt causæ. *Auaritia*, idest cupiditas plus habendi.

De honore etiam clarum est, & quid valeat, & quomodo causa sit contendendi: ipsi enim inhonorati, & alios honoratos cernẽtes, seditionem aggrediuntur. Hæc autem iniustè quidem fiunt, cum præter dignitatem honorantur quidam, vel inhonorantur, iustè uerò, cum secundum dignitatem.

Declarat aliam causam, qua contingit, vt seditio fiat, cum hi, qui posthabentur cernentes eos qui honorãtur, non quiescunt, sed moliuntur seditionem.

Propter præpotentiam autem, quando quis maior fit & potentior, vel vnus, uel plures, quam secundum ciuitatem & potẽtiam reipublicæ, consueuit enim ex talibus fieri vnius dominatio, uel gubernatio violenta. Quapropter quibusdam in locis ostracismo vtuntur, ceu Argis & Athenis, atqui melius erat ab initio prouidere, ne in huiusmodi potentiam augeri homines permitterentur, quàm post contra auctos remedium quærere.

Declarat aliam causam seditionis, quando præpotentior fit, & ostendit, quod melius erat ab initio prouidere, ne tale eueniret, vt patet in textu. nam omne malum nascens, vt inquit Cicero, facile opprimitur: inueteratum fit plerunq; robustius: & principium est plusquam dimidium totius.

Propter metum verò ad seditionem deueniunt, qui formidant ob maleficia commissa ne pœnas dent, et hi contra quos paratur uiolentia, præuenire volentes, priusquam malum patiantur, vt apud Rhodum, nobilitas contra plebem insurrexit metu iudiciorum, quæ sibi parabantur.

Declarat aliã causam & exẽplo Rhodiorũ confirmat.

Propter contemptum verò ad seditiones deueniunt & insurgunt, ceu in paucorum potentia, quando plures sunt illi qui à republica excluduntur, potentiores enim se putant. Et in populari statu, opulenti contemnentes inordinationem & malam administrationem eorum, qui rempublicam gubernant: ceu apud Thebanos post pugnam in Onophytis commissam, mala gubernatione, popularis status interijt. Et in Megarensibus, cum per inordinationem & magistratuum negligentiam superati sunt. Et Syracusis ante Gelonis tyrannidem. Et Rhodij populus, anteaquam contra insurgeretur.

Declarat aliam causam, & exemplo multarum ciuitatum comprobat.

Fiunt etiam propter incrementum excessivum mutationes rerum publicarum: vt enim corpus ex partibus suis constat, et oportet eas simul pro modo quamq; suo crescere, vt commensurationis maneat harmonia, ac nisi hoc fiat corrumpitur (ceu quando pes quatuor cubitorum sit, cæterum verò corpus duorum palmorum longitudinem habeat, interdum etiam in alterius animalis figuram transire queat, si non solum quantitate, verumetiam qualitate immoderatum fieret incrementum) ita & ciuitas ex partibus constat, quarum interdum aliqua latenter succrescit, ceu egenorum hominum multitudo, in popularibus gubernationibus & rebuspublicis. Contingit verò quandoq; id per fortunam, uelut apud Tarẽtum, cum superati prælio ab Iapygensibus, nobilitatis magnam partem amisissent (fuit autem id prælium paulopost id tempus, quo Medi Græciam inuaserunt) ad popularem statum ex repub. est facta mutatio. et Argiui post cædem suorum in Hebdoma à Cleomene Spartiata factam, coacti sunt inquilinos quosdam ad rempub. recipere. Et Athenis, cum terra malè pugnaretur aduersus Lacedæmonios, nobilitas attenuata est, cum ex descripto se submittere ad bellum cogeretur: contingit autem hoc in popularibus gubernationibus,

tionibus, rarius tamen. Pluribus enim diuitibus existentibus, vel diuitijs in pluribus auctis, mutatio fit in paucorum potentiam atque potentatum.

Declaratur aliam causam cōparatione partium corporis & multarum ciuitatum. exempla affert, quæ sunt clara in textu. *Ex descripto*, ideſt electione.

Mutantur etiam respublicæ, absque seditione, propter verecundiam: vt in Horea: cum enim per electionem sumere magistratus solerent, postea sortiti sunt, ex eò quod electiones eorum in homines turpes, pudendosq; cadebāt. Et propter negligentiam, quandoque sinunt ad summas potestates eos assumi, qui non sunt amici status eorum. per quem quidem modum, apud Horeum euersa est paucorum gubernatio, per Heracleodorum, qui magistratum nactus, gubernationem ciuitatis ex paucorum potentia, ad popularem statum traduxit.

Declarat vel ponit aliam causam mutationis, scilicet verecundiam, ideſt cum assumuntur ad magistratus homines indigni illo magistratu, tunc fit mutatio absq; seditione. Nam vbi antea solebat eligi magistratus per electionem, postea assumuntur sorte vel contra. *Verecundia*, ideſt indignitas personarum, Græcè dicitur conductio hominum ad seruiendum. *Turpes pudendosq;*, ideſt quasi sordidos. *& propter negligentiam*, declarat aliam causam, vt patet in textu. *oreum*, est oppidum in Eubœa.

Insuper propter pusillum. dico autem pusillum, quando latet paulatim succrescens reipublicæ mutatio, quæ ad magnitudinem latenter euadit, si negligatur id quod pusillū: quemadmodū apud Ambraciotas à paruo censu prius erant magistratus: tandem verò à nullo fuerunt, quasi nihil aut propè foret inter parum & nihil.

Explicat aliam causam, quæ est pusillitas. Sunt enim paruæ institutiones, quæ si negligantur, paulatim fiunt magnæ, veluti apud Ambraciotas contigisse dicit.

Seditiones etiam concitant aduenæ, donec in eadem simul conspiratione deuentum sit. vt enim non ex quauis multitudine constituitur ciuitas, ita etiam neque in quouis tempore. Quapropter quicunque iam inquilinos susceperunt aduenas, omnes ferè seditionibus iactati sunt. ceu Sybarim, vnà cum Trœzenijs, incoluerunt

runt Achæi, postea maiorem in numerum crescentes Achæi, Træzenios pepulerunt: vnde ortum odium est Sybaritis. & in Thurijs idem fecerunt Sybaritæ contra illos, qui eos receperant. nam plus habere volentes, quasi de suis agris pulsi sunt. Et apud Bysantium aduenæ in oppressionem ciuium coniurati, cognita re prælio & armis expulsi sunt. Et Antissæi, exules ex Chio susceptos, tandem armis deijcere coacti sunt. Zanclæi verò qui Samios receperunt, mox ab eis sunt propria ciuitate deiecti. Apolloniatæ qui sunt in Euxino ponto, aduenis receptis, seditione agitati sunt. Et Syracusani post tyrannos expulsos, cum hospites & conductos milites fecissent ciues, in seditionem & prælium inciderunt. Et Amphipolitæ, receptis Chalcidensiū colonis, pulsi tandem ab illis sunt ferè omnes. Seditionem autem concitant in paucorum quidem potentia, multitudo, indignè ferens (quemadmodum dictū est prius) quod cum ipsi sunt pares, non æquè honorantur. In populari verò statu nobilitas quod par fiat cæteris, cum ipsi sint præstantiores.

Declarat aliā causam seditionis, quam in enumerando appellauit imparitatem vel dissimilitudinem, quæ fit cum peregrini admissi sunt ad rempublicā gubernandam, dicit philosophus, & exemplis ostendit. Et hoc inquit videtur accidere, donec in eandem dispositionem & similitudinem morū peruenerit. *Peregrinitas*, idest dissimilitudo ciuium ex peregrinis locis in ciuitatem perducta, At in paucorum potentia multitudo occasionem habet mouendi seditiones, & in populari statu nobilitas ex ipsa quoque dissimilitudine.

Incidunt autem quandoque in seditionem ciuitates propter situm quando talis est locus, vt non ad vnam eandemque gubernationem sit aptus. vt Clazomenijs accidit, qui in Chytro habitant, contra eos qui habitant in insula. Et Colophonijs erga Notios. Athenis quoque non eodem modo, sed multò magis populares sunt qui in Pyræo habitant, quàm qui in vrbe. vt enim in prælijs transitus fossarum, etiam si admodum paruæ sint, interrumpit ordines militum, ita in ciuitate dissimilitudo omnis videtur dissensionem facere. Maxime forsan dissident virtus, & vitium, deinde paupertas & diuitiæ, & alia magis, quàm alia, quarum rerum vnā est illa, de qua diximus.

Affert

Affert aliam causam seditionis, quæ fit ex diuersitate loci, vt exemplis quarundam ciuitatum, & comparatione præliorum probat philosophus. Quare omnis diffidentia seu diuersitas in ciuitate facit seditionem: sed maxime seditionem facit dissimilitudo, & distantia morum, quæ est inter virtutem & vitium: quia proponunt sibi diuersos fines: posthæc paupertas atque diuitiæ, vt patet in textu.

Oriuntur autem seditiones non pro paruis rebus, sed ex paruis ad magna perueniunt. maxime verò etiam paruæ corroborantur, quando in principalibus fiunt, vt contigit Syracusanis antiquitus: mutatus est enim ciuitatis statis propter duos adolescentes, qui in magistratu constituti, simultatem inter se habuerunt, ex amatoria causa. altero enim absente, alter (cum sodalis eius esset) puerum, quem amabat, sibi conciliauit, at ille reuersus, cum id grauiter ferret, vxorem illius habere studuit. ex hoc, omnes qui versabantur in republica, diuerso fauore diuiserunt. Quamobrem ab istis principatibus cauendum est diligenter. ac dissoluendæ statim sunt eorum discordiæ, qui multum in republica possunt. in principatu.n. peccatur, principatus autem dicitur dimidium esse totius, itaque paruum in principatu erratum, correspondens est ad alias partes. Omnino autem excellentium virorum discordiæ, totam post se trahunt ciuitatem, vt contingit apud Hestiæam, post popularem statum: duobus enim fratribus de diuisione patrimonij contendentibus, vnus eorum qui erat pauperior, quasi non exhibente altero fratre bona omnia, neque thesaurum quem pater inuenerat proferente, querebatur, ac populum in suos fauores pertraxerat: alter verò, qui diuitijs pollebat, locupletes sibi acciuerat. Et in Delphis ex affinitatis causa, contentione exorta, principium fuit seditionum omnium, quæ postea fuerunt in ea ciuitate secutæ. hic enim cum sibi triste augurium incidisset, vt venit ad sponsam: suscipere illam noluit. illi verò quasi spreti atque contempti, sacrorum quiddam (eo sacrificante) iniecerunt, atque vt sacrilegum accusantes, capite dãnari fecerunt. Mitylene quoque seditio ex hæreditate coorta, magnorum malorum fuit origo, inde quoq; bellum Athenienſibus contra Mitylenos susceptum, in quo urbs eorum à Pachete duce capta fuit. Timophane enim quodam opulento homine, vita functo,

cum

cum duæ filiæ superstites fuissent, Doxandrus quidam dari illas filijs in matrimonium concupiuit: quod cum assequi non potuisset, alios sibi prælatos dolẽs, res nouas moliri aggressus: Atheniensibus quibus erat publicè hospes, bellum suscipere persuasit. Et apud Phocenses seditio exorta est ex hæreditate, inter Mnaseam Mnesonis patrem, & Euthycratem Onomarchi. hæc seditio Phocensibus initium fuit eius belli, quod sacrum appellauerunt. Mutatus est ẽt Epidamni ciuitatis status ex nuptijs, desponderat .n. quis filiam, cum verò pater desponsatæ magistratum gerens, illi damnum irrogasset, quasi despectus, omnes qui præsenti ciuitatis statu infensi erant, per factionem ad se recepit.

Affert aliam causam philosophus, qua ostendit, quod interdum seditiones oriuntur non de paruis rebus, sed à paruis incipiunt, deinde magnum suscipiunt augumentum, & vires acquirunt eundo, præsertim si talia discordiarum semina incidant in primarios ciuitatis. *Correspondens est*, idest proportionaliter se habet ad reliquas partes., veluti parua alteratio in corde animalis magnã facit in reliquis partibus, & modica diuersitas in semine magnam facit in eo, quod fit ex semine. Quare paruum erratum in principio magum in fine habet momentum. *Et in Delphis ex fauore partium*, idest in Delphis ex matrimonio seu sponsalitio facta discordia principium fuit omnium seditionum, quæ postea secutæ sunt. *Hic enim*, scilicet gener. *Sacrorum quiddam*, idest aliquod vas accommodatum ad sacrificium iniecerunt, vel immiscuerunt inter sua, ac si ille surripuisset.

Fiunt etiam mutationes in paucorum potentia, & in populari statu, & in ea quæ appellatur respublica, ex eo quod aliquod collegium, vel aliqua pars ciuitatis famam sit vel augmentum maiorem in modum consecuta. vt apud Athenienses, Ariopagi consilium per tempora belli Persarum, famam consecutum seueriorem reipub. gubernandi formam videtur fecisse. Et rursus naualis turba, quod causa victoriæ Salaminensi bello fuisse videbatur, & ob eam victoriam principatum maris acquisisse ciuitati, popularem statum validiorem effecit. Et apud Arginos, nobilitas, quod in prælio contra Lacedæmonios, apud Mantiniam vrbem commisso,

magnam

magnam famam consecuta erat, popularem statum delere tentauit. Et apud Syracusanos multitudo vrbana, quod causa victoriæ belli aduersus Athenienses videbatur fuisse, rempub mutauit ad popularem statum. Et apud Chalcidenses, quod simul cum nobilitate ad opprimendum Phoxum tyrannum plebs insurrexisset, statim reipub. gubernationem suscepit. Et apud Ambraciam eodem modo, populus cum aggressoribus Periandro tyranno expulso, in seipsum gubernationem conuertit. Et omnino hoc latere non oportet, quod qui potentiæ causa fuerunt, siue priuati, siue collegia publica, siue tribus, siue pars aliqua ciuitatis, siue quæcunq; multitudo, seditionem commouent. aut enim qui honori eorum inuident seditionem faciunt, aut ipsi propter præualentiam par habere cum cæteris non acquiescunt.

Affert aliam causam philosophus, qua mutationes tam in paucorum potentia, quàm statu populari, quàm etiam in republica communi nomine vocitata, fiunt. Id autem fieri dicit, cum aliqua pars ciuitatis, siue victoria adepta, siue re aliqua egregie gesta famam vel augumentũ consequitur, vt pluribus exemplis ostendit. Contingit autem mutatio talis, aut ex parte inuidentium rebus egregie gestis, aut ex parte eorum, qui ob uictoriam maiorem quàm antea, potentiam consecuti cæteris se æquari non patiuntur, vt de Ariopagi consilio dicit philosophus. Nam cum senatus ille confirmasset sententiã Solonis, quod mœnia ciuitatis erant naues, adepta victoria magnam est authoritatem in ea repub. consecutus. Affert etiam alia exempla, quæ patent in textu.

Mouetur quoque respublica, quando partes illæ ciuitatis, quæ contrariæ videntur esse parificantur ad inuicem (ceu diuites & plebs) medium autem, aut parum aut nihil omnino sit. si enim quæuis pars ita robusta fiat, vt ad id quod prædominabatur proximè accedat, post hac minimè vult discrimina subire. Quapropter & qui virtute præcellunt, nullam (vt ita dixerim) faciunt seditionem: pauci enim sunt, alij uerò permulti. Vniuersaliter ergo in cunctis rebuspublicis, initia causæque mutationum ac seditionum, in hunc modum fiunt.

Affert aliam causam seditionis: nam fit, vt mutatio-

nes

nes interdum oriantur, cum duę partes in ciuitate, quæ videntur esse contrarię, vt pauperes & diuites, adæquantur, & non sunt tot medij ciues, qui eos contineant, ne alteri alteros inuadant. Pares enim cum sint, quilibet vult præualere alteri. Quod si alterutra pars ita robusta fiat, vt sit manifeste superior, reliqua non vult periclitari, sed quiescit, quia viribus inferior est. Quin etiã viri studiosi, licet virtutibus præstent, tamen cum sint pauci & probi viri, ipsi quoque quiescunt. Vnde partes illæ contrariæ si pares sint viribus, mouentur; sin alterutra manifeste superior sit, cedit alia & quiescit, vt dictũ fuit. *Si enim quæ vis*, idest si alterutra pars ita robusta fiat, vt manifeste superior sit reliqua, non vult periclitari.

Mutatur autem quandoque respub. per vim, quandoq; per dolum. Per uim autem, statim ab initio, aut postea compellendo. Verum enimuero fraus duplex est: nonnunquam enim decepti ab initio, sua demum sponte recipiunt alium gubernandi modum, deinde postea uiolente conseruant. ut accidit cum quadringenti illi, Atheniensiũ rempub. susceperunt, affirmantes quod Persarum Rex pecunias ad bellum contra Lacedæmonios subministraret, ac in eo mentiti, nihilominus postea ui retinere gubernationẽ conati sunt. Interdum autem ab initio persuadentes, ac postea rursum persuasis, sponte ac uolentibus retinent gubernationẽ. Simpliciter ergo circa omnes respublicas, ex ijs quæ dicta sunt, contingit mutationes fieri.

Postea quam philosophus attulit plures causas seditionũ, affert nunc duos modos mutationis, & dicit, quod respublica quandoque mouetur per vim, quandoq; per dolum. Per vim rursus dupliciter, aut statim, cum altera pars alteri præualuit, aut postea compellendo. Per fraudem quoque bifariam fit mutatio: interdum enim decepti ab initio ciues postea vero coacti tolerant eam gubernandi formã, quam gubernatores introduxerunt: vel paulatim ab initio decepti, ac postea persuasi sponte gubernatoribus cedunt, & eorũ gubernationẽ ferunt.

Sed oportet in unaquaq; specie rerumpublicarum hoc idem considerare. Popularis ergo status, maximè recipit mutationem, propter eorum hominum perfidiam, qui sunt ductores in populo: hi.n.

partim

partim egregios quosque opulentosq; priuatim calumniando, conspirare eos simul compellunt (cogit enim in unum communis metus, etiam eos qui prius erant inimicissimi) partim quidem publicè multitudini sugillando, & hoc ferè ubiq; in hunc modũ fieri uidemus. Nã & apud Coum popularis status interijt, ob prauitatẽ eorum, qui populum ducebant: nobilitas enim conspiratione facta, regimen ciuitatis arripuit. Et apud Rhodum: statutas enim stipendiorum pecunias, quæ conductis militibus soluerentur, potentes quidam in populo pro se retinebant. eratque id impedimento quo minus ea redderentur, quæ triremium debebantur præfectis. præfecti autem classis, cum pecunias non haberent: ac nihilominus nauigare ex lege cogerentur, ueriti pœnam iudicij, conspirationem inierunt, ad popularem statum euertendum. Et apud Heracliam quoque, populus, oppressus est illico post coloniarum emissionem, ob eos qui populi erant ductores: nam illi potentes in populo, illatis iniurijs, nobilitatem expulerunt. illi uerò postea conspirantes, & in unum conuenientes, in urbem reuersi, populum oppresserunt. Nec multò dissimiliter apud Megarenses, popularis status interijt: Ductores enim populi, quo pecunias per bonorum publicationem haberent, multos è nobilitate pepulerant, ut tandem facta sit permagna exulum multitudo: exules ergo in unum conuenientes, prælio superarunt, oppressoq; populo paucorum potentiam constituerunt. Contigit hoc idem apud Cumas, in populari statu, quem destruxit Thrasimachus. & apud alios ferè quis inspiciat mutationes eodem modo contigisse. Interdum enim ut gratificentur iniuriantes, nobilitatem conspirare faciunt, uel patrimonia æquè diuidentes, uel redditus muneribus publicis subijcientes. interdum uerò calumniantes, ut bona opulentorum publicari faciant.

Hoc est tertium capitulum huius primi tractatus, in quo philosophus posteaquam attulit in genere causas communes seditionum, vel mutationam rerum publicarum, in quibus non vnus, sed plures dominantur, nunc in specie affert particulariter causas mutationum, & primũ in hoc capitulo affert causas mutationis popularis status. Diuiditur autem in tres partes quæ suis locis declarabuntur: in prima philosophus ostendit, quod popularis status mutatur interdum in paucorum potentiam

tiam ob perfidiam ductorum populi: qui multitudinem irritando,& calumniando diuites & nobiles,causa sunt, vt illi simul conspirantes, mutent reipublicæ statum. *Egregium*, idest opulentum quemque. *Impositis enim pecunÿs*,idest impositis pecunijs pro stipendio ad bellum,ductores populi vetabant eas dari præfectis. Illi vero cum pecunias non haberent, & cogerentur proficisci ex lege,timentes pœnam, statum mutare aggessi sunt, cuius mutationis fontem,& originem præbuere ductores populi.*Potentes*, idest ductores populi. *per bonorum publicationem*, idest vt bona eorum publicari faciant.

Vetustis quidem temporibus, quando idem erat ductor populi, ac belli dux, populares respublicæ in tyrannidem mutabantur: & profectò antiquorum tyrannorum, plurimi ex popularibus hominibus facti sunt. Causa verò cur tunc fierent, non autem nunc, illa est,quod tunc qui populũ maximè ducebant, erant ex ÿs qui bello gerendo præficiebantur. nondum enim dicendi peritiam habebant: nunc autem Rhetorica arte superueniente, qui dicendi facultatem habent populos ducunt quidem:sed quia imperiti sunt rerum bellicarum, tyrannidem inuadere non audent: nisi sicubi parum aliquid tale accidat. Tyrannides certè frequentius fiebant prius, quàm nunc, & propter magnas potestates quibusdam commissas, ceu Mileti ex pratura: multarum enim ac magnarum rerum potestatem habebat prætor. Ac etiam ob id, quia tunc urbes non erant magnæ: sed rure homines habitabant, se se negocÿs operum exercentes. qui autem præsidebant in populo, cum uiri militares essent, tyrannidem inuadebant, idque agebant omnes, præstita sibi fide à populo, quæ quidem proueniebat ex inimicitia aduersus opulentos,ut Athenis, Pisistratus per factionem contra Pediacos susceptam: & Megaris, Theagenes,armentis opulentorum occisis, quæ iuxta flumen repererat pascentia. Et Dionysius accusans Daphnæum & diuites, meruit tyrannidem Syracusis obtinere, propter inimicitiam nobilitatis, sibi fide à populo præstita, quasi popularis esset.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, quomodo priscis temporibus, & quibus de causis status popularis in tyrannidem vertebatur, & quod

quod nunc rarius contingit. Affert autem tres causas: prima erat, quia antiquitus populares, ac ductores populorum erāt etiam præfecti exercitus, & armis muniti occupabant reipublicæ statum:nunc autem dicit philosophus, ductores populi non fiunt duces exercitus, nec armis nituntur: sed eloquentia & facundia ducunt populum. Secunda causa erat mutationis in tyrannidem, quia magistratus creabantur cum summa potestate,qua. freti quidam rempublicam occupabant. Tertia causa erat, quia ea tempestate ciuitates erant paruæ,& plerique ciues sparsi,incolebant rura, & interim qui in vrbe remanebant, cum essent ductores populi, & viri bellaces, tyrannidem inuadebant, nunc autem raro contingit. *Pediacos*, ideſt potentes sic dictos.

Mutantur etiam respublicæ, ex consueta gubernatione in vltimam speciem popularitatis. cum enim per electionem sunt magistratus, non tamen à censu, eligit autem populus, qui populum ducunt,magistratum ambientes,eò rem deducunt ut sit populus dominus etiam legum. Remedium autem ne hoc omnino fiat, vel vt minus fiat, illud est,vt tribus quidem magistratum eligant non populus vniuersus. Popularium igitur statuum mutationes ferè omnes, per has fiunt, causas.

Hæc est tertia pars huius capituli,in qua philosophus affert causam,cur popularis, & respublica mutatur non in aliam rempublicam genere diuersam,sed in aliam speciem,ideſt in vltimam, quæ omnium popularium est deterrima: & fit talis mutatio, quando per electionē fiunt magistratus à nullo censu, & ipse populus eligit. Tunc .n.ductores populi,qui cupiunt eligi,ambientes populū, eò perducunt illum,vt sit omnium dominus,& etiam ipsarum legum,& tunc populus eligit ex ductoribus,& popularibus hominibus eos, qui magistratus gerant, & sic gubernat ex arbitrio rempub. Remedium deinde affert philosophus ad hoc euitandum:id autem est,vt electiones fiant per tribus,& conueniant aliqui tribules ex vnaquaque tribu,ad creandos magistratus,& non conueniat populus vniuersus. *magistratuum gratia*, ideſt qui magi-

ſtratus cupiunt, & quærunt, ambiunt populum. Sic igitur ſtatus popularis, aut in paucorum potentiam, aut in tyrannidem, aut in vltimam ſpeciem popularis gubernationis permutari ſolet.

Paucorum autem gubernationes mutantur, per duos maximè modos manifeſtiſſimos. vnus, ſi iniurijs afficiant multitudinem. quilibet enim præſes ſufficit, maximè ſi ex numero paucorum dux aliquis exiſtat. quemadmodum in Naxo, Lygdamis, qui tyrannidem poſtea Naxiorũ inuaſit. Habet aũt etiam ex alijs initium ſeditionis differentias. quandoq; enim ab ipſis opulentis, qui non honorantur magiſtratibus, fit diſſolutio, cum perpauci ſint illi, qui honorificas dignitates vſurpant. vt in Maſſilienſibus, & Iſtro, & apud Heracliam, & in alijs ciuitatibus accidit. homines enim ab honoribus excluſi, res nouas moliri non ceſſant, quoad ipſi quoque honorentur: ſeniores quidem fratrum, poſtea verò rurſus qui minores ſunt natu. quibuſdam enim in locis, non ſimul ad rempublicam gubernandam recipiuntur filius & pater: alicubi verò neq; frater ſenior, ac iunior, & vbi paucorum potentia ciuilior euadebat. In Iſtro ad popularem ſtatum ſeditione inter nobilitatem recidit. apud Heracliam verò, ex paucioribus ad ſexcentos. Mutata eſt etiam Gnidi paucorum potentia, ſeditione inter nobililitatem ipſam coorta, ex eo quod pars eorum ab honoribus excludebatur. ſiquidem (quemadmodum dictum eſt) pater filium impediebat, & frater fratrem: nec niſi qui ſenior foret honorabatur: inſurgens .n. populus per illorum diſcordiam ac ducem nactus ex nobilibus, irruens, victoriam obtinuit: imbecillis .n. aduerſa pars erat. Et apud Erythrenſes. In paucorũ gubernatione regiarũ vrbiũ, antiquis temporibus, licet dilig̃eter curarẽt qui in gubernatione earũ verſabantur, tamẽ quia perpauci erant, nõ tulit populus, ſed rẽp. mutauit.

Hoc eſt quartum capitulum huius primi tractatus, in quo philoſophus affert cauſas, & modos, quibus mutantur paucorum gubernationes: modi autem ſunt plures, qui deinceps patebunt. In primis igitur, dicit philoſophus, quod duobus maxime modis, qui ſunt valde manifeſti, mutãtur paucorum gubernationes: primus modus, eſt cũ pauci potẽtes iniuſte opprimunt multitudinem, & cauſam præbent mutationis. *Habet autem*. Secundus mo-

modus, vel secunda causa mutationis est ex seditione di uitum inter se. Continet autem ista pars plures modos, qui declarabuntur. Dicit igitur philosophus, quod cum pauci honorantur opulenti, reliqui diuites ab honoribus exclusi res nouas moliri non cessant, vt in Massilensibus, & in alijs ciuitatibus accidisse ostendit. Mouerunt nanque modum etiam minores natu, idest nunc seniores, nunc iuniores. Alicubi enim non dominantur, idest magistratum gerunt simul pater & filius. Alicubi nec senior frater, & iunior. Illi igitur cum à magistratibus essent exclusi, res nouas concitabant, adeo vt lex illa destrueretur, & fieret, & cum antea maiores natu gubernarent, postea etiam minores gubernare possent. Et vbi paucorum potentia ciuilior, scilicet est facta in Massiliensibus. *Imbecillis enim aduersa pars*, idest imbecillis est enim pars seditionem habens, idest diffidens.

Mutantur etiam paucorum gubernationes ex se, propter factionem eorum qui populum ducunt. hæc autem populi ductio duplex: vna quidem ex ijs qui sunt circa ipsos paucos. efficitur enim quis populi ductor, quanuis admodum parua numero ipsi pauci existant: vt Athenis in triginta illis, qui circa Chariclem erant: poterant autem quod triginta populi ductores, & in quadringentis qui erant circa Phrynichum, simili modo. altera autem, quando illi qui in populari administratione versantur, populum ducunt, vt apud Larissam nobilitas plebem colebat, ex eo, quia per plebem fiebat electio magistratus illius, qui custodia reipublicæ vocabatur.

Affert tertium modum vel causam mutationis, quæ oritur ex se ipsis, cũ inter paucos potentes nascitur contentio, & ex illorum factione, qui ductores esse volunt. Hoc autem duobus modis contingere potest, aut cum quidam inter paucos sic ductores esse volunt, vt in populo ductores sunt. Fit enim ductor populi in illis, & si valde pauci sint, quasi vt sunt ductores populi respectu multitudinis, sic isti respectu paucorum. Aut alio modo contingere potest, cum quidam ex paucis se vertit ad multitudinem, & fit popularis, quo duce mutatur interdum paucorum potentia. *Qui plus posse uolunt*, idest qui sunt

ductores populi. Hoc autem dupliciter fit, in paucis, vt dictum est. fit enim populi ductor respectu illorum paucorum, quia est ductor illorum, licet sint pauci, sicut ductor respectu multitudinis. Aut vertunt se ad populum, qui sunt ex numero paucorum. Vt apud Larissam nobilitas, idest illi, qui custodes erant ciuitatis.

Et in quibuscunque gubernationibus paucorum, non illi ipsi eligunt ad magistratus, qui etiam gerere illos possunt, sed ex censibus magnis tribuuntur, vel amicitijs, electio tamen illorum per ciues fit, vel per plebem, vt Abydi.

Quarto loco ostendit philosophus, quod similis accidere solet mutationis modus in quibuscunq; alijs gubernationibus paucorum, vbi pauci gerunt magistratus & tamen ipsos non eligunt: tunc enim magistratus sunt in potestate populi, & multi faciunt homines populares, & sic dissoluitur paucorum potentia. *Ex aliquo corpore*. puta ex collegio aliquo, vel sodalitio.

Et vbi iudicia non sunt ex ijs, qui rempublicam gubernant: colendo enim plebem, quo eorum suffragia promereantur, rempublicam mutant: vt apud eam Heracliam contigit, quæ est in Ponto. & hoc idem accidit, quando in gubernatione paucorum quidam existentes, ad pauciores etiam rempub. trahunt. pares enim cæteris esse quærentes, compelluntur populum in sui auxilium adhibere. Fiunt etiam in gubernatione paucorum mutationes, quando prodigaliter viuentes qui gubernant per luxuriam patrimonia con sumpserint: optant enim res nouas huiusmodi homines: tyrannidemq; vel sibi ipsis, vel alteri affectant: quemadmodum Hipparinus Dionysio Syracusis, & Amphipoli Cleotimus Chalcidensium colonos superinduxit, & cum venissent, seditionem cum illis contra diuites fecit. et in Aegina, qui negocium illud Charete Atheniensi confecerat, res nouas molitus est, propter huiusmodi causam. Hi homines ergo quandoque res nouas commouent, quandoq; rempub. furtis expilant, itaque seditiones concitantur, aut ab ipsis, aut ab illis qui eorum furta non tolerant: vt Apolloniæ quæ in Ponto est accidit. Concors verò si sit paucorum gubernatio, ex seipsa non facile interit. Huius signum est apud Pharsalum vrbem reipublicæ status: pauci siquidem in ea ciuitate gubernatores, multorum

sunt domini, quod ipsi inter se recte ac debito modo se gerunt.

Quinto ostēdit philosophus, quod fit mutatio interdum, cū hi, qui gubernant rempublicam, non gubernant iudicia. *Quod idem accidit.* Sexta causa, vel sextus modus est, cum ex paucis pauciores volunt redigere gubernationem reipublicæ, ad minorem numerum. *Quod idem accidit*, idest præterea idem euenit. *Fiunt etiam mutationes in gubernatione.* Septima est causa, vel septimus modus ex prodigalitate proueniens: patet textus.

Euertuntur etiam quando in paucorū gubernatione aliam paucorum gubernationem efficiunt: id est, quando eorum ad quos pertinet gubernatio reipub. qui pauci sunt, selectio quædam fit, neque habilitas est omnibus ad maximos magistratus, dignitatesq́; posse assumi. Quod apud Elidem vrbem quandoque contigit: nam cum paucorum esset gubernatio reipublicæ, admodum pauci eorum ad senatorium ordinem (propterea quod erat perpetua dignitas) peruenire poterant, atque ob id quod potentium erat electio, ac persimilis Lacedæmoniorum senatui.

Octaua est causa, vel octauus modus mutationis, cum ex paucorum gubernatione alia suboritur paucorū gubernatio ex eo, quia fit electio quædam inter paucos, *Quandoque*, idest olim. *Ob id*, idest pauci omnino fieri poterant senatores ob id, quia nonaginta erant, & perpetua electio dignitatis.

Fit autem mutatio gubernationis paucorum, & in bello, & in pace. in bello quidem, quod populo diffidentes, conducto milite vti compelluntur: & qui illis præficitur, sæpe tyrannus euadit, ut Corinthi Thimophanes: quod si plures præficiuntur, ipsi sibi potentatum parant. interdum uero ista formidantes qui regunt, populum recipiunt ad communionem reipublicæ, quoniam necessitas cogit populo vti. In pace autem, propter diffidentiam, quam inter se habent, conductis militibus custodiam tradunt, præficiuntq́; illis aliquem virum, qui ad neutram partem magis inclinare videatur. at istæ sæpe dominus fit partis utriusque. quod accidit in Larissa, Aleuadensibus rempublicam tenentibus circa Samum, & apud Abydum, tempore sodalitatum, quarum una erat Iphiadi.

Nona est causa, vel nonus modus mutationis, nunc in

bello, nunc in pace proueniens ex his, quæ philosophus explicat manifeste in textu.

Oriuntur etiam seditiones per exclusionem aliorum ab alijs factam, eorum ipsorum qui sunt in paucorum gubernatione, quando de nuptijs, uel de iudicijs concertant: quemadmodum de nuptijs suprà diximus: & in Eretria paucorum gubernatio equitum sublata est per Diagoram, qui affectus iniurijs fuerat ex nuptijs. Ex iudicio autem apud Heracliam seditio extitit, & Thebis ob adulterij iudicium: atqui vtroque in loco non iniusta fuerat accusatio, sed per factionem expetita pœna: apud Heracliam quidem aduersus Eutionem: Thebis uerò aduersus Archium: quos contenderunt inimici in foro ligari, ac ceruices eorum annulo ferreo includi. Sæpe etiam paucorum gubernationes dissolutæ fuerunt ob nimiam dominationem, non probantibus quibusdam ex ipsis qui gubernabant, huiusmodi excessum, vt accidit ijs qui aqud Gnidum, & apud Chium per paucorum potentiam gubernabant.

Decima est causa mutationis, vel decimus modus, cũ fit exclusio quorundã de paucorum numero ob contentiones, quæ vel ex nuptijs, vel ex iudicijs proueniunt. *Per factionem*, idest seditione. *Sæpe etiam.* Vndecima est causa mutationis, quæ fit interdũ ob nimis imperiosam dominationem, qua pauci nimia licentia vtuntur, non probantibus quibusdam ex illis, qui etiam gubernant, vt Romæ accidit in decemuiratu, cum Vrginiæ causa ille est magistratus deletus.

Fiunt autem etiam casu mutationes illius quæ respub. uocatur, & gubernationum paucorum, ubicunq; à censu sumuntur ad deliberandum, & iudicandum, & ad cæteros magistratus. sæpe .n. constitutus est primus census ad præsens tempus, ut participent in paucorum quidem gubernatione pauci, in republica uerò medij: abundantia rerum aliquà superueniente, uel per pacem, uel per aliam fortunæ prosperitatem, contingit ipsas possessiones multò maioris precij fieri: quare omnes efficiuntur habiles, ad cunctos reipublicæ gradus, dignitatesq; suscipiendas. idq; contingit interdum sensim & latenter, interdum celerius. paucorum igitur gubernationes mutantur, & seditionem recipiunt, propter huiusmodi causas. Omnino autem & popularis status & paucorum potentia,

conuer-

conuertuntur interdum non in contrarias species, sed in eas. quæ sunt proprij generis: ceu ex legitimis popularibus & paucorum in ipsas dominantes: & ex istis rursus in illas.

Duodecima est causa,qua contingit mutationem fieri non modo paucorũ potentiæ,sed etiam reipublicæ, cõmuni nomine vocitatæ: hoc autem euenire solet,cum à censu,& æstimatione bonorum sumuntur magistratus, & accidit,ut patrimonia ex prosperitate,vel alia causa augeantur,tunc multi,vel omnes aliquã substantiã possidentes, fiunt habiles ad magistratus sumendos: & sic, vel sensim,vel repente fit gubernationis mutatio. His dictis concludit philosophus dicendo, quod huiusmodi causis mutationes fieri solent. Sed non ignorare oportet,quando paucorum potentia nõ modo in popularem sibi oppositam vertitur, vel contra popularis in paucorum potentiam:sed etiam paucorum potentiæ vna species in aliam speciem proprij generis: sic popularis vna in aliam speciem proprij generis: sic popularis vna in aliam speciem popularem.*Ceu ex institutis*,idest,ceu ex legitimis popularibus,idest ex illis popularibus,vbi seruatur lex. Sic igitur mutatio fit interdum gubernationis non solum in aliud genus, veluti ex populari in paucorum potentiam, vel contra:sed etiam in aliam speciem eiusdem generis,vt ex populari,quæ gubernatur secundum leges,in popularem,quæ gubernatur ad arbitrium multitudinis, vel ex vna specie paucorum potentiæ in aliam,vt dictum est supra eiusdem generis.

In optimatibus autem seditiones fiunt, interdum quidem ex eo quod pauci sunt honorum participes, quod in paucorum gubernatione, diximus seditionem mouere: propterea, quod optimatum gubernatio, quodammodo paucorum est: in vtraque enim pauci gubernant: non tamen propter idem pauci, cum videatur propterea optimatum gubernatio esse paucorum. Maximè verò id accidere necesse est, cum fuerit multitudo eorum qui prudentes existimati fuerint, & quasi similes secundum virtutem. velut apud Lacedæmonios ij qui Partheniæ nuncupabantur, (ex similibus enim erant) quos deprehendẽtes res nouas moliri, in coloniam Tarentũ misere.

Hoc est quintum capitulum huius primi tractatus, in quo affert causas seditionum, & mutationum gubernationis optimatum, & etiam reipublicæ, communi nomine vocitatæ. Diuiditur autem in duas partes quæ suis locis declarabuntur: in prima affert quinq; causas mutationum, quibus mutari solet optimatum respublica. Dicit igitur in primis, quod in optimatum gubernatione oriri interdum seditio solet ex eo, quod pauci sunt honorum participes, ut patet in textu. *Cum videatur propterea*, idest ob hanc rationem, quia sunt pauci, videatur optimatum gubernatio esse paucorum, non tamen propter idem. *multitudo aliter sentientium*, idest multitudo elata. *Partheniæ*, idest virginales.

Vel quando aliqui inhonorantur, cum sint magni & nihilo inferiores virtute illis, qui honores capiunt: (quemadmodum Lysander regibus) vel quando vir fortis, & magni animi, non sit particeps honorum: quemadmodum Cinadon ille, qui coniuratione facta per Agesilai tempora, Spartiatas opprimere tentauit.

Affert secundam causam mutationis, quæ fit, cum inhonorantur, & despiciuntur quidam magnæ existimationis & non inferiores virtute illis, qui magis honorantur. *Vel quando vir fortis.* Affert tertiam causam mutationis, quæ fit cum homo cordatus & fidens animo posthabetur, & excluditur ab honoribus.

Præterea cum alij paupertate nimia premuntur, alij diuitijs abundant, quod maximè in bello contingit. & accidit hoc Lacedæmonijs in Messenensi bello. ostēdit hoc Tyrtæus poeta in illo carmine, quòd inscribitur Eunomia, id est, lex bona. exhausti enim quidam per id bellum ac pauperes facti, censebant agros æqua portione ciuibus esse diuidendos. Insuper si quis magnus & potens etiam maior fieri ac solus dominari velit: vt apud Lacedæmonios videtur Pausanias ille fecisse, qui dux belli aduersus Medos fuit & apud Carthaginenses Aunon.

Affert quartam causam, mutationis, quæ fit, cum alij paupertate vexantur, alij diuitijs abundant. Nam vt mediocritate seruantur respublicę, sic extremis dissoluuntur. Inopes enim ægreferunt suam paupertatem, cum

uident alios locupletes copia earum rerum, quibus ipsi carent, affluere. *bona diuisio*, ideſt bona inſtitutio legum. *Inſuper ſi quis*. Affert quintam cauſam mutationis, quæ fit, cum aliquis potens vult euadere potétiſſimus, vt patet in textu.

Diſſoluuntur autem maximè, & reſpublicæ, & optimatum gubernationes, propter tranſgreſſionem iuſtitiæ in ſeipſis factam. Huius autem origo eſt, non bene temperatam ſimul eſſe, ac permixtam, in republica quidem popularem gubernationem, & paucorum, in optimatibus verò iſta ſimul atque virtutem, maximeque illa duo, popularem dico atque paucorum, hæc enim, & reſpublicæ conantur miſcere, & multæ illarum quæ optimates vocantur, differunt enim optimates ab illis quæ appellantur reſpublicæ in hoc, et ob id ſunt aliæ earum, minus, aliæ magis durabiles. illas enim quæ magis declinant ad paucorum potentiam, optimates appellant: illas verò quæ ad multitudinem, reſpublicas uocant. quapropter tutiores iſtæ ſunt, quàm aliæ. Fortius enim eſt id quod plus eſt, ac magis, acquieſcunt, æquum habentes. qui uerò diuitijs abundant, ſi reſpublica excellentiam eis tribuat, contumelia cæteros afficere pergũt, atque plus habere uolunt. Penitus enim ad quãcunq; ſpeciem declinet gubernatio ciuitatis, in eam tranſmutatur, utriſq; ſuum augentibus, uelut reſpublica, ad populum, optimates ad paucorum potentiam, uel in contraria, ceu optimatum gubernatio, in populare, tanquam enim iniuriam patientes, in contrarium trahunt, qui magis ſunt inopes. reſpublica uerò, in paucorum potentiam tranſmutatur. ſolum.n. ſtabile eſt, ſecundum dignitatem æquum, & habere quæ ſua ſunt. Contingit uerò id quod modo diximus in Thurijs. quod enim à maiore cenſu erant magiſtratus, in minorem facta eſt mutatio, & in plures gubernatores, & quia agros totos poſſidebat nobilitas contra legem (nam gubernatio eius ciuitatis magis erat paucorum) itaq; plus habere poterant, at populus bello exercitatus, ac potentior effectus, quàm illorum cuſtodes, eos nobiles compulit (quicunque contra leges tenebant) agros dimittere.

Hæc eſt ſecũda pars principalis huius capituli, in qua philoſophus afferre videtur ſimul cauſas mutationis rei publicæ communi nomine vocitatæ, & inſuper optimatum gubernationis largo modo ſumptæ, & mixtę, vbi nõ

ſolum

ſolum virtutis,ſed libertatis,& aliorum bonorum ratio habetur.Dictum eſt enim antea,plures eſſe ſpecies optimatum,& vnam eſſe ſimplicem,& puram,quę tantum ad ipſam virtutem reſpicit;alię vero ſunt imperfectæ. Superius igitur in prima parte locutus eſt de optimatum gubernatione proprie dicta : hic vero loquitur de republica communi nomine vocitata, & de optimatum gubernatione mixta,& non proprie dicta. Prima igitur cauſa, dicit philoſophus, mutationis eſt tranſgreſſio iuſtitiæ, quia iſtæ reſpublicæ non bene permiſcentur, & per hoc apparet,quod non ſumit hic proprie optimates. Non.n. gubernatio optimatum proprie dicta,eſt mixta,ſed ſimplex. Sumit igitur hic rempublicam communi nomine vocitatam, & optimatum gubernationem non proprie dictam,ſed mixtã: origo igitur mutationis eſt non æqua & recta mixtio.Verum ſi non ęque & recte componatur, habet internum principium ſuæ mutationis, vt patet. Itẽ intelligendũ,quod optimatũ gubernatio large ſumpta & mixta conſtat ex tribus generibus hominum,ex diuitibus,& ſtudioſis, & liberis hominibus, qui & populares ſunt. Quando igitur hæ partes non ſunt æque mixtæ præſertim illæ duæ,videlicet populares & diuites, tunc oritur ſeditio,quia vel nimis tribuitur popularibus, vel nimis ipſis diuitibus. nam viri ſtudioſi quieſcunt magis, & ſeditiones non moliuntur. Differunt autem huiuſmodi optimates à republica,quia illa ex aliqua parte popularis,ex aliqua paucorum potẽtiæ, optimates ex eiſdem & etiam ex virtute,vel ſtudioſis cõponitur. Et ideo magis vel minus durant, prout melius vel peius ſunt mixtæ & temperatæ:vt enim in naturalibus id quod melius eſt temperatum,melius conſeruatur,ſic in illis melius temperatum conſeruatur melius. Intemperies enim eſt origo alterationis,& mutationis,cum magis declinatur ad alterum miſcibilium. Verum illæ gubernationes, quæ magis declinãt ad paucorũ potentiam, optimates ex eo, quia in vtriſq; ſunt pauci,quàm ad multitudinem reſpublicę communi nomine vocitatæ,appellari ſolent,& hæ

ſcilicet

ſcilicet reſp.tutiores ſunt,dicit philoſophus,quàm aliȩ, ideſt paucorum potentiæ,& aſſignat duas rationes: prima eſt,quia plus poteſt multitudo, quàm pauci: ſecunda ratio eſt, quia populares, æqualitatem habentes magis quieſcunt, quàm opulenti,qui non par ſed plus, ſibi quàm alijs tribuendum cenſent. Summatim in eam ſpeciem gubernationis facile mutatur reſpublica, ad quam magis declinat.Illa vero ſtabilitatem habet in qua ſeruatur æqualitas ſecundum dignitatem, & datur cuique, quod ſuũ eſt,vt iuſtitia expetit. *Huius autem origo eſt*,ideſt hoc autem eſt principium. *Penitus*, ideſt ſummatim. *Gubernatio eius ciuitatis*, ideſt gubernatio ciuitatis erat magis paucorum potentia.

Inſuper, quia omnes optimatum ſpecies ad paucorum potẽtiam declinant, nobilitas in illis plus habet: velut apud Lacedæmonios, opes & diuitiæ in paucis ſunt, ac magnam licentiam habet nobilitas faciendi quod libet,& cuiuſcunque voluerit curam habere: quæ cauſa fuit,vt Locrorum ciuitas interiret, propter Dionyſii affinitates: quod non contigiſſet in populari ſtatu,neq; in ea optimatum gubernatione,quæ optimè mixta,temperataq́; fuiſſet.Maximè verò latent optimatum mutationes,eo quod paulatim ſeſe diſſoluãt: quod quidem dictum eſt prius uniuerſaliter,de omnibus rebuspublicis,idq́; inter cauſas mutationis, minuta paruitas appellatur: quando enim omittunt aliquid ex ijs quæ ad rempublicam pertinent,ac deinde aliud paulò maius facilius mouent, quouſque moueant totam reipublicæ formam. Quod in Thuriorum accidit republica: cum enim legem haberent, per quam non niſi intermiſſo quinquennio,militum præfecturam gerere licebat,iuniores quidam rei militaris periti & apud multitudinem pro cuſtodibus probati, cum cæteros qui in rebus gerendis verſabantur, ſpernerent,ac facile ſe conſecuturos arbitrarentur, legem illã tollere aggreſſi ſunt: primum,lata altera lege,vt liceret perpeti eoſdem præfectos eſſe: at cum populum viderent illos promptè admittentem, ij magiſtratus qui præerant ſuffragijs, quiq; appellantur conſultores, commoti ſunt prius ad reſiſtendum, tamen poſtea deſtiterunt, putantes hac vna lege quamuis ſoluta,cæteras nihilominus eſſe permanſuras,poſtea uerò prohibere volentes,ne aliæ mouerẽtur, nihil perficere

ficere

ficere valuerunt, sed mutata est eorum respublica in potetatum eorum, qui res nouas aggrediebantur.

Alia causa mutationis est, quia cũ omnes optimatum species, scilicet impropriè dictæ, magis inclinent ad paucorum potentiam, fit vt pollentes opibus plus habeant, quàm pauperes, vt apud Lacedæmonios euenit, vbi opes & diuitiæ sunt in paucis, & hi licentiam habent faciendi quodlibet, & quibuscum volunt matrimonium contrahendi, quæ licentia causa fuit vt Locrorum ciuitas interiret propter coniugium cum Dionysio cõtractum. Vnde ex tali inæqualitate & nimia licentia oriri contentio solet, & inopes indignantes res nouas moliuntur, quod non contingeret in populari republica, neque in optimatum gubernatione bene temperata & mixta, dicit philosophus, quia optimatum gubernatio mixta ex eo dissoluitur, vt dictum fuit, quia non est bene temperata. *Maxime verò*. Alia est causa mutationis quæ latet, cum modica fit transgressio, & negligitur quousq; paulatim crescens funditus mouet rempublicam. *minuta paruitas*, idest causa consistens in paruo. *Præturam*, idest præfecturam.

Dissoluuntur cunctæ respublicæ interdum per seipsas, interdum per externam causam, quando contraria gubernatio fit, vel propè, vel longe quidem, sed admodum potens. quod quidem contigit Atheniensibus, & Lacedæmonijs. Athenienses enim vbique paucorum potentiam: Lacedæmonij vbique popularem statum euerterunt. Vnde igitur rerumpublicarum mutationes, seditionesq; exoriantur, ferè dictum est.

Affert causam quandam vniuersalem & cunctis rebus publicis competentem mutationis, & eam quidem externam. Dicit autem, quod omnes respublicæ dissoluuntur aut per seipsas, idest propter causas internas, quę sunt seditiones, vt supra ostendit, aut per externam causam: Ea autem est, cũ gubernatio externa præualet alijs, & euertit alias formas rerũ publicarum, sibi dissimiles, vt exemplo Lacedæmoniorum, & Atheniensium ostendit.

[illegible] autem earum, & communiter & seorsum de [illegible]

vniuscuiusque, consequens est, vt dicamus. Illud ergo ante omnia patet, quod si sciamus per quæ corrumpũtur respublicæ, scimus etiam per quæ conseruantur contrariorum enim, contrarij effectus: corruptioni autem, conseruatio contraria est.

Hic est secundus tractatus primæ partis, in quo philosophus posteaquam attulit causas mutationum rerum publicarum, in quibus plures dominantur in genere, & in specie secundum vnamquamq; rempublicam successiue, nunc affert causas conseruationis earundem. Diuiditur autem hic tractatus in duo capitula: in primo affert plures causas cõseruationis rerumpublicarum: in secundo affert ea, quibus principales magistratus gerẽtes conseruẽt rempublicam in suo statu, & mouet aliquas quæstiones. Primum capitulũ diuiditur in duas partes, quæ suis locis declarabuntur: dicit autem in primis, quod cognitis causis mutationis, cognoscuntur causæ conseruationis: ex hoc habemus vnde accipi possunt principia, & causæ conseruationis, idest ex cõtrarijs principijs corruptionis. quare si principia antea allata corrumpũt & dissoluunt respublicas, afferenda sunt contraria, quæ erunt cõseruatiua. nam eiusdem medici est ægritudinem & sanitatem considerare, & vtriusq; principia.

In illis igitur rebuspublicis, quæ laudabiliter permixtæ, ac tẽperatæ sunt, illud est diligenter obseruandum, ne quid ex legibus, institutisque moueatur, maximeque ab eo cauendum, quod paulatim repit: latet enim corruptio, quia non tota simul fit, decipiturque mens ab illis, vt sophistica illa ratio: si unumquodque pusillum, & omnia: hoc autem est vt sic, & est vt non, totum enim & omnia non pusillum, sed compositum ex pusillis. vna igitur custodia aduersus hoc principium est opponenda.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus incipit afferre causas conseruationis. Prima causa conseruationis correspondens vni causæ, corruptionis, est cauere, ne in rebus publicis bene mixtis, & temperatis aliquid moueatur ex legibus, & videndũ ne fiat transgressio legum paulatim etiam in parua re. Latent enim nos transgressiones in paruis, quia negligũtur, & non curantur

rantur ob suam paruitatem, & tamen multæ paruitates cumulatæ faciunt vnum magnum,& corrumpunt ciuitatem,sicut paruæ expensæ sepius factę corrumpunt patri monium. Decipiunt autem nos sicut sophistica ratio. di cunt enim sophistæ, ostendendo aliquid veluti particulam hanc,vel illam cumuli,dicunt inquam,hoc est paruum,& illud paruum. ergo totum & omnia sunt parua. Eodem modo dici potest de transgressionibus legum in paruis rebus,quod facile nos deciperent, si negligerentur. nam si hæc transgressio legum est parua,& illa parua,ergo omnes paruæ,& paruum etiam quod ex illis, & minime curandũ. hoc igitur pacto decipimur.Vnde intelligendum, quod totum & omnia simul sumpta non sunt parua,sed composita ex paruis. quare ille terminus omnia, considerari potest duobus modis, aut distributiue,aut collectiue: si distributiue,vtrum est quod omnes illæ particulæ sunt paruæ,& transgressiones paruæ. Sin vero collectiue tunc non est vtrum quod omnes particulæ simul sumptæ sint paruum. Est enim quid magnum compositum vel aggregatum ex illis,& illud totum appellari potest magnum respectu etiam partium paruarum,ex quibus componitur. *Quod paulatim repit*, idest maxime quod est paruum.*Hoc autem est,vt sic,et est vt non*,idest partim est sic, partim non est.

Deinde,non confidere ijs quæ conficta fraudis alicuius gratia prætenduntur ad populum, redarguuntur.n.ipsis operibus. qualia verò dicamus rerumpublicarũ figmenta,superius est ostensum.

Secunda est causa conseruationis, quę fit, cum cauemus à deceptionibus,& fallacibus persuasionibus.Decipiunt enim interdum populũ huiusmodi homines,quorum superius meminit, cum ostendunt aliquid prodesse populo,& tamen referunt id ad commodum suum.Veluti dicebatur, quod pœna cõstituta erat diuitibus,si consilio abessent, pauperibus vero minime. In hoc pauperes videbantur habere quandam prærogatiuam, tamen erat quædam deceptio, quia talis pœna constituebatur, vt diuites gubernandi occasionem haberent.

Intueri

Intueri licet quasdam respublicas durare, non solum ex optimatibus, verumetiam ex paucorum potentijs, non quia per se ipsæ stabiles sint, sed quia hi qui gubernant, rectè se gerunt, tam erga eos, qui sunt extra rempublicam, quàm erga eos, qui in reipublicæ gubernatione versantur. Erga eos quidem, qui non participes sunt gubernationis, non afficiendo ipsos iniurijs, ac præstantiores ipsorum ad participationem reipublicæ recipiendo: cupidosq; honoris, non honoris priuatione, iniuria afficiendo, neq; multitudinem suis commodis fraudando. erga illos verò qui socij in gubernanda republica sunt, humanè inuicem, ac populariter se gerendo: æqualitas.n. illa quæ in populari statu affectatur, ea in similibus non solum est iusta, uerumetiam utilis. Quamobrem si plures sint in gubernatione reipublicæ constituti, eis permulta popularium institutorum vtilia sunt: ceu semestres esse magistratus, vt omnes, qui similes sunt adipisci valeant: sunt enim tanquam populus iam illi, qui inter se pares, ac similes sunt: itaq; in illis frequenter existunt, velut duces quidam populi (vt prius diximus.) Deinde minus in potentatus incidunt paucorum gubernationes, & optimates: non.n. similiter facile est malignari, in breui tempore magistratus, et in longo. nam ob hoc, in paucorum gubernationibus & popularibus tyrannides fiunt, aut enim hi qui maximi sunt in vtraq;, tyrannidem inuadunt, (hic ductores populi, ibi potentes) vel qui maximos gerunt magistratus, quando longo tempore durant.

Tertia est causa conseruationis, qua fit vt etiam quædam respublicę, quę per se minime sunt firmæ, perdurét. Ea autem est recta gubernatio; ideſt bene se gerere tam erga participes, quàm non participes gubernationis: & hæc causa opponitur illi causæ corruptionis, qua dixit gubernatores interdum male se gerere erga populum, & inter se ipsos. textus est manifestus. *In potentias*, ideſt in potestates. Non enim similiter *facilè est latere*, ideſt non enim similiter facile est male agere in breui tépore magistratus, & in longo.

Conseruantur autem respublicæ, non solum eo quia procul sint à corruptionum periculis, verumetiam interdum quia propinquæ sunt. homines.n. formidantes, vigilantius intendunt ad reipublicæ custodiam. quare oportet eos qui rempublicam saluam esse volunt, formi-

formidines quasdam parare, quasi nocturnam quandã custodiam, vt caueant, neq; dissoluant reipublicæ obseruationem, & quod longè abest, propinquum facere. etiam nobilium contentiones, seditionesq;, per leges quoq; oportet conari obseruare, et qui extra contentiones sunt eos præuenire, tanquam malum ab initio exoriens cognoscere non cuiusuis sit, sed ciuilis viri.

Quarta est causa conseruationis, quæ opponitur vni causæ mutationis, quam appellauit negligentiam, seu incuriam. nam gubernatores reipublicæ, tenentes clauum in manu, vigilare semper, tanquam in specula debent, & tempestates etiam remotas, vt imminentes, timere. Curandum quoque est legibus, vt contentiones nobilium sedentur, & cauendum antea, ne illi, qui sine contentionibus sunt, in eas incidant. oportet enim ciuilem virum cognoscere ab initio malum nascens, & ei obuiam ire, quia vt dictum est supra, omnè malum nascens facile opprimitur, inueteratum fit plerunq; robustius. *Tanquam malum ab initio*, idest quoniam malum cognoscere ab initio exoriens non cuiusuis est, sed ciuilis viri.

Ad mutationes verò quæ propter censum fiunt, ex paucorum potentia, atq; ex republica, quando contingit hoc, manentibus eisdem censibus, & pecuniarum copia facta, vtile fuerit considerare vniuersum totius ciuitatis censum, ac præsens tempus ad præteritum conferre: in quibusdam autem ciuitatibus census agitur annuatim, in maioribus verò per triennium, aut quinquẽnium: & si sit multiplicatus, ac multo maior factus, quàm prius erat ille, secundum quem statuta fuerat reipublicæ gubernandæ habilitas, legis erit prouidere, vt census, vel augeatur, vel relaxetur. si quidem excedat, augeatur secundum multiplicationem: si verò deficiat, relaxetur, ac minor fiat census taxatio. in paucorum enim gubernationibus, & in rebuspublicis nisi hoc fiat, hic paucorum gubernatio, ibi potentia illa nimia insurget, illo autem modo ex republica quidem popularis status: ex paucorum verò gubernatione, respublica, aut populus.

Quinta causa conseruationis est, habere rationem ipsius. Dictum est.n. antea, ex diuersitate census mutari quandoq; paucorum potentiam, & rempublicam communi

muni nomine vocitatam. ſi enim augentur facultates ci uium,creſcit numerus eorum qui fiunt habiles ad guber nationes: ſin vero minuuntur,& numerus eorum minui tur, qui erant habiles à tanto cenſu, & ſic mutationes oriuntur, ex tali alteratione facta. Oportet igitur,vt re mediū adhibeatur,dicit philoſophus, videre, quo pacto facultates ciuitatis ſe habent, an ſint auctæ,vel minutæ, & reſpectu illarum adhibēdo prudentiam, & iuſtitiam, augere, vel minuere quantitatem,ideſt ſummam, vt ita loquar,ipſius cenſus, ſecundum quam quātitatem ciues admittuntur ad magiſtratus vel repellantur ab eiſdem. *ac præſens tempus*.i.debitum tempus capere. *Totius ciuitatis cenſum*,ideſt facultates vnius cuiuſq; ciuis,& hoc facere in debito tēpore.i.in eo tēpore, in quo à ciuitatibus ſolet fieri inquiſitio facultatum,quas ciues poſſident, *ac multo maior factus*.i.multiplicatus,aut minor factus *hic*.i. in ipſa republica. *ibi*,ideſt in paucorum potentia.

Commune autem eſt & in populari, & paucorum gubernatione,& in omni republica, neq; augere nimium quenquam ſupra modum, ſed magis conari paruos & longi temporis honores præbere, quàm confeſtim magnos. corrumpuntur enim,nec cuiuſuis eſt hominis proſperitatem ferre. quod ſi accumulatè dati ſint alicui honores,non ſimul omnes poſtea auferendi, ſed paulatim. Maximè verò lege ita prouidere conandum eſt,vt nemini ſit exceſſiua potentia, neq; amicorum,neq; pecuniarum. quod ſi id contingit, peregrinæ faciendæ, ſunt huiuſmodi hominum clientelæ.

Sextam cauſam affert conſeruationis communem omni reipublicæ. nam antea in enumerandis cauſis mutationum attulit præpotentiam: nunc affert remedium commune,vt patet in textu.

Cum verò ex priuata etiam vita, res nouæ oriātur, magiſtratus conſtituendus eſt quidam,qui ſit quaſi in ſpecula ad mores ciuium intuendos,ne quis ita viuat,vt reipublicæ nocere poſſit. In populari quidem ſtatu,ne alienè uiuat à popularitate; in paucorum autem potentia,ne alienè à natura eius gubernationis. Eodem q; modo de alijs quibuſq; ſpeciebus rerumpublicarum.

Septima cauſa cōſeruationis eſt ex parte modi viuen

di, quæ opponitur luxurioſæ vitæ,& inhoneſtæ antea al latæ. Habenda eſt enim ratio morum,vt in fine Ethicorum oſtendit philoſophus, & ad hoc propoſitum magiſtratus creandi,vt Romæ cenſores.

Et ſi quid exultet,proſperitateq; ſit elatum in ciuitate, particulatim obſeruandũ eſt, propter eaſdem cauſas : cuius rei remedium eſt, ſemper contrarijs partibus , magiſtratus & res agendas committere. contrarias partes voco,ceu bonos & æquos multitudini, & diuites pauperibus. Conandumque eſt uel admiſcere pauperes cum diuitibus,uel medios augere : hoc enim diſſoluet ſeditiones ob inæqualitatem procedentes.

Octauam cauſam affert conſeruationis. fit.n.vt interdum populus, interdum vero vt paucorum potentia augeatur atq; excedat,veluti in animalibus dictũ fuit,cum pes nimium excedit.Tũc igitur dicit philoſophus,reſpicienda eſt pars oppoſita.Veluti ſi paucorum potentia nimium excedit,reſpiciendus & obſeruandus eſt populus: ſin vero populus excedat,prȩſtantes viri ſunt colẽdi more illorũ,qui ligna rectificant,medij vero augẽdi,vt partes excedentes ad æqualitatem quoad fieri poteſt, redigantur per acceſſionem illorum.

Maximum verò illud eſt in omni republica,et legibus, et cætera omni diligentia conſtituendum, ne ex magiſtratibus lucra proueniant.id aũt maxime in paucorum gubernatione eſt obſeruandum. leuius.n.ferunt populi,qui à republica excludũtur,quinimmo gaudent quod ſua agere non impediuntur. at ſi exiſtiment eos qui magiſtratus gerunt,ex ijs quæ cõia ſunt,ditari, duplicẽ capiunt moleſtiã,et quod ab honore excludũtur,et quod à lucro: vno vero modo contingit ſimul exiſtere popularem ſtatum et optimatum,ſi ita quis inſtituat: contingeret.n.vt et inſignes et plebei haberent quæ vtriq; vellent.Licere.n.omnibus remp. gerere, populare eſt, magiſtratus verò ab inſignibus teneri,optimatũ.hoc aũt accidet, quando ex magiſtratibus non proueniunt lucra : pauperes.n.magiſtratus non volent, ſi nil inſit lucri, ſed potius ſuis rebus proprijs intendere. diuites autem,quia non indigent ex vlla re communi lucrari,magiſtratus gerere valebũt.quare hoc pacto cõtinget egenis quidẽ ditari ob operam rebus ſuis impenſam, inſignibus verò non ſubijci cuicunq;.

Nona

Nona causa conseruationis est, si curetur ne ex magistratibus lucra proueniant. hoc aũt cum in omni specie reip. tum in paucorum potentia seruandũ est, dicit philosophus, nã vbi diuites regunt remp. inopes excluduntur, & id ęquo animo ferũt, si agere non impediantur. i. si permittantur vacare rebus suis, & circa propria negocia. verum si existimant gubernatores ditari ex magistratibus, tunc indignantur ęgeni duplici causa & quia à gubernatione excluduntur, & quia priuantur lucro. Prouidendũ est igitur, ne ex magistratibus lucra proueniant. Quod si hoc fiat & statuatur, tunc recipit. i. contingit vnico modo simul esse statum popularẽ, & optimatũ, quia vtraq; pars habebit, quod expetit. nam quod omnes possint rẽ publicam gerere, hoc videtur esse populare, quod autẽ magistratus habeant homines insignes, hoc videtur esse optimatum. Verũ ista possunt euenire, si illud fiat, quod diximus, & vtriq; habebunt, quæ volunt. nam populares, & inopes, licet possint remp. gerere, tamen non curant, si non est lucrum, & magis volunt circa propria vacare: insignes vero non indigent lucro, & magistratus gerere cupiunt. quare vtrique habebunt quæ volunt: illi vacabunt rebus proprijs: hi magistratus gerent.

Ad hoc autem, vt non surripiantur pecuniæ publicæ, exhibitio pecuniarum fiat omnibus quidem præsentibus ciuibus, & descriptæ, per societates, & ordines, & tribus deponantur. eò verò quod magistratus sint absq; lucro, statuendi per legem sunt honores ijs, qui optimè gesserint.

Dictum fuit, quod prouidendum est, ne ex magistratibus lucra proueniant. quid ergo faciendum est de pecunijs publicis, dicet aliquis? tunc dicit philosophus, tribuantur pecunię publicę quibusdam in custodia, pręsentibus cunctis ciuibus, & æque scribantur per tribus & ordines ciuitatis, vt patet in textu. *Editio fiat à ciuibus omnibus*. i. tribuãtur coram omnibus ciuibus. *quòd uero*. i. quia magistratus sint absq; lucro. i. vt bene se habere possint sine vtilitate, & vt gerentes tales magistratus, æquo animo careãt lucro, curandũ est, vt loco ipsius lucri habeãt

præmia honorũ, qui optime gesserint tales magistratus.

Oportet autem in populari statu diuitibus parcere, ac non modo possessiones eorum non æquè partiri, sed ne fructus quidem eorum: quod in quibusdam ciuitatibus imprudenter fit. melius verò etiam est prohibere volentibus, ne munera illa subeant, quæ sint magni sumptus, ac nullius vtilitatis, ceu choros exhibere, & ludos & faces, instar Chiorum, & cætera huiusmodi munera.

Decima est causa conseruationis præcipue popularis status & paucorum potentiæ. nam in ciuitatibus sunt nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, communiter ab istis extremis oriuntur seditiones, ideo philosophus circa ista præcipue versatur. Dicit igitur, quod in populari statu cauere multitudo debet, ne bona diuitum eripiantur à pauperibus, & ne fiant sumptus inutiles, etiam si sponte facere vellent. Veluti choros exhibere & ludos, & alia eiusdem generis. *Volentibus prohibere*. i. interdicere & prohibere etiam, si sponte velint facere sumptus inutiles, prohibere inquam, ne faciant tales sumptus.

In paucorum uerò gubernatione, cura est pauperum suscipienda diligenter, & officia quibus sunt salaria constituta, illis tradenda. & si quis diuitum eos contumeliã affecerit, maior pœna est constituenda, quàm si ipsi inter se idem fecissent. Et successio in hæreditatibus per cognationem sit, non per donationem, nec ualeat quisquam plures hæreditates capere, sed unam solummodo: per hunc enim modum, magis æquales erunt facultates, & egenorum plurimi ad abundantiam traducentur.

Affert documentum, quod pertinet ad paucorum potentiam, in qua ratio pauperum habenda est, sicut supra dixit, quod in populari statu habenda erat ratio diuitum. *Et successio*. Vndecima est causa conseruationis circa hæreditates, ne plures adiri possint. sic enim facultates magis æquales permanebunt. (nam ex inæqualitate seditio oritur) & plerunque pauperes poterunt ad necessariorum abundantiam peruenire. quod si hoc erit paucorum gubernatio, vt exponit Sanctus Thomas, magis conseruabitur, quia pauperes propter hoc magis quiescent. Vult enim hoc remedium allatum esse

à phi-

à philoſopho pro conſeruatione paucorum, ſicut antecedens.

Vtile eſt & in populari ſtatu, et in paucorũ gubernatione, aliorum vel æqualitatem vel præſidentiam tribuere ijs, qui minus participant republica. in populari quidem, diuitibus, in paucorum uero gubernatione, egenis, exceptis tamen ijs magiſtratibus, in quibus vis, auctoritasq; reip. conſiſtit: hi enim ſolis ijs qui ſunt ex republica, aut ſaltem pluribus committi debent.

Duodecima eſt cauſa reip. popularis & paucorum potentiæ, quæ patet in textu. *Præſtantiam*, ideſt prꝩſidentiã. *Solis his*. i. pluribus illorum, qui ſunt ex republica.

Tria verò debent habere illi qui principales magiſtratus ſunt ſuſcepturi: primum, vt ament præſentem ciuitatis ſtatum: deinde, ut habeant potentiam maximam ad ea exequenda, quæ magiſtratus requirit: tertium, ut habeant uirtutem, et iuſtitiam in unaquaq; republica, ad ipſam rempublicam. niſi enim idem iuſtum ſit in cunctis rebuspublicis, neceſſe eſt iuſtitiæ eſſe differentias.

Hoc eſt ſecundum capitulum huius ſecundi tractatus, in quo philoſophus poſteaquam attulit plures cauſas rerumpublicarum, nunc affert ea, quæ debent habere ij, qui principales magiſtratus exercent ad ſeruandam rempublicam in ſtatu ſuo, & mouet aliquas quæſtiones. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes quæ inferius declarabuntur. in prima igitur philoſophus affert tria, quæ habere decet principes & gubernatores reipublicæ, & eos, quibus committuntur ſummi magiſtratus ciuitatis. primum requiritur, vt habeant amorem erga præſentem ſtatum ciuitatis: ſi enim talem rempublicam non diligent, procul dubio non dabunt operam, vt eam conſeruent in ſtatu ſuo. ſecundum eſt, vt habeant potentiam exequẽdi, quæ magiſtratus requirit: nam per amorem appetunt facere ea, quæ conferunt tali reipublicæ, per potentiam exequuntur illa. tertiũ, vt habeant bonitatem & iuſtitiam accommodatam reipublicæ: non enim in qualibet republica ſumunt iuſtum eodem modo. nam alio modo paucorum potentia, alio modo populares: item alio modo alij atq; alij ſumunt iuſtum, vt

ſupra patuit. *Niſi enim idem iuſtum.* nam ſi non idem ſit iuſtum in cunctis rebuspublicis, neceſſe eſt, & iuſtitiæ eſſe differẽtias,quaſi ſi plura ſunt obiecta.i.ipſa iuſta,ſic plures erunt differentiæ iuſtitiæ.

Habet autem dubitationem, quando hæc omnia non concurrunt in eodem,quomodo magiſtratus ſint partiendi:ceu ſi ſit quidam aptus ad rem militarem, ſit autem ille idem improbus, nec reipublicæ amator, alter verò iuſtus & amator, ſed ad rem militarem non aptus, cuius facienda ſit electio? Videtur reſpiciendum eſſe ad duo,cuius magis participent omnes, & cuius minus. quapropter in re miliari quidem ad peritiam magis quàm ad probitatem eſt reſpiciendum. pauciores enim ſunt rei militaris periti,plures uerò probitatis. contrà uerò in cuſtodia & adminiſtratione ærarij: plus .n.probitatis requiritur, quàm quantũ habeant multi,ſcientia verò communis eſt omnibus.

Affert dubitationem philoſophus orientẽ ex his quæ nuper adduxit.Tria.n.pertinere dixit ad illos,qui gerũt ſummos magiſtratus. quod ſi aliqua pars illarum trium defuerit ei,qui eligendus ſit, quo pacto fieri electio debet? Puta ſi eligendus eſt dux exercitus,& aliquis ſit peritus in arte militari,& ex altera parte non ſit reipublicæ amator, nec iuſtus, ſed improbus, alter habeat hæc duo,& facultatem rei militaris non habeat,vter eorum erit eligendus,& vtri talis auctoritas erit deferẽda? Soluit hanc dubitationem philoſophus,& dicit, quod ſpectanda ſunt duo,cuius magis participant omnes,& cuius minus,& hanc ſententiam declarat exemplis artis militaris,& cuſtodiæ ærarij.nam in eligendo duce exercitus reſpiciendum eſt ad peritiam rei militaris, cuius minus participant omnes, quàm probitatis. Pauci enim reperiuntur apti ad gubernandum exercitum: contra autem in gubernatione vel cuſtodia ęrarij reſpiciendum eſt ad integritatem gubernantis, quæ integritas maior ad talem magiſtratum requiritur, quàm reperiatur in multis. De ſcientia vero vel peritia talis adminiſtrationis non eſt admodum curandum, quia facilis eſt,& communis ferè omnibus. nam ferè omnes ſciunt cuſtodire pecunias.

cunias. quare in eligendo duce peritia eſt conſideranda cuius minus participant omnes: in quæſtore autem ſumendo conſideranda eſt ſumma probitas, cuius non participant multi: de peritia autem talis negocij non eſt admodum curandum, cuius participant pene omnes etiam improbi. *Pauciores enim*, ideſt minus participant, ſcilicet omnes militaris peritiæ, plus verò habent probitatis. *Scientia huius*, ſcilicet notitia adminiſtrandi, vel cuſtodiendi ærarij eſt communis multis etiam improbis. quare in tali re de bonitate conſiderandum eſt, & non de peritia.

Dubitari etiam poteſt, ſi potentia aſſit reipublicæ, et amicitia, quod opus eſt virtute? ſufficiunt enim illa duo, ad reipublicæ utilitatem. an quia fieri poteſt, vt duo illa habentes, ſint incontinẽtes, quare vt ſibiipſis non obtemperant ſcientes & amantes ſeipſos, ſic etiam erga rempublicam, nihil uetat ita habere quoſdam.

Affert aliã dubitationem philoſophus. dictum eſt.n. tria requiri ad ſummum magiſtratum gerendum: nunc dubitatur, quia duo vidẽtur ſufficere: ſi enim adeſt amor & poteſtas, non videtur eſſe neceſſaria virtus atq; iuſtitia. nam velle & poſſe ſunt ſufficientia principia noſtrarum operationum: quare ſuperfluum videbitur ponere virtutem. Reſpondet philoſophus, quod requiritur etiã virtus, & dicit, quod ita contingit de gubernatione rei publicæ, vel alicuius magiſtratus, vt de gubernatione ſui ipſius. nam erit aliquis potens operari, & ſe ipſum amans, tamen erit incontinens. is licet poſſit bene operari, & ſe ipſum diligat, tamen ſequetur cupiditatem, & animi perturbationem, & non operabitur recte, quia virtus abeſt. ſic etiam vir in poteſtate conſtitutus, & amator ciuitatis, quãuis illa duo habeat, tamen quia virtus deficit, non recte ſe habebit erga rempublicam. Ideo requiritur neceſſario virtus atq; iuſtitia. *Intemperati*, ideſt incontinentes.

Simpliciter autem quæcunq; in legibus prodeſſe dicimus rebus publicis, cuncta illa rempublicam conſeruant. Et quod ſæpe iam diximus, maximum fundamentum eſt, obſeruare vt potẽtior ſit ex

pars quæ rempublicam ſaluam eſſe velit, quàm illa quæ nolit.

Hæc eſt ſecunda pars huius capituli, in qua philoſophus affert quædam documenta accommodata ad conſeruandam rempublicã,& euitandas corruptiones, quæ oriri poſſunt ex defectu illarũ partium, quas dixit adeſſe oportere gerentibus magiſtratum. Primũ documentum eſt contra corruptionẽ, quæ oriri poteſt ex potentia vel impotentia eorum, qui gerunt rempub.& dicit, quòd illa, quæ cõmuniter dicimus eſſe vtilia in legibus rerũpublicarum, poſſunt cõſeruare remp. quia leges fiunt accõmodatæ rebus publicis, & quod ſępe allatũ eſt, dicit philoſophus, illud eſt maximum fundamentum ſeruare, vt ij præualeãt in ciuitate, qui rempublicã ſaluam volunt, quod eſt remedium contra defectum vnius ex tribus partibus. *Prodeſſe diximus*, ideſt dicimus communiter.

Præter hæc autẽ omnia, latere non oportet, quod modo latet eas respublicas, quæ transgrediuntur medium: multa enim popularia videntur, quæ popularem ſtatum diſſoluũt: multa etiam, quæ paucorum eſſe videntur, diſſoluunt paucorum gubernationem. qui verò exiſtimant hanc eſſe vnã virtutem, trahunt ad exceſſum ignorantes: quod quẽadmodum naſus eſt excedens rectitudinem laudabilẽ ad aquilinum, vel ſimum, ſed tamen adhuc pulchritudinem ac gratiã retinet ad aſpectum: at ſi quis adhuc magis trahat ad exceſſum, primo quidem abijcit congruentem menſuram partis, tandẽ verò ita diſponitur, vt non naſus appareat, propter exceſſum, ac defectum contrariorum: eodẽ modo et de alijs partibus. Contigit autem hoc et circa alias gubernationes. nã paucorum quidem potentiam, et popularem, ſufficienter ſe habere contingit, etſi transgrediantur ab optimo ſtatu: quod ſi quis intendat magis vtranq; earum, deteriorem primum efficiet rempublicam, tandem uero neq; rempublicam. quapropter id non ignorari oportet à legis conditore, ac ciuili homine, qualia popularium, ſeruent populi ſtatum, & qualia corrumpant, & qualia paucorum, identidem paucorum gubernationem: neutra enim iſtarum, videtur ſtare poſſe abſq; opulentijs, & multitudine: ſed quando adæquatio fiat facultatum, aliam neceſſe eſt eſſe rempublicam: quare diſſoluentes leges quæ ſunt circa exceſſum, diſſoluunt reſpublicas.

Affert

Affert aliud documentum contra corruptionem, quę oriri poteſt ex ignorantia medij quo tranſgreſſo diſſoluitur forma reipublicæ. Nam quidam putant in populari ſtatu ea, quæ fiunt, quanto magis ſunt popularia, & in augumentum potentiæ popularis conſtituta, tanto magis conſeruare rempublicam: in quo falluntur, quia ignorantes medium remouent ipſam à ſua mediocritate, qualiſcunq; ſit illa, & trahunt ad extremitaté. Idem accidit in paucorum potentia, cũ pauci nimium trahunt & augent ipſam abijciendo ea, quæ ſunt accommodata multitudini. Verum iſtæ reſpublicæ non rectæ, & ſi dici poſſent exceſſus, vel defectus reſpectu optimæ, cum diſcedunt ab ea tanquam à medio, tamen qualeſcunque ſint, vidẽtur habere ſuum medium: qno ignorato, atque trangreſſo diſſoluitur talis forma reipublicæ. Nam præter rempublicam optimam, quæ videtur eſſe ſimpliciter media, reſpectu aliarum rerũ publicarum, quæ trangreſſiones dicuntur, eſt aliud mediũ ſecundũ quid, veluti reſpublica popularis, vel paucorum potentia habet gradus, ideſt parum, & nimium, atque medium. De hoc igitur medio loquitur philoſophus, quod dicit eſſe conſeruatiuum talis reipublicæ, extrema verò eſſe corruptiua. Sunt. n. extrema in populari ſtatu nimium popularia, & in paucorum potentia, quæ paucis nimiũ fauent, vt etiam dictum eſt antea: Hanc igitur mediocritatem, vel congruentem menſuram in iſtis latere non decet gubernatores talium rerum publicarum, nec etiam ignorare oportet, qualia conſeruent ipſas, vel qualia euertant. Qui enim condunt leges, aut corrumpentes qualeſcunque habent tales reipublicæ mediocritates, diſſoluunt illas, vt oſtendit exemplo naſi. Nam rectum eſt ſimpliciter medium inter ſimum & aquilinum, vt reſpublica recta vel optima reſpectu tranſgreſſionum. Prætcrea eſt medium ſecundum quid, ideſt menſura & pulchritudo, quam habet ſimus vel aquilinus in gradu vel genere ſuo: quod quidem medium dicitur reſpectu magis vel minus ſimi, vel magis & minus aquili-

ni. Est enim simitas media inter plus & minus: quæ licet non sit rectitudo, tamen retinet pulchritudinem quandam in gradu suo. Verum si medium transgrediatur, videtur primum fieri deterior, ac tamen amittere suam pulchritudinem. Sic etiam popularis vel paucorum potentia quamuis discedat ab optima republicã, tamen habet mensuram quãdam inter parum & nimium: & de tali mensura loquitur philosophus, quam excedentes corrumpunt tales formas rerum p. *Qui vero existimant*, idest tàm populares, quàm pauci existimantes hanc vnã esse virtutem scilicet, vt illi popularitatem, isti paucorum potentiam augeant, trahunt ad excessum. *gratiam retinet*. s. ad aspectum. *Deteriorem faciet*, scilicet primo. *Qualia popularium seruent populi statum*, scilicet legum vel institutionum, & qualia corrumpant, scilicet populi statũ. *nulla*, idest neutra. *Itaq; dissoluentes leges*, idest corrumpentes tales respublicas legibus, quæ circa excellentiam, idest excessum consistunt, dissoluunt illas.

Aberrant & in vero populari statu, & in paucorum gubernatione. in populari quidem ductores populi, vbi multitudo legibus dominatur. diuisam enim faciunt semper ciuitatem, opulentis aduersantes. at oportebat contrarium videri semper dicere pro opulentis: in paucorum verò gubernatione, pro populo, eos qui rempublicam gubernant. & contraria iurare, quàm nunc iurent in paucorum gubernationibus. in quibusdam enim ciuitatibus nunc iurant populum odio habebo, & consilio annitar, vt malè habeat. expedit autem simulare ac fingere contrarium, atque ita iuramentum adnotare, non afficiam populum iniurijs.

Affert aliud documentum philosophus contra corruptionem, quæ oriri potest ex causis discordiarũ: quod videtur esse remedium defectus amoris in rempublicã. Id autem documentum est, quod non oportet facere, vt pleriq; gubernatores rerum publicarum, nunc faciunt, cum lædunt alteram partem, quę non tenet statum. Deberent enim contrarium operari, & gratificari & parti, quæ non gerit rempublicam. *diuisa enim faciunt semper*, idest duo faciunt, videlicet duas partes distra-

ctas

ctas, & diuidunt ciuitatem, quod non deberent.

Maximum autem omnium, quæ dicta sunt ad reipublicæ stabilitatem, est id quod nunc parui faciunt omnes, erudiri ad reipublicæ disciplinam. nihil enim prosunt vtilissimæ leges quæ à gubernatoribus decernuntur, nisi moribus instituti & disciplina imbuti in republica homines fuerint: si leges populares, populariter: si paucorum potentiæ, ad hanc ipsam gubernationem. Quemadmodum certè in uno uiro intemperantia est, etiam & in ciuitate. disciplina autem reipublicæ est, non ea facere, per quæ latenter pauci potentia, aut populares, sed per quæ ualeant, illi quidem gubernationem paucorum tenere, hi uerò popularem. nunc autem in paucorum potentia gubernatorum filij delicijs intendunt: tenuiorum autem filij gymnasiis, laboribusq; exercentur: quare & uolunt magis, & possunt, res nouas moliri. In populari uerò statu, qui maximè uidetur esse popularis, contrà quàm utile sit, constitutum est. huius rei causa est quod malè definiunt libertatem: duo sunt enim quibus popularis status definitur, potestate summa populi, ac libertate. iustum autem æquũ uidetur esse. æquum uerò quodcunq; uideatur esse multitudini, id esse præcipuum. liberum autem & æquum, quodcunque uelit quis facere: itaq; uiuit, unusquisque, ut uult in huiusmodi populari statu, & ad quod gliscit, ut ait Euripides. Sed hoc est prauum. non enim putandum est esse seruitutem viuere, ad formam reipublicæ, sed salutem. Ex quibus igitur mutantur respublicæ & corrumpuntur, & seruantur, & permanent, ut simpliciter dicamus, tot, & talia sunt.

Affert aliud documentum contra corruptionem, quę oritur ex imperitia. Id autem est, vt erudiantur ciues ad disciplinam reipublicæ. Nam parum leges, aut bonæ simpliciter, aut bonæ & accõmodatæ reipublicæ proderunt, nisi ciues à pueritia sint bonis institutionibus eruditi, vt possint sine difficultate legibus obtemperare, sicut etiam in decimo Ethicorum ostensum fuit: nunc autem dicit philosophus contra erudiuntur. Nam in paucorum potentia filij gubernatorum in delitijs viuunt: pauperes autem se in gymnasijs exercẽt, ac deinde plus, possunt, & volunt res nouas moliri. In populari etiam statu contra fit, quam sit opus. Duo enim sunt, quibus

status

ſtatus popularis definitur: Vnum ſumitur ex poteſtate populi.i.vt multitudo dominetur:alterum ex libertate: nã iuſtũ dicitur illud quod eſt ęquale:id aũt in ſtatu populari exiſtimatur eſſe æquale, quod videtur multitudini. Multitudo aũt dominans eſt, & quod ſtabilitur à dominante, æquũ eſſe dicunt: liberũ aũt & æquũ eſſe aiunt facere quęcunq; velis. Quare proponunt ſibi effrenatam quandam libertatem,quę non eſt proprie libertas,ſed licentia quædã inordinata. Nam vera libertas conſiſtit in eo,vt quis ſit liber à vitijs,& viuat ſecundum bonos mores,& bonas leges,quarum ſerui facti ſumus,vt liberi eſſe poſſimus. Quapropter ita erudiri oportet ad diſciplinam reipublicę,vt facile bonis inſtitutionibus,& legibus pareamus. Et ſic declaratum eſt in hac prima parte huius libri, ex quibus corrumpuntur, & quibus conſeruantur reſpublicæ. *In temperantia*, ideſt in continentia. Vbi eſt autem incontinentia, ibi appetitus dominatur, ratio parum aut nihil proficit. Sic etiam in ea ciuitate,vbi ad libitum viuitur, parum aut nihil proficiunt leges, & bonę inſtitutiones. *Poteſtate ſumma populi*, ideſt primum eſt in eo genere gubernationis, vt maior par ſit in poteſtate, & dominetur. Notandum,quod viuere ſecundum bonas leges, eſt viuere libere, quia eſt viuere ſecundum rationem. Qui autem rationem ſequitur,maxime viuit ſecundũ ſeipſum: quia vnumquodque maxime dicitur illud, quod eſt principale in eo: at uero in homine principale eſt ipſa ratio:quare maxime operari ſecundum ſe ipſum, dicitur operari ſecundum rationem, & legitimas inſtitutiones.

Reſtat nunc uidere de unius gubernatione, ex quibus corrũpatur,& per quæ ſeruari ualeat. ferè autẽ ſimilia ac propinqua ſunt illis,quæ diximus ſupra de cæteris gubernationibus,illa quæ circa regnum, & tyrannidem contingunt: nam regia quidem poteſtas, optimatum gubernationi reſpondet. Tyrannis autem,ex paucorum potentia illa extrema & ex populari componitur:quapropter perniciosiſſima eſt ijs qui ſub ea ſunt,utpote ex duobus compoſita malis & tranſgreſſiones, & delicta continens, quæ ex ambabus illis

lis reipublicæ gubernationibus proueniunt.

Hæc eſt ſecunda pars huius quinti libri, in qua philoſophus, poſteaquam attulit cauſas corruptionis & conſeruationis rerũ publicarũ, in quibus plures dominantur, nunc affert cauſas corruptionis & conſeruationis gubernationum, in quibus vnus dominatur. Habet autem hæc pars vnicum tantum tractatum, qui diuiditur in quatuor capitula: in primo affert cauſas in genere corruptionis & conſeruationis talium gubernationum, ſcilicet vnius: in ſecundo affert cauſas in ſpecie corruptionis ipſarum: in tertio affert cauſas conſeruationis earundem: in quarto affert ſententiã Platonis, circa corruptiones & conſeruationes rerumpub. & eam refellit.

Primum capitulum diuiditur in duas partes, quæ ſuis locis declarabuntur. In prima igitur præmittit voluntatem ſuam, & dicit, quod cauſæ, atque principia circa conſeruationem, & corruptionem harum gubernationum, ſcilicet regni, atque tyrannidis conſideranda reſtant. Illa autem, quæ circa hæc eueniunt, ſunt inquit, ſimilia illis, quę de cæteris gubernationibus attulimus. Nam regnum eſt propinquum optimatibus, tyrannis vero ſimilis eſt potentiæ paucorũ, & ſtatui populari, ideſt ſpeciebus vltimis vtriuſque, ex quibus componitur tanquam ex duobus malis. Merito igitur ſimiles propè cauſæ ſimiles propè effectus producent.

Exiſtitq; generatio ſtatim ex contrarijs utrique iſtarum (ea quæ per unum geritur) adminiſtrationum: nam regia poteſtas, pro tutela præſtantibus uiris à populo facta eſt, & fit rex ex præſtantibus per excellentiam uirtutis, uel rerũ geſtarũ quæ ſunt à uirtute, uel per excellentiam huiuſcemodi generis. Tyrannus uerò originem habet à populo ac multitudine, contra nobilitatem, ut populus ab illis iniuriam non patiatur. Patet hoc ex ijs quæ contigerunt: ferè enim tyranni ut plurimum facti ſunt ex ductoribus populorum, fidem adepti ab initio propter calumnias contra nobilitatẽ iactas. Tyrannides igitur in hunc modum conſtitutæ ſunt: ciuitatibus iam adauctis. Aliæ prius ex regibus tranſgredientibus patria iura, & affectantibus, magis dominari. Aliæ ex electis ad principales magiſtra-

gistratus: antiquitus enim populi constituebant diuturniores & intendentias. Aliæ ex paucorum potentia eligentium unum aliquem ad maximos magistratus. Omnibus istis modis facultas fuit id perficiendi, si modo uoluissent per potentiam sibi præexistentem: his quidem ex regia potestate, alijs verò ex honoribus à populo exhibitis. ceu Phidon apud Argos, & alij alibi regiam potestatem habentes, tyranni sunt facti. qui uerò circa Ioniam, & Phalaris, ex honoribus. Panetius quoq; in Leontinis, & Cypselus Corinthi, & Pisistratus Athenis, & Dionysius Syracusis, & alij eodem mo do ex fauore populorum, apud quos multum poterant. Vt ergo diximus, regia potestas instituta est secundum optimatum gubernationem: est enim secundum dignitatem: uel per uirtutem propriam uel generis, uel per beneficia collata, uel per ista simul ac potentiã. omnes.n. qui maxima beneficia in ciuitates, gentesq; cõtulerunt, uel qui eam facultatem habuerunt, ut conferre ualerent, hoc honore potiti sunt. alij bello conseruatis populis, ne in seruitutem deuenirent, quemadmodum Codrus. alij à seruitute liberatis, ut Cyrus. alij quod condidissent urbem, uel quod regionem acquisissent, quemadmodum Lacedæmoniorũ, & Macedonũ, & Molossorum Reges.

Ostendit nunc philosophus, quod regia gubernatio, atque tyrannis oritur ex contrarijs: & primum declarat, quomodo emergit regnum. Fit nanq; aut ob excellentiam virtutis, vel ob res gestas, vel gratia sui generis, idest maiorum suorum, si similis sit, & studiosus, vt illi. Nisi enim sit studiosus, non est proprie rex appellandus. Hinc igitur emergit rex, & regia potestas reperta est, pro bonorum & præstantium virorum præsidio, ne à multitudine opprimantur. Tyrannus vero habet originem ex populo contra viros insignes. & facti sunt plerique tyrannorum ex ductoribus populi, qui fidem consequuti apud populum ex eo, quia nobilitatem persequebantur, statum occuparunt. Quidam ex regibus, cum non contenti essent imperare, vt patres, sed vt heri, & vellent subditos habere, vt seruos, facti sunt tyranni. Alij ex magistratibus: alij ex paucorum potentia tyranni euaserunt, vt patet in textu. Tangit enim quatuor modos; quanquam primo modo, idest ex ducto-

ribus

ribus populi tyrannos oriri,vt plurimum velit.*Contra populum*, ideſt reſpectu populi, ne iniuriam faciat bonis. *Magis dominari*, ideſt dominari,vt heri.*Omnibus iſtis modis*, ſcilicet facultas fuit &c. Rediguntur autem ad duo genera modorum,ſcilicet ex regia poteſtate,vel ex honoribus populi,& vtriuſq; modi exempla adducit. Deinde oſtendit, quod ſicut dictum eſt antea regia gubernatio inſtituta eſt ſecundum optimatum gubernationem.

Vult autem Rex eſſe cuſtos,vt qui diuitias habent, nihil iniuſtũ patiantur,nec etiam populus afficiatur contumelijs. Tyrannis autem (vt ſæpe iam diximus) ad nullam communem reſpicit vtilitatem,niſi gratia proprij commodi,eſt autem obiectũ tyranni,quod placet: Regi, quod honeſtum ſit. Quamobrem & in ea in quibus plus habent, ſunt, tyrannis quidem pecuniæ, regibus autem honores. Et cuſtodia regi à ciuibus ſuis eſt, tyranno autem à peregrinis. Quod uerò tyrannis contineat illa mala: quæ ſunt & popularis gubernationis & paucorum potentiæ, manifeſtum eſt. ex paucorum quidem potentia, finem eſſe diuitias: per has enim ſolas neceſſe eſt permanere, ut conductos retineat cuſtodes, ut ſumptus faciat in educando,eo ipſo quod populo ſuo in nulla parte con fidat. Itaque arma ciuibus ſuis adimere, ac multitudinem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, cõia ſunt vtrarumque, paucorum ſcilicet potentiæ,& tyrannidis. Ex populari autem, vexare nobilitatem,clam euertere & apertè,in exilium pellere tanquam aduerſarios,& machinatores contra potentiam ſuam. Ex his enim & inſidias aduerſus eos iniri contingit, alijs dominationem affectantibus, alijs ſeruitutem fugientibus. Vnde Periandri conſilium Thraſybulo datum, ſupereminentes ſpicas decerpere: tanquam opportunum ſemper ſit, eminentiores ciuium de medio tollere.

Affert proprietates, & conditiones quaſdam regum, & tyrannorum,quæ ſunt inter ſe oppoſitæ. Prima conditio regis eſt,tueri opulentos, ne aliquid iniuſtum patiantur à non opulentis, & verſa vice populum cuſtodire ne à diuitibus & potentibus contumeliam recipiat: Eſt enim cuſtos iuſti,& pro diuitibus & pauperibus com munis vtilitatis rationem habens. Tyrannus contra ad nullam

nullam communem vtilitatem respiciens,omnia ad suũ commodum refert. Quod si populũ à potentibus tueatur,id sui commodi,& non communis gratia facit.Præterea obiectum tyranni est voluptarium & sensui iucundum: regis vero signum,ad quod respicit,atq; obiectum est ipsum honestum,ex quibus fit, vt cupiditates eorum sint diuersæ. Nam tyrannus cupit habere pecunias, vt ex illis assequatur voluptates:rex vero appetit honesta, & virtutis officia,quę habentibus decorẽ afferunt.Confidit præterea rex ciuibus suis: tyrannus vero peregrinis,atque externis. Post hæc philosophus,cum dictum sit,quod tyrannis componitur ex paucorum potentię,& popularis status vltimis speciebus tanquam ex duobus malis,ostendit,quod ea mala,& pernitiosę conditiones, quę competunt illis duabus gubernationibus,in vltima specie constitutis, competunt etiam tyrannidi, veluti conditiones, quæ competunt optimatibus, & bonis viris, competunt etiam regi. *& illa in quibus*,idest illa quę sibi vsurpant. *consilia,* idest insidias. *aduersus eos*,idest aduersus ipsum.Sic igitur attulit conditiones diuersas atque contrarias vtriusque, videlicet regis atque tyranni.

Vt igitur ferè dictum est,eadem principia mutationum sunt existimanda in rebuspublicis,& in vnius gubernatione. per contumeliam enim, & per metum, & per contemptum insurgunt plerique subiectorum,aduersus eos qui in monarchia sunt dominantes. iniuriæ uerò maximè per contumeliam,nonnunquam etiam per ablationem propriarum rerum,fiunt.Sunt autem & fines ijdem & illic quales sunt circa tyrannides & regna. opes enim & honores,qui in tyrannis & regibus conspiciuntur maximi, affectant omnes.

Hæc est secunda pars huius primi capituli,in qua philosophus affert causas vniuersales corruptionis rerumpublicarum, in quibus vnus dominatur, & dicit in primis, quod eadem sunt principia mutationum in rebus publicis, & in gubernatione vnius. Nam regnum constitutum est secundum optimatum, & virorum bonorũ gubernationem. Eadem igitur principia, quæ corrumpunt tales gubernationes, corrumpunt etiam regnum.

Tyran-

Tyrannis vero ex paucorum potentia, & ſtatu populari componitur. Quæ igitur illas corrumpunt gubernationes, corrupunt etiam tyrannidem. Communiter autem & in genere quæ corrupunt gubernationem vnius dominantis, dicit philoſophus, ſunt contumelia, metus atque contemptus: & per has cauſas vult complecti etiã cæteras, quas plures eſſe oſtendit. *Sunt autem & fines*, ideſt ſunt autem & fines circa tyrannides & regna, quales ſunt ibi.

Inſurgitur autem quandoque in corpus dominantis, quandoque in ipſam dominationem. Quandoq; autem per contumeliam inducuntur homines ad inſurgendũ (dum impetus fit) in corpus. cumque ſint contumeliæ partes plures, vnaquaq; illarum concitat ad iram. iraſcentium verò fere plurimi, vltionis cauſa impetum faciunt, non autem vt excellant: quale fuit illud filiorum Piſiſtrati: ob contumeliam.n. ſorori Harmodij illatam, & ipſum Harmodium iniuria affectum, impetus in eos factus eſt, ab Harmodio quidem propter ſororem, ab Ariſtogitone autem propter Harmodium. Aduerſus Periandrum quoque Ambraciæ tyrannum inſidiæ factæ ſunt, ex eò quia in potu quem amabat puerum, interrogauit, an nondum ex ſe prægnans factus eſſet. Philippus verò à Pauſania occiſus eſt, quia non vlciſcebatur contumeliam ſibi factam ab Attalo. & Amyntas paruus, à Derda, quia iactaret ſe eius ætate abuſum. Et eunuchus ab Euagora Cyprio: quia enim mulier renuit filium eius, quaſi contumelia affectus, eum necauit. Plurimæ vero inuaſiones factæ ſunt ex eò in corpus, quod verecundiam intuliſſent nonnulli eorum, qui ſoli erant in principatu. Qualis fuit inuaſio illa Cratei aduerſus Archelaum: ſemper enim moleſta illi fuerat conſuetudo eius. Itaque parua etiam occaſio ſufficiens fuit, vel quia filiarum nullam ſibi dederat, cum ſe daturum promiſiſſet, ſed primam aucupatus à bello aduerſus Syrram Arrabæum, tradidit regi Elibiæ: alteram filiam minorem natu, filio Amyntæ coniugauit, exiſtimans per hunc modum minimè ſibi fore aduerſaturum ex Cleopatra genitum. ſed indignationis principium extitit, quod grauiter ferebat ſe ad libidinis gratiam haberi. Fuit vnà cum illo ad rem patrandam Hellanocrates Lariſſæus, ob eandem cauſam: qui enim abuſus ætate illius, non vt promiſerat faciebat, in

patriam deduci, ob contumeliam id fieri ratus est: non ob amorem. Paron verò & Heraclides Athenienses, Cotyn peremerunt, patri supplicium sumentes. Adamas verò à Coty defecit, quasi contumelia affectus, quod ab eo in pueritia exectus esset.

Sumit vnam causam, ex qua fiunt mutationes dominantium, & est iniuria illata per contumeliam. Verum contumeliæ sunt species multæ. At mouentur plerique contumelijs contra dominantem, non tam vt tollant dominationem, quàm ob impetum animi, ex contumelia accepta, vt exemplis ostendit. *A Pausania,* non rege Lacedæmoniorum, sed ab alio Pausania. *Plurimæ verò.* Affert aliam causam & speciem contumeliæ, qua inuasiones fiunt contra dominantes. Ea est ex iniuria illata corpori, vt patet in textu. *Consuetudo eius,* scilicet turpis, licet alia prætendebatur causa.

Multi etiam ob verberatum corpus, vel interfecerunt ira perciti, vel impetum fecerunt, quasi contumelia affecti, & contra homines in potestate constitutos, & contra reges: vt Megacles apud Mitylenen, Penthalidas circumeuntes, & claua pulsantes, cum amicis aggressus interfecit: & postea Smerdes verberibus cæsus, & à muliere tractus, Penthilon interemit.. Archelai verò inuasionis dux fuit Decamnichus: is .n. primus cæteros aggressores commouit & exacerbauit: causa verò fuit irarum, quod illum Archelaus Euripidi poetæ verberandum tradidisset. erat verò infensus illi Euripides, ob maledictum in ipsius maleuolentia oris iactatum. Et alij complures tali de causa, vel interfecti sunt, vel in periculum insidiarum deuenerunt. Similiter quoq; propter metum: hæc enim vnà ex causis est, vt in republica, sic etiam in vnius gubernatione. ceu Xerxem Artapanes metuens ob calumniam de Dario, quod eum suspendisset. Xerxe non iubente: sed putabat illi veniam esse datam propter cœnam, quasi non reminiscente.

Affert aliam causam, & speciem contumeliæ: qua inuasiones fiunt contra dominantes. Ea autem fit ob cæsum corpus vt exemplis ostenditur in textu. *Similiter quoque.* Affert aliam causam inuasionis, idest ipsum metum. patet textus. eleuasset idest suspendisset.

Aliæ vero propter contemptum, vt videns quidam Sardanapalum

lum regem inter mulieres pensa diuidentem (si modo hæc fabula uera fuit) & si non illo, attamen hoc in alio verum esset. Et Dionysium posteriorem, Dion inuasit, quod eum contemnebat, conspiciens ipsum Dionysium semper ebrium, & ciues Syracusanos ita se habere. Amicorum etiam quidam insurgunt propter contemptum: ob fidem enim eis adhibitam spernunt, tanquam latere possint eorum molitiones, & putantes se dominationem obtinere posse: quodammodo per contemptum inuadunt: tanquam enim potentes & contemnentes periculum, propter suam potentiam facile insurgunt: vt duces quidam exercituum, aduersus principes suos. quemadmodum Cyrus contra Astyagen, cuius & vitam & potentiam contemnebat, cernens & copias eius iam consenuisse, & ipsum in delitijs vitam agere. Et Seuthes Thracius Amadocum, cum esset dux exercitus. Quidam uerò huiusmodi plurium gratia insurgunt, ceu propter contemptum, & lucrum: ueluti contra Ariobarzanem Mithridates. Maximè uerò propter hanc causam insurgunt hi, qui sunt natura audaces, & honorem habent ex rebus bellicis, apud eos qui soli dominantes atque principes. fortitudo enim potentiam habens, audacia est: per quas ambas quasi facile superaturi, eos aggrediuntur. Eorum uerò qui ob honoris cupiditatem insurgunt, alius est causæ modus præter iam dictos: non .n. vt quidam, Tyrannos inuadunt spe magnorum commodorum, magnorumq; honorum inducti, quos in illis cernunt: sic & hi qui ob honoris cupiditatem eos aggrediuntur. sed illi quidem, ut ea sibi arripiant, quæ in tyrannis admirabantur: hi autem, ut ex re gesta memorabili atque egregia, famam, atque celebritatem nominis consequantur, tyrannos adoriuntur: non dominationem sibi solis acquirere uolentes, sed gloriam: sunt tamen numero perpauci qui ob hanc causam moueantur: constituendum est enim sibi viuendum non esse, nisi rem confecerint: quibus adesse oportet Dionis propositum. Sed non facile est ut id multis contingat: ille enim cum paucis militibus contra Dionysium profectus, ait: quantumcunque progredi posset, satis id sibi fore, ut si uel parum terræ illius inuasisset, pulchrum sibi iam mori existimaret.

Affert aliam causam inuasionis, idest ipsum contemptum, qui dupliciter esse potest, aut ab alienis, aut à familiaribus. Dicit autem propter contemptũ non princi-

pum in ſubditos, ſed ſubditorum in principes, vel aliorum, vt exemplis percipitur in textu, quæ non indigent declaratione. *Ita ſe habere*, ſcilicet contemptui habere Dionyſium, ſicut habebat Dion. *Quidam uero.* Affert eandem cauſam inuaſionis ſimul coniunctam cum lucro. *Maxime uero*. Affert eos qui maxime ob dictam cauſam inſurgunt: tales autem dicit eſſe audaces, & armis pollentes, hoc exemplis multorum ducum oſtendi poſſet qui inuaſerunt imperatores Romanos. *Fortitudo enim potentiam habens*, ideſt fortitudo largo modo, & non proprie ſumpta, ſuperbia, ideſt audacia eſt. *Eorum uero*. Affert aliam cauſam inuaſionis, quę paucis contingit, vt exemplo Dionis oſtendit.

Corrumpuntur autem tyrannides, vno quidem modo, vt vnaquæque illarum rerumpub. ab extra, ſi aliqua ſit contraria reſpublicæ robuſtior. nam velle quidem aderit. propter contrarietatem uoluntatis. quæ autem uolunt omnes, efficiunt, modo poſsint. Contrariæ uerò ſunt gubernationes, populus quidem tyrannidi (ſecundum Heſiodum) ut figulo figulus. nam gubernatio populi illa poſtrema, tyrannis eſt. regia uerò poteſtas & optimatum gubernatio, propter contrarietatem gubernandi. Quapropter Lacedæmonij multas euerterunt tyrannides, & Syracuſani per idem tempus, quo reſpeblicæ eorum rectè gubernabantur. Alio autem modo corrumpuntur, cum in ſeipſis ſeditiones habent. quemadmodum circa Gelonem factum eſt, & nunc circa Dionyſium. Gelonis enim filium Thraſybulus Hieronis frater, per illecebras & uoluptates traducebat, ad populi fauorẽ, ut ipſe dominaretur, domeſtici, uerò ac neceſſarij conſpirabant, ut non tyrannis omnino diſſolueretur, ſed Thraſybulus. uerum alij inter hæc conſpirantes, eam occaſionem nacti, ipſos omnes populerunt. Dionyſium autem, Dion contra eum copijs ductis, cum eſſet affinis, ſuſcepto populo, illum pepulit, ipſe uerò interfectus eſt.

Hoc eſt ſecundum capitulum huius primi tractatus, in quo poſteaquam attulit in genere cauſas mutationis gubernationum, in quibus vnus dominatur, nunc affert cauſas particulares earundem. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes, quæ declarabuntur. In prima igitur

igitur philosophus affert causas mutationis tyrannidis, & primum adducit causam externam, à qua dicit corrumpi tyrannidem, videlicet si est aliqua respublica potentior ab extra, quæ ei aduersetur. Notandum, quod tyrannidi aduersatur popularis status, optimates & regnum. nam popularis illa extrema gubernatio est veluti tyrannis quædam simplex. Similiter, & paucorũ potentia in postrema specie constituta: tyrannis uerò cõposita est ex illis. Sed dubitatur, quomodo componatur ex illis, si ei sunt contrariæ. Dicendũ, quod istæ non sunt contrariæ contrarietate proprie dicta, sed eo modo, quo figulus figulo contrariatur, vt dicit Hesiodus. Nam figulus non est per se contrarius figulo, immo est similis: sed per accidens dicitur contrarius, in quantũ alter impedit alterum in lucro: sic popularis gubernatio extrema dicitur contraria tyrannidi, non per se, sed per accidens, & inquantum altera impedit alteram. At regnum & optimates aduersantur tyrannidi per se & ratione formæ gubernandi. Igitur popularis gubernatio postrema destruit tyrannidem, quia simul esse non possunt, & se inuicem impediunt. Regnum verò & optimates destruunt eandem, quia inuicem contrariantur, & intendunt diuersos fines, vt patet. *Alio autem modo.* Affert alium modum euersionis tyrannidum, qui modus oritur non à causa externa, sed ab interna seditione familiarium, vel affinium, vt exemplis ostenditur in textu. *Trasybulus.* s. vt ductor populi etiam inter paucos.

Cumq; duæ sint causæ propter quas maximè contra tyrannos insurgitur, odiũ scilicet, et contemptus: odiũ quidem existat oportet in tyrannos. Ex contemptu aũt plurimæ fiunt euersiones. Huius verò signum fuerit, quod pleriq; eorũ qui dominationes adepti sunt, eas vsq; ad extremum conseruarunt. sed qui ab alijs susceperunt, confestim (vt ita dixerim) perierunt omnes. In uoluptatibus. n. uiuentes, habentur facile contemptui, ac multas præbent occasiones opprimendi sui. Particulã uero quandã odij, debemus irã existimare. nã quodammodo eorundẽ causa existit, & est interdũ ira efficacior quàm odiũ. uehemẽtius. n. insurgunt, quia perturbatio illa non

vtitur ratione. Maximè verò contingit, ut ira deferantur, qui contumelia fuerunt affecti: per quam quidem causam et Pisistratidarum deleta est tyrannis, & multæ aliarum. odium verò vtitur magis. nam ira cum dolore fit. quare non facile, vt ratione vtatur, odiũ verò sine dolore. Vt autem summatim dicamus quotcunq; causas diximus paucorum potentiæ illius perpravæ, temperatæ, atque postremæ, & popularis gubernationis extremæ, totidem & tyrannidis causas esse ponendum est. nam & hæ sunt tyrannides quædam, atque sub tyrannidum diuisione contentæ.

Affert causas mutationis tyrannidum, odium simul atq; contemptum: & dicit philosophus, quod odium est perpetuum in tyrannidem: quia vt primum est tyrannis est etiam odium, cum sit pessima omnium gubernationum. Verũ cũ adiungitur contemptus, statim euertuntur tyrannides: vnde ex contemptu permultæ euersiones tyrannidum sunt factæ. Posthæc philosophus tangit aliam causam, idest iram, quam reducit quodammodo ad odium, & tamen affert postea quasdam differentias inter odium & iram, quę patent in textu. Concludit postea philosophus, quod totidem causæ sunt mutationis tyrannidis, quotcunq; sunt paucorum potentiæ vltimæ, & popularis gubernationis extremæ. Ex illis enim quodammodo componitur, vt dictum fuit.

Regnum autem ab ijs quæ extra sunt, quam minimè corrumpitur, quapropter & diuturnius: ex se autem ipso, vt plurimum euertit contingit. Corrumpitur autem duobus modis: vno, si seditio oriatur inter eos qui participes sunt regni: alio modo si tyrannicè gubernare pergant, volentes esse domini plurium, & contra legem. Non fiunt nunc amplius regna, sed si qua fiunt, monarchiæ & tyrannides magis sunt: ob id, quia regnum spontanea gubernatio est: dominium verò maiorũ est. at plurimi pares sunt, nec vsq; adeo præexcellentes, vt ad magnitudinem, dignitatemq; huius principatus se possint attollere. atque ex eo fit, vt sponte illi non pareatur: quod si deceptione quis, aut vi dominetur, iam apparet hanc esse tyrannidem. In regnis autem illis in quibus succeditur per genus, ponendum est corruptionis esse causam, vltra illas quæ suprà sunt dictæ, quod plerunque contemnendi homines succedunt

in regnum: & quod cum non habeant potentiam tyrannicam, sed regium honorem contumeliose viuunt, est enim facilis deiectio regis. si enim nolint, statim non erit rex. sed tyrannus etiam nolentium est. corrumpuntur enim gubernationes vnius, per has, & huiusmodi alias causas.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus affert causas particulares mutationis regni. Et primum ostendit regnum esse diuturnius, quia non habet causas externas suæ corruptionis, vt tyrannis. Corrumpitur autem duobus modis: vno modo ob seditionem suorum: alio modo si rex discedit à regio more viuendi, & incipit esse non proprie rex, sed degenerat & declinat ad tyrannidem. *Non fiunt nunc amplius regna*, idest ostendit, quod nunc non fiunt regna, scilicet proprie dicta, & assignat rationes quia rex debet volentibus imperare, & debet esse prestantissimus cæterorum. Sed difficile est huiusmodi conditiones reperire, ideo difficile est reperire regnum, & vlterius dicit philosophus, quod regnorum, quæ fiunt per successionem, destructiones plerunque sequuntur, cum homines inepti atque despiciendi succedunt in regno. *Superbiunt*, idest contumelias afferunt, potentiam habentes non tyrannicam, sed regium honorem.

Seruantur autem simpliciter loquendo ex contrarijs. singulariter autem loquendo, per deductionem cuiusque regnorum ad mediocrem modum. quanto enim pauciorum est potestas omnis, tanto maiori tempore necesse est eam durare: nam & ipsi qui regunt minus ferociunt, ceu domini, magisque moderati fiunt: & illi qui reguntur inuident minus. Propter hoc enim & apud Molossos longo tempore durauerunt reges, & apud Lacedæmonios, quod ab initio statim in duas partes diuisa fuerit regia potestas. Et postea Theopompus ad mediocritatem magis illam deducens, Ephoros superaddidit: potestatem quidem minuens. sed tempore augens regiam auctoritatem, ut faceret eam quoquo modo non minorem, sed maiorem, ut ad uxorem suam respondisse ferunt, dicentem, an non erubesceret quod filijs minorem potestatem regiam relinqueret, quam à parentibus ipse recepisset?

non profectò inquit, nam relinquo eis multò durabiliorem.

Hoc est tertium capitulũ huius tractatus, in quo philosophus allatis causis mutationis regni, atque tyrannidis, affert causas conseruationis earundem gubernationum. Diuiditur autem in quatuor partes, quæ suis locis declarabuntur. In prima igitur dicit, quod simpliciter, & absolute loquendo, conseruantur istæ gubernationis vnius ex causis contrarijs quibus corrumpuntur. Causæ enim contrariæ producunt contrarios effectus: Nam si ea, quæ superius dicta sunt, corrumpunt has gubernationes, contraria conseruabunt: & hæc ut regula generalis adducitur. Sed particulariter loquendo, mediocritas & moderatio quædam imperandi causa est conseruationis, & diuturnitatis. Quamobrem reges maiore tempore durant, si non nimium imperiose regunt, vt exemplis ostendit. Verum cum regnum sit per se optimum gubernandi genus, ideo breuiter tangit philosophus suæ conseruationis remedium, ex quo intelligitur ipsum parum, vel nihil extraordinarijs sustentari.

Tyrannides uerò seruantur duobus modis inter se contrarijssimis: quorum alter est is quem per succeßionem traditum, plurimi tyrannorum obseruant. horum autem multa constituisse ferunt Periandrum Corinthium: multa etiam ex gubernatione Persarum est assumere. Sunt autem hæc, illa perniciosa, quæ supra retulimus omni conatu à tyrannis fieri, quo dominationem retineant. veluti potentiores decerpere, & sapientes perimere.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus affert duos modos, quibus vtuntur tyranni ad conseruandas tyrannides: vnũ per intensionem, qui modus est multum violentus: alterũ per remissionem ipsius tyrannidis: isti autem modi sunt valde contrarij, vt est etiam intensio atque remissio. Primum igitur philosophus considerat tyrannidem secundum primum modũ, .i. intensionem, & affert ad illud propositum plura tyrannica, quibus vtuntur tyranni pro conseruatione. ac valde tyrãnidẽ intendunt, quę acceperunt à pluribus, & maxime à Periãdro, & à barbaris, ex quo intelligi licet

indigna

indigna esse,& violenta,vt est etiam ipsa tyrannis. Primum tyrannicum sumunt secundum morem traditum à pluribus tyrannis,qui consueuerunt potentiores deponere &c. *Quorum alter est is*, scilicet per intensionem tyrannidis.

Et neq; comessationes permittere,neq; sodalitatem,neq; disciplinam,nec aliud quicquã tale, sed omnia cauere,vnde consueuerunt oriri inter ciues duo,intelligentia scilicet,& fides.Et neq; scholas, neq; conuentus alios vacationis alicuius, fieri concedere, & omnia facere ex quibus ciues inter se quàm maximè incogniti sint omnes: cognitio enim fidem magis inter ipsos aggenerat.

Secundum est,quo vtuntur tyranni, quod congregationes fieri vetant,vt patet in textu. *Intelligentia*,idest audacia,vel elatio animi,vt quidam exponunt.

Et satellites eius apparere semper ac versari circa fores, quo minus latere possit,quid quisq; agat,& explorare,si assuescant sensim animum submittere per seruitutem continuam. & alia quæcunque talia Persica,& barbara,tyrannidis sunt: cuncta.n.idem possunt. Et anniti ne lateant, quæcunq; quis subiectorum dixerit, aut fecerit, sed esse exploratores. quemadmodum Syracusis ij qui delatores nuncupantur, & auricularij, quos submittebat Hieron vbicunq; esset congregatio aliqua vel conuersatio: minus.n.audet, qui talia formidant,& si audent,minus latere possunt.

Tertium est quod curant,vt venientes foris repræsentent se domui principis,quo facile sciant,qui sunt extra, & qui intus,& inducant consuetudinem seruiendi. *Et ne lateant.* Quartum est quod nituntur, ne lateant quæcunque dicantur, aut fiant, constituendo exploratores, qui cuncta deferant ad principem, quos aures principis vel auricularios appellant Græci. nam minus audent, qui tales præsentes formidant.

Calumniari quoq; inuicem, et discordias seminare,amicisq; amicos confligere, & plebem cum nobilitate, & diuites inter se ipsos, & subditos ad paupertatem redigere, tyrannicæ est prauitatis, ut neq; sumptus fiat in custodia, & illi quotidianis molestijs occupati, vacare non possint ad consilia contra Tyrannos ineunda. Exemplum huius sunt Pyramides Aegypti,& statuæ Cypselidarum,et

Olympi

Olympi ædificatio à Pisistratidis facta, & Policratis opera circa Samum: hæc enim omnia fuerunt instituta, ad ocium & quietem populorum tollendam, & ad inducendam paupertatem.

Quintum est, quod student dissidentes tenere ciues suos. *Et subditos.* Sextum patet in textu, vt neq; sumptus fiat in custodia, sed subditi alant ipsos custodes. *Donaria.* idest dedicationes sacras.

Et tributorum pensio, vt etiam Syracusis factum est: Dionysio enim eam ciuitatem tenente, contigit Syracusanos in quinque annorum tempore cunctas facultates suas in soluendis tributis consumpsisse.

Septimum est, quod nituntur inducere etiam pauper tatem per tributorum pensionem, quod est valde perniciosum, vt exemplo Dionysij ostendit, qui ciuitatem flo rentem opibus exinaniuit: de quo quidem Dionysio lo qui videtur Cicero in Tusculanis quæstionibus cum inquit. qua pulchritudine vrbem, quibus autẽ opibus seruitute oppressam tenuit ciuitatem.

Studet etiam bellum concitare tyrannus, vt negocijs occupentur ciues, et indigentia ducis continuò detineantur. Et regnum quidem per amicos seruatur: Tyranni autem est maximè amicis eum subuertere.

Octauum est manifestum in textu. *Et regnum quidem.* Nonum est, quod non credit se neque confidit familiaribus, vt rex, qui volentibus imperat: tyrannus vero inuitis dominatur.

Et quæ fiunt circa vltimam popularem gubernationem, tyrannica sunt omnia, vt facultas mulierum, vt libet per domos euagan di, quo reuelent virorum secreta: & manumissio seruorum eadem de causa: non enim insidiantur serui & mulieres Tyranno, & si prosperè degant necesse est utrosq; beneuolos fore, et erga tyrannidem, & erga popularẽ statum: nam et populus dominus esse uult. Ex quo fit, ut adulatores, apud vtrosq; in honore habeantur: apud populum quidem populi ductor: est enim qui populum colit & du cit, populi adulator. Tyrannorum verò, qui humiliter conuersatur: quod est opus adulatoris. nam propter hoc prauos amicos habent tyranni, quod adulationibus gaudent. id autem nemo faceret, qui

mentem

mentem haberet libero homine dignam, sed amāt boni viri, vel non adulantur: & vtiles praui ad praua, clauus enim clauo (vt dictat prouerbium.) nullo quidem honesto, nulloq; libero delectari, tirannicum est: se enim solum esse talem, putat tyrannus: qui autem subditorum vel honestati student, vel libertati, minuere excellentiam atq; praeminentiam tiranidis videntur: oderunt ergo illos tiranni, tanquam euersores potestatis suae. Peregrinos etiam in conuiuia & quotidianum vsum magis recipere, quàm ciues, tirannorum est, quasi illos quidem habeant hostes, hos verò non aduersantes. hæc et huiusmodi à tirannis fiunt, pro dominatione retinenda, nec quicquam omittunt prauitatis.

Decimum est quod tyranni valde tyrannice, & intense dominantes faciunt, quæ fiunt in extrema specie popularis gubernationis. *Clauus clauo*, scilicet extruditur, sic illi malis in malos vtuntur, & prauis ad praua. *Nullo quidem.* Vndecimum tyrannicum est, generosis hominibus non delectari. *Peregrinos etiam.* Duodecimum tyrannicum est, quod peregrinos recipiunt in familiaritatem magis, quam ciues.

Sunt autem (vt ita dixerim) hæc omina tribus speciebus cōprehensa: tria.n.coniectat tirannus: vnum, vt animos imminuat ciuium, paucaq; sapiant: nemo.n.pusillanimus contra tirannum insurgit: secundum, quod ciues inter se diffidentes reddat. non enim prius euertitur tirannis, nisi ciuium aliqui inter se fidem habeant: quapropter & bonos uiros persequitur, quasi pestiferos, & aduersarios dominationi suæ, non solum quia non acquiescunt in seruitute uiuere, uerumetiam quia fides eis & inter se, & ab alijs plurima adhibetur, neq; accusant alios, neq; ipsi se inter se accusant: tertium, impotentia agendi: nemo enim impossibilia sibi aggreditur, quare neq; tirannidem tollere, si potentia desit. ad quos ergò fines referantur tirannorum consilia, tres isti sunt: ad has.n.suppositiones, tirannica redigi possunt uniuersa, partim ne confidant inter se ciues, partim ut potentia eis desit, partim ut pusillanimi efficiantur: unus ergo modus quo saluantur tirannides, talis est.

Hac in parte philosophus redigit omnia illa, quibus vti solent tyranni valde intense dominantes pro conseruatione tyrannidis ad tria capita, ad quę illi respiciunt.

nam primum minuunt ciuium animos: secundo dissiden tes reddunt ciues: tertio reddunt eos impotétes, & debiles, ne sibi nocere possint. Hæc igitur talia tyrannorum solent esse, quibus pro adminiculis vtuntur, cum omnimodam gubernationem sibi assumunt, intendendo & augendo tyrannidem.

Alter uerò modus ex contrario ferè ijs quæ dicta sunt, curam adhibet. est autem deprehendere ipsum ex regnorum corruptione. ut enim regni modus corruptionis unus est, qui gubernationem ipsam regiam magis reducit ad tyrannicam, ita tyrannidis conseruatio est ad regiam gubernationem magis eam referre, unum duntaxat obseruando, uidelicet ut potentiam retineat, per quam non modo uolentibus, uerumetiam nolentibus dominari posit. nam si hãc abijciat, simul abijcit & tyrannum esse. sed hoc tanquam suppositionem quandam manere oportet, cætera uerò partim facere, partim quàmoptimè simulare, ut regia gubernatio uideatur.

Hac in parte philosophus affert alterum modum superiori contrarium, quo vtuntur tyranni, qui remisse & non intense, vt superiores, gubernationem exercent. & primum ostendit, quod sicut regnum quãto magis trahitur versus tyrannidem, tãto magis debilitatur, & ad corruptionem deducitur, ita versa vice tyrannis, quãto magis remittitur, & trahitur versus regnum, tanto magis conseruatur, vt patet in textu.

Primum enim videri communium commodorum curam habere, non effudentem largitiones tantas, ut ciues moleste ferant, quando ab illis capiunt operantibus, ac laborantibus in sua tenuitate, donant autem scortis, & peregrinis, & histrionibus effuse.

Affert igitur multa, quæ concernunt remissionem tyrannidis, & in primis vnum oppositũ ei, quod attulit supra, cum de intensione loquebatur. id autem est, vt remisse gubernationem exercens ab immoderatis largitionibus caueat, vt non perturbentur, sed quiescant ciuium animi, & in publicis pariter priuatisque rebus bonam de eo opinionem concipiant.

Rationem reddant eorum quæ acceperint, & expenderint. quod iam factum est à quibusdam tyrãnis. sic.n. administrans non tyran

nus uidebitur, sed legitimus gubernator: nec erit ei formidandum, ne quandoq; sibi desint pecuniæ, cum sit dominus ciuitatis, ac si dispergerent tyranni ex propria domo. & prodest hoc magis, quàm relinquere congregatas: minus.n.custodes ipsi, contra tyrannum ob res ipsas insurgent. sunt autem formidabiliores tyrannorum custodes, ipsis tyrannis, cum ipsi foras aliquo proficiscũtur, quàm ciues. nam illi quidem unà proficiscuntur, hi autem manent.

Affert aliud, ideſt vt rationem reddat de pecunijs acceptis, & expenſis factis, & ſic habebitur tanquam bonus paterfamilias, & legitimus gubernator. Nec ei verẽdum eſt, ne ſibi deficiant pecuniæ, dicit philoſophus, & melius eſt, vt eas dimittat penes ciues, quibus vti poſſit cum neceſſe fuerit pro republica, quàm domi cumulare. *Dispergentibus tyrannis*, ideſt relaxantibus, pecuniam ex propria domo magis prodeſt, quàm eas congregatas retinere domi.

Deinde redditus & impensas apparare oportet, tum gratia diligentis administrationis, tum etiam ut si quando fuerit opus, illis uti poßit ad belli neceßitates, omninoq; seipsum præbere custodem, & dispensatorem, non ut suarum pecuniarum, sed ut communium & publicarum.

Affert aliud philoſophus, oſtendendo quod oportet huiuſmodi tyrannum ad euitandũ odium, pecunias, quæ ex vectigalibus, aut gratis, ad manus ſuas peruenerint, in promptu habere pro adminiſtratione reip. vel belli neceſſitate, cum opus foret, ita vt communes exiſtimentur. *Et non proprie impensas.* i. ſubminiſtrationes.

Et uideri uelle non asperum, sed cum grauitate honestum, & talem ut eum non timeant obuij: sed magis reuereantur. Hoc aũt non facile est eum assequi, qui facilè fuerit contemnendus. quapropter opus est & si non aliarum uirtutum, at saltem ciuilis eum curam habere, ac talem de seipso opinionem afferre.

Affert aliud, vt tyrannus præſeferat ſpeciem principis, non ſeruili metu, ſed paterna reuerentia dignam. Duplex eſt enim timoris ſpecies, vt in œconomicis inquit philoſophus, vna cum reuerentia, & pudore, qua vtuntur ad patres filij modeſti, & ciues bene moderati,

ad

ad beniuolos gubernatores: altera, cum inimicitia, & odio, ſicut ſerui ad dominos, & ciues ad tyrannos iniuſtos, & iniquos. Verum cum non facile ſit principem hoc aſſequi ſine virtute, vt ciues eum reuereantur, & non metuant, ideo laborandum eſt, habere virtutes, & ſi non poteſt habere omnes, vel alias virtutes exactas, ſaltẽ habeat ciuiles, quibus bonus ſit princeps in tali gubernatione, & etiam habeatur.

Inſuper non ſolum ipſum videri, nulli protinus ciuium contumeliam facere, neq; iuueni, neq; iuuenculæ, ſed etiam nemini eorum qui circa eum ſunt. Eodemq; modo ſe habere mulieres ſuas circa cæteras mulieres: nam & per contumelias mulierũ, per multæ iam tyrannides perierunt.

Affert aliud videlicet, quod nõ ſolum ipſe, ſed etiam ei aſſiſtentes cauere debent à contumelijs inferendis. *Contumeliam facere*, videlicet neq; mari, neq; fœminæ.

Et circa voluptates corporis contrarium facere, quàm nunc faciunt quidam tyranni, non ſolum .n. ſtatim ab aurora id agunt, conuiuanturq; continuò per dies plures, verumetiam apparere volunt aliis, quod ita faciant, vt eos tanquam fœlices beatosq; admirentur. ſed in talibus maxima erit moderatio adhibenda, vel ſaltem videri ab alijs illa fugere, non enim facile inuadi poteſt, nec facile contemni, qui ſobrius ſit, ſed qui ebrius, neque qui vigilet, ſed qui dormiat.

Affert aliud, quod cauendum eſt à voluptatibus corporis. vnde Plato eſcam malorũ appellat voluptatem, quod ea homines capiantur vt hamo piſces.

Contrariumq; agendum eſt ſupradictorum ferè omnium. corroboranda enim & ornanda ciuitas eſt ab eo, tanquam à curatore, ac non tyranno.

Affert ſatis manifeſtũ in textu, quod agere debet contraria eis, quæ ſupra dixit agere tyrannum intẽſe, & valde aſpere tyrannidem exercentem: ſi enim remiſſe ſe gerere debet generaliter, oportet, vt vtatur oppoſito modo viuendi, quo vtuntur tyranni, qui tyrannidem valde intendunt, de quibus locutus eſt ſupra. *Corroborãda*, ideſt conſtruenda.

Videri

Videri etiam oportet ipsum semper circa religionem deorum afſici vehementer: minus enim formidabunt populi,ne quid contra legem ab huiuſmodi patiantur, ſi religioni deditum exiſtimabunt principem,ac deorum reuerentiam curamq́; habere, minusq́; cōtra ipſum audebunt inſurgere,quaſi Deus habeat vltores, atq; fauentes. præterea oportet ſine improbitate talem videri.

Affert aliud,quod oportet eum eſſe deditum religioni,& bene diſpoſitum ad cultum diuinum. *Sine improbitate*, ideſt ſine ſtultitia, atq; amentia, ita vt grauiter & prudenter ſe habeat.

Atq; eos viros qui aliqua in re laudabiliter ſe geſſerint, honorare, ita ut non exiſtimēt unquam ſe magis honorari à ciuibus, ſuis legibus viuentibus, potuiſſe. Hos autem honores, ipſemet tribuere debet tyrannus. pœnas verò & animaduerſiones per alios infligere,per magiſtratus videlicet,ac iudicia.

Affert aliud, quod oportet eū honorare viros bonos, & laudabiliter viuentes: magnum eſt enim bonorū præſidium. textus eſt manifeſtus.

Communis verò cuſtodia omnis dominationis vnius,eſt neminem vnum præ ceteris magnum facere, ſed profectò plures,nam ſeinuicem obſeruabunt. quod ſi quē extollere oporteat,non tamen eum qui ſit moribus audax, nam huiuſmodi morum homines, aptiſſimi ſunt ad inuadendum circa res omnes

Hæc eſt tertia pars huius capituli, in qua philoſophus affert quædam communiter pertinentia ad gubernationem vnius. Primum eſt,neminem facere potentiſſimum cæterorum,ſed plures ſimul honorare,vel extollere. quod ſi opus fuerit aliquem eleuare, caueat ab homine audace.

Si verò cuiuſquam potentia minuenda eſt, modice, ac non vno ſimul impetu,omnis poteſtas eſt auferenda.

Affert aliud,quod eſt manifeſtum in textu.

Inſuper ab omni contumelia abſtinendum, præcipue tamen à duabus,ne in corpus flagris,ne've in ætatem libidine,inſultet. maximeq́; id cauendum in illis hominibus,qui honorē magni faciunt, nam in pecuniam illatam iniuriam,auari homines grauiter ferunt: in honorem verò illatam,& qui boni ſunt uiri,et qui honorem magni fa-

gni faciunt, permolestè patiuntur. quapropter aut non huiusmodi hominum opera utendum est, aut animaduersiones in illos patrio more, ac sine ulla contumelia fieri videantur. In ætatem verò ex amore videatur esse conuersatio, non ex licentia. omnino autē quicquid pro dedecore habebitur, impensione maiorum honorum est redimendum. Eorum verò qui ad vim inferendam contra corpus tyranni insurgunt, illi sunt maximè formidādi, et plurima opus est custodia aduersus eos qui ita dispositi sunt, vt amplius uiuere non curent, cum occiderint. Quapropter maximè cauendum est ab ijs, qui uel seipsos, uel eos quos habeant charissimos contumelia affectos putant: sine ulla enim cura propriæ salutis, irruunt, qui per indignationem, & iram aggrediuntur: quemadmodum & Heraclitus inquit, durum esse dicens pugnare aduersus iram: uita enim id emi.

Affert aliud, videlicet quod cum cauendum sit ab omni genere contumeliæ, tum maxime à duabus speciebus, quæ patent in textu. *Nam in pecunias*, pro comparatione atque exemplo affert hoc, vt sicut illi in pecunijs, ita & isti in honore: etenim vnusquisque grauiter iniuriā fert circa ea, quæ magnifacit. *Aduersus iram*, idest aduersus hominem iratum, vel furiosum.

Cum uero ciuitates ex duabus consistant partibus, ex inopibus, scilicet, & opulentis, maximè quidem utriusq; partis salutem propter principatum existimare oportet, atque alteros ab alteris nulla iniuria affici. quicunq; tamen eorum sint potentiores, hi præcipuè sunt in gubernatione uendicandi, ac uelut proprij efficiendi. nam si hoc extiterit, neq; è seruis liberos facere compelletur tyrannus, neq; arma adimere: altera nanq; pars tyranni potentiæ adiuncta, sufficiens erit ad superandos eos qui contra insurgere uellent.

Affert aliud, quod cum ciuitas constet ex opulentis & pauperibus, curandum est, ne alij alios iniuria afficiant, & vtriq; sibi persuadeant à tali principe se defendi, atq; seruari. *Maximè quidem*, idest præcipue quidem oportet vtrosq; existimare à tali principe conseruari.

Superfluum autem singulatim dicere, de omnibus istis: intentio enim manifesta est, quod oportet non tyrannicum, sed tanquam patremfamilias, & regem esse putari ab illis, qui sub eo sunt, nec pro se capientem, sed pro communis utilitatis tutela & cura,

& me-

& mediocritatem in uita sequi, non excessus.

Affert aliud, videlicet quod oportet principem esse veluti pastorem, & patrem populorum, & medium sequi, non extrema.

Praeterea egregios uiros per familiaritatem sibi coniungere, plebem verò ac multitudinem, per fauorem & gratiam in obsequio retinere. Ex his enim necesse est non solum principatum eius esse pulchriorem, & optabiliorem, ex eò quia melioribus imperet, & non abiectis, neque ex eò quod ipse, neque odio sit, neque formidetur, verum etiam ex eò quia longiorem, ac durabiliorem eius principatum fore contingat.

Aliud est, videlicet vt familiaritate præstantium hominum gaudeat, & multitudinis gratiam consequi studeat. Nam ut Cicero inquit. Quin magnum est personam in republica tueri principis, quæ non animis solum debet, sed etiam oculis seruire ciuium. *Formidetur,* id est formidet.

Insuper moribus talẽ esse: vt vel rectè se habeat ad uirtutem, vel semibonus quidem sit, & non malus, sed semimalus.

Aliud est, vt se bonis moribus instruat, vt sit bonus, vel saltem minime malus, id est quoad fieri potest, bonus & bene moratus.

At qui omnium gubernationum breuissimè durare solent, paucorum potentia, & tyrannis. Quippè illa quæ plurimo durauit tempore, Ortagoræ & filiorum eius, qui apud Sicyonios tyrannidem habuere, ad centesimum usque annum peruenit. Durationis uerò causa fuit, quod mediocritate quadam erga subditos vtebantur, multaq; legibus seruientes agebant. Et quia aptus rei militari fuit Clisthenes, non facilè contemnendus habebatur. plurimum uerò conuersatione, & vsu familiari, atque cura, fauorem & gratiam populi acquirebat. Fertur quidem Clisthenes coronasse iudicem, qui uictoriæ illius contradixerat. Aiunt quidam huius iudicis statuam esse illam, quæ in foro sedet. Pisistratus quoque fertur, aliquando apud consilium Ariopagi citatus, iudicium subiisse.

Hæc est quarta pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, quod istarum gubernationum eæ quæ minime durant, sunt paucorum potentia atque tyrannis:

inuitis enim dominant. Et affert quatuor gradus durationis,& exempla tyrannidum præteritarum. Et primo adducit illam tyrannidem quæ fuit apud Sicyonios.

Secunda uerò apud Corinthum Cypselidarum tyrannis:nam ea durauit annos tres & septuaginta, & menses sex. Cypselus enim ipse tyrannidem exercuit annos triginta, Periandrus uerò quadragintaquatuor, Psammethicus autem Gordij annos tres. Causa uero durationis eadem fuit: cum enim populi ductor esset Cypselus,hac gratia apud multitudinem prævaluit,vt à principio principatus, sine vlla corporis custodia in dominatione perseueraret. Periandrus autem eius filius magis tyrannicè se gessit,sed erat uir bello egregius.

Affert secundum gradum durationis, & tyrannidis, quæ fuit Corinthi.

Tertia, Pisistratidarum Athenis: hæc autē non fuit continuò, bis enim ex tyrannide pulsus fuit Pisistratus, itaque ex annis triginta tribus, solos annos septem & decem tyrannidem exercuit: filij verò eius annis decem & octo: atque ita omnes simul fuerunt quinque & triginta.

Affert tertium gradum durationis,& tyrannidis,quæ fuit Athenis.

Ex reliquis verò illa quæ apud Syracusas fuit, Hieronis,& Gelonis, sed non longa fuit: hæc annis enim non amplius quàm duo de uiginti durauit: Gelon enim septem annis cum tyrannidem exercuisset, octauo defunctus est: Hieron autem decem: Thrasybulus uerò mense decimo excidit. cæterarum uerò tyrannidum, pleræque breui tempore durauerunt omnes. Quæ igitur sint tam circa gubernationes plurium, quàm circa gubernationes unius solius; per quæ & corrumpantur, & seruentur, ferè de vniuersis dictum est.

Affert quartum gradũ durationis, & tyrannidis, quæ fuit Syracusis. Textus est manifestus, & philosophus narratiue procedit. Et demum concludit materiam corruptionis & conseruationis rerum publicarum,tam plurium,quàm unius, vt patet.

In repub.verò Platonis,Socrates de mutationibus loquitur, nec tamen rectè: illius enim reipu.quæ est optima atque prima, muta-

tio nulla propria assignatur. inquit enim causam esse mutationis; quia sic natura comparatum sit, vt nihil permaneat, sed in ambitu quodam temporis mutationem recipiat. Esse verò principium horum inquit. quorum sexquitertium fundum quinario coniugatum, duas exhibet harmonias, inquiens, quando numerus diagrammatis huiusmodi efficiatur solidus. vtputa, natura producente prauos, & meliores disciplina.

Hoc est quartum caput huius tractatus, in quo philosophus affert sententiam Platonis circa mutationes rerum publicarum, & eam refellit. Diuiditur autem in duas partes, quæ declarabuntur. in prima igitur parte philosophus affert sententiam Platonis de mutatione Reipublicæ. nam posteaquam constituit rem publicam, locutus est de mutationibus Plato per interlocutioné Socratis. Videbatur enim quod optima res publica ob suam perfectionem & unitatem, quam tribuebat ei, deberet permanere. Cum autem aliquando mutetur, & ex parte sua nulla causa appareat, dicebat Plato causam huius mutationis prouenire à natura, & conuersione cę lesti, & horum principium esse ex sexquitertio & quinario, ex quibus resultat tandem numerus cubus. Itaque reducit causam mutationis ad conuersionem vniuersi, quam harum rerum mutabilium causam mutationis esse uolebat. Refellit igitur eum philosophus, quod nullam mutationis optimæ reipublicæ causam propriam assignat. Nam à conuersione cœli dicere uidetur homines nasci bene uel male dispositos ad disciplinam & uirtutem consequendam: quare si oriuntur homines male dispositi, sumentes malam complexionem à conuersione cœlesti, & fiunt contrarij illis, ex quibus composita est optima respublica, tunc oritur mutatio illius, dicebat Plato, assignando causam communem & non propriam illius mutationis. *Super tertius fundus*, id est, sexquitertia radix, & intelligit, ut quidam exponunt, de radice secundum arithmeticos, & quod primus sexquitertius numerus est quaternarius, quia côtinet ternarium, & tertiam partem ternarij. Igitur ex quaternario & qui

nario resultat nouenarius, quo efficiuntur duæ harmoniæ, uidelicet diatesseron, & diapente : & ex tali numero dicunt Platonici, oriri annum magnum, cuius ambitu, & conuersione mutationes rerum mutabilium fieri uolunt. *Diagrammatis*, id est, descriptionis. Quidam uero exponentes hunc locum, dicunt, ut ex dictis Platonis & Aristotelis colligere possunt, Platonem uoluisse ex his mutabilibus ea, quorum fundus atque substantia esset numerus continens proportionem sexquialteram inter duo & tria, quæ coniuncta faciunt quinque, & & sexquitertiam inter tria & quatuor, quæ coniuncta faciunt septem, ex quibus resultat duodenarius numerus : ubi duæ harmoniæ, secundum dictas proportiones reperiuntur, esse maioris durationis, quia numerus huius diagrammatis, id est descriptionis, uel figurationis, sit solidus, & constet ex ductu unius lateris in alterum, ut tria in quatuor. *Prauos & meliores*, id est, bene uel male dispositos secundum aptitudinem naturalem ad uirtutes suscipiendas uel capessendas. Et has aptitudines & dispositiones uolebat prouenire a natura, & ab ipso cœlo influi complexionem talem ac talem. Vnde dixit Plato, quod respublica constat ex hominibus, quorũ alijs infusum est aurum, aliis argentum. sed cum oriuntur homines, in quibus infusum est æs, tunc facile dissolui potest talis respublica. Hanc igitur causam assignatam dicit philosophus esse communem aliis mutationibus, & non propriam mutationis talis reipublicæ.

Hoc ergo forsan inquit non male. Fieri autem potest, ut sint aliqui quos disciplina institui, ac bonos fieri uiros, impossibile est. Sed hæc quomodo propria mutatio esset illius reipub. quam optimam esse dicit, magis quàm aliarum omnium, & uniuersorum, quæ fiunt etiam in tempore? propter quod inquit omnia mutari: & quæ non simul incipiunt, simul quoque mutantur : ceu si pridie mutationis facta, simul fortè mutantur.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, quod Plato forsitan in eo dixit non male, quod voluit quosdam nasci aptos, quosdam ineptos

ad

ad disciplinam, & hoc habere à natura, fluxuque cœlesti. Aristoteles in sexto Ethicorum huiusmodi aptitudines appellat habilitates naturales, quæ inclinationes, vel cum inclinatione sint, & non necessitates per mores, & rationem aliter atque aliter disponi possunt, & ad peius meliusq; conuerti ab hominibus, qui libero vtuntur habendi principio. Vnde cum dicit impossibile, intelligendum difficile. Nullam enim in his, quæ ab hominibus fiant, necessitatem imponit. Quin etiam in tertio libro Ethicorum non solum dicit, sed etiam probat, quod omnis virtus, & omnis prauitas est uolũtaria. & in sexto huius politicæ. Cætera inquit animalia maxime viuunt secundum naturam, parum uero aliquid secundnm mores, homo autem & secundum rationem. Sic igitur dicit philosophus, in hoc forsitan Plato dixit non male, cum uoluit quosdam nasci aptos quosdam vero ineptos, idest parum aptos ad virtutes suscipiendas: Sed ideo errauit, quia attulit vnam causam corruptionis reipublicæ, quæ est causa communis alijs, quæ corrumpuntur, atq; mutantur. *& ex tempore*, idest per tempus illud, per quod inquit & alia mutari & etiã ea, quæ non simul inceperunt fieri, simul mutantur. Veluti si hodie res aliqua orta, uel facta fuerit, & cras sit principiũ conuersionis, dicebat, quod hæc res hodie mutabitur simul cum illis, quæ iam factæ uel ortæ fuere. *& ex tempore*, idest per tempus, quod dicit hæc mutari, & quæ non mul inceperunt fieri, simul mutantur. *Ceu si prima dies*: idest ceu si in eo die fierent, quæ antecedit mutationem. simul mutarentur. s. cum illis, quæ iam dudum facta, uel orta fuerunt. Hanc igitur causam mutationis, dicit philosophus, attulit Plato cõem alijs, quæ mutãtur & non propriam eius reipub. quam optimam esse vult:

Præterea quam ob causam ex illa transit ad Lacedæmoniorum rempublicam? pluries enim in contrariam transeunt respublicæ omnes, quàm in eam quæ sit propinqua: eadem ratio est de alijs quoque mutationibus. Ex Laconica enim, inquit, mutatio fit ad paucorum potentiam, ex ista uerò ad popularem statum, ex illo

rursus ad tyrannidem. Atqui & è conuerso mutantur: ceu ex populari in paucorum potentiam, & magis quidem quàm in vnius gubernationem.

Arguit alio modo contra Platonem, qui posuit gradum mutationis optimę reipublicę suæ, videlicet quòd sit eius mutatio in rempublicam Lacedęmoniorum, quā philosophus posuit esse speciem quandam optimatum. Dicit enim, nō esse verum, vt ea mutetur in Laconicam, & Laconica deinde in paucorum, potentiam, & hæc in popularem statum, & popularis rursus in tyrannidē: quia istæ gubernationes sæpius mutātur, in contrarias, quā in propinquas: veluti status popularis magis in paucorum potentiam, quàm in tyrannidem. *Sæpe*, idest sæpius. *Vel*, idest quàm. Notandum, quod Sanctus Thomas dicit hoc loco, quòd si Pilato intellexit huiusmodi gubernationes gradatim in sibi propinquiores mutari solum, non recte: sin facilius, recte dixisse videtur, cum ipse Aristoteles ostendat in libro de generatione, quod in habentibus symbolicam conformitatem facilior fit transitus.

Præterea siue tyrannidis mutatio sit, siue non sit, non dicit, propter quam causam, nec in quam reipub. speciem transit. Huius verò causa est, quod non facile dicere valebat. indeterminatum enim. nam secundum eum oportebat. In primam & optimam: sic enim vtique fieret continuo circulus. sed mutatur in tyrannidem tyrannis, ut ea quæ apud Sicyonios ex Myronis tyrannide in Clisthenis. & in paucorum potentiam, vt illa quæ in Chalcide fuit Anticleontis. & in popularem statum, vt illa quæ Gelonis fuit Syracusis. & in optimates, vt illa quæ Cariali apud Lacedæmonios, & Carthaginenses. & in tyrannidem fit mutatio ex paucorum potentia, ut in Sicilia plurimæ uetustarum: in Leontinis in Panetij tyrannidem, & apud Gelam in Cleandri, & apud Regium Anaxilai, & in alijs compluribus ciuitatibus eodem modo.

Arguit contra eundem Platonem in eo, quod omisit causam mutationis tyrannidis, nec ostendit, in quā speciem reipublicæ mutetur: hoc autem omisit, dicit philosophus

ſophus, quia tot modis eſt mutabilis, vt non facilè determinare poſſet, niſi quod ſequendo opinionem ſuam, oportebat eum dicere, quod vertitur in illam ſuam primam, & optimam, vt ſeruetur ordo conuerſionis, & circuli ſui. Nos autem videmus, quod mutatur nunc tyrannis in aliam tyrannidem, vt apud Sicyonis nunc in paucorum potentiã, vt in Chalcide, quę eſt in Euboea: nunc in popularem ſtatum, vt Syracuſis, & in alias etiam ſpecies rerum publicarum, vt exemplis oſtendit.

Abſurdum etiam eſt putare, in paucorum potentiam ideo tranſire, quia homines cupidi & pecuniarum ſtudioſi, in magiſtratibus verſentur, ac non quia plurimi diuitijs ſuperabundantes, non iuſtũ exiſtiment, par habere in ciuitate eos qui non habent facultates, & eos qui habent. In multisq; paucorum potentijs non licet pecunias congerere, verum leges poſitæ ſunt id prohibentes. apud Carthaginem autem, quæ populariter gubernatur pecunijs ſtudent, nec tamen adhuc mutati ſunt.

Arguit contra eundem Platonem ex eo, quod voluit rempublicam mutari in paucorum potentiam, quia gubernatores, ſunt auidi pecuniarum & trahunt gubernationem ad potentiam paucorum, ut ſuis cupiditatibus ſatisfaciant. Nos autem dicimus, aliam eſſe cauſam, videlicet quod diuites, quia non putant eſſe iuſtum, vt pauperes tantum reportent de honoribus & magiſtratibus, quantum ipſi, qui opulentia præſtant, ideo trahunt rempublicam ad paucorum potentiam. Præterea quod non ſit cauſa mutationis in paucorum potentiam illa, quam aſſignat Plato, oſtenditur ex eo, quia leges in multis paucorũ gubernationibus uertant gubernatores pecunijs intendere, & Carthaginẽſes populariter viuentes pecunijs ſtudent, dicit philoſophus, ergo non eſt cauſa mutationis in paucorum potentiam ea, quæ affertur à Platone. Quidam expoſitores dicunt hanc cauſam, quam aſſignat Ariſtoteles eſſe propinquã, quam vero aſſignat Plato, eſſe remotam.

Abſurdum etiam dicere, duas eſſe ciuitates ſub paucorum gubernatione, opulentorum & inopum. Quid enim aliud huic,

quam Laconicæ accidit, vel alteri cuicunque, vbi non omnes æqualia possideant, aut non omnes æqualiter sint boni viri? nullo autem pauperiore facto, nihilominus transmutantur ex paucorum gubernatione, ad popularem statum si plures sint inopes: & ex populari in paucorum potentiam, si potentiores sunt opulenti, quàm multitudo: & alteri negligant alteri intendant.

Arguit contra eundem Platonem quia dixit duas ciuitates contineri sub paucorum potentia ex eo, quia constituitur ex diuitibus & pauperibus. At hoc si ita esset, dicit philosophus, competeret etiam alijs speciebus rerum publicarum, vbi sunt diuersæ hominum conditiones, idest vbi sunt differentes diuitijs, & non sunt omnes æqualiter opulenti, aut æqualiter viri boni. Videmus autem quòd nulla facta diminutione substantiarum, & nullo facto pauperiore, tamen paucorum potentia, & popularis status inuicem permutantur, idest paucorum potentia in popularem, si plures sint inopes, vel contra popularis in paucorum potentiam, si potentiores sint diuites. textus est manifestus.

Cumque plures sint causæ ex quibus mutationes fiunt, eas non dicit, sed vnam solum, quod prodigaliter viuentes vsuris confecti, pauperes efficiuntur. quasi vero fuerint omnes ab initio diuites, uel plurimi eorum. sed hoc falsum. Sed quando eorum qui duces sunt, quidam patrimonia consumpserint, res nouas moliuntur: quando autem alij, nihil graue accidit. & mutantur nequaquam magis, aliquando in popularem statum, quàm in aliam speciem gubernationis. Insuper uerò, & si honores unà cum alijs non capiant, si iniurias inferant, si contumelijs afficiant. seditiones oriuntur, & mutationes in repub. Fiunt etiam (etsi nulla dißipatio patrimonij intercesserit) ex eo quod liceat, quicquid uolunt, efficere. cui rei causam esse ferunt, nimiam libertatem. Cumque plures sint paucorum, plures etiam populi gubernationes, tanquam utraque una sit, mutationes aßignat Socrates.

Arguit contra eundem Platonem, quia cum plures sint causæ mutationis, vnam tantum assignauit Plato, quód iuuenes dilapidantes patrimonia, pauperes fiunt, atque ex eo mutari omnia student: quasi præsupponat

omnes

omnes ab initio esse diuites, vel plurimos. Debebat autem assignare causas, quas nos attulimus, cuique eas pręcipue, quibus diximus mutationes fieri, cum alij excluduntur ab honoribus, alij iniurias inferunt, vel afficiuntur iniurijs, vel alia huiusmodi eueniunt, & vlterius increpare videtur Platonem, quod cum plures sint species paucorum potentiæ, plures etiam status popularis, assignat causam mutationis, ac si esset vna tantum, & non essent plures paucorum, plures etiam populi gubernationes, & sic quinto libro finem imponit.

DONATI ACCIAIOLI
FLORENTINI
IN VI. POLITICORVM
ARISTOTELIS,
Explanatio.

QVOT *igitur ſint differentiæ, & quales eius, quod deliberandi habet facultatem, & in quo ſumma huius rei conſiſtit in republica, & circa magiſtratuum ordinationem, & de iudicijs, & qualia ad qualem ordinentur rempub. & præterea de corruptionibus, & conſeruationibus rerumpub. ex quibus proueniant, & quas ob cauſas, dictum eſt prius. Sed cum plures ſint ſpecies popularis, et ſimiliter aliarum gubernationum, de illis quod reſtat, non peius fuerit conſiderare, ac ſimul vnicuiq; earum proprium & conuenientem modum reddere, ac præterea conſiderare coniunctiones ſimul ipſorum modorum: nam eorum coniunctio parit rerumpub. varietatem, vt et optimatum gubernationes ad paucorum declinent potentiã, & reſpublicæ magis populares exiſtant. Dico autem coniunctiones, quas conſiderare oportet, & nunc vſq; conſideratæ non ſunt, ceu ſi pars illa quæ in deliberando verſatur, & illa quæ circa electiones magiſtratuum conſiſtit, ita inſtituta ſit vt conferat paucorum potentiæ, aut ſi circa deliberandum, ad paucorum potentiam, circa verò magiſtratuum electiones, ad optimatum gubernationem magis declinet, vel per alium quendam modum, non omnia inſtituta ſint reipub. congruentia. Qualis igitur popularis, quali congruat ciuitati, ſimiliter autem & qualis paucorum potentia, quali multitudini, et aliarum gubernationum quæ quibus conferat, dictum eſt prius. Verumtamen oportet fieri manifeſtum, non ſolum quænam iſtarum gubernationum maximè ciui-*

tatibus

tatibus competat, sed etiam quomodo constituendæ sint & istæ, & aliæ, breuiter est explicandum. Et primo de populari dicemus: nam simul & per hanc etiam de contraria illius gubernatione patebit: hæc est autem quam vocant quidam, paucorum potentiam.

HIC est sextus liber Politicorum, in quo philosophus posteaquã distinxit respublicas, & attulit causas corruptionis, & conseruationis ipsarum: nunc considerat institutiones rerumpublicarum: non enim oportet solum scire, vt labuntur, & conseruantur respublicæ, & species earundem, sed cognoscere quomodo, & ex quibus instituantur, & ordinentur, & qualiter coniungantur, & fiant tales, ac tales respublicæ, & etiam magistratus.

Primus tractatus diuiditur in tria capitula: in primo affert quasdam suppositiones, quæ pertinẽt ad instituendum popularem statum, & dubitationes, non nullas ad eandem materiam spectantes: in secundo considerat institutionem cuiusq; speciei status popularis: in tertio institutionem paucorum potentiæ, transeundo per singulas species illius.

Primum capitulum diuiditur in tres partes, quæ inferius declarabuntur: in prima igitur philosophus repetit summatim capita eorum, de quibus dictum est antea, videlicet de ordinatione magistratuum, & de iudicijs, & de corruptionibus, & conseruationibus rerumplicarum. *Sed cum plures.* Proponit igitur ea de quibus est dicturus: nam cũ plures sint species reipublicæ popularis, & aliarum, siquid restat dicere de illis, cõsiderandum est, veluti de institutione illarum secundum vnamquanque speciem. Adhuc etiam de coniunctionibus, & commixtionibus modorum. varij enim sunt modi, & variæ commixtiones, quæ diuersimode, vt ita loquar, coniunctæ faciunt diuersitatem rerumpublicarum. hæc igitur considerare non est inutile. Notandum, quod vna species popularis reipublicæ, vt vult Burleus, secũdum se sumpta, vt applicatur ad diuersas ciuitates, in quibus est populus aliarum, atqre aliarum conditionum, diuersificatur.

Qualis

Qualis igitur popularis. Ostendit magis propinque & particulariter, de quibus est dicturus: oportet enim, dicit philosophus, non solũ docere, quæ respublica quali multitudini conueniat, & quibus conferat, vt antea ostendimus, sed etiam qualiter, & quomodo quæq; sit instituenda, & de his est nunc breuiter cõsiderandum, & primum de populari gubernatione.

Capienda sunt autem ad hanc disciplinam cuncta popularia, & quæ videntur popularium esse sequacia: ex his enim simul positis, resultant species gubernationis popularis: & plures esse eas quàm vnam, & differentes, continget. Duæ sunt causæ, per quas plures existũt populares. Prima, illa quæ dicta est prius, quia inter populos differentia est: sunt enim alij agricolæ, alij opifices, alij ministri, quorum primi à secundis, & tertij ab vtrisq; , non in eo modo differunt, quod melior, aut deterior fiat popularis status, verumetiam in eo quod non idem sit. Secunda verò causa est, de qua nunc dicimus: quæ.n.popularem statum sequuntur, ac videntur esse propria ipsius, coniuncta simul faciunt popularis status varietatem. nam alicui pauciora consequentia sunt, alicui plura, alicui omnia: vtile verò horum singula cognoscere, & ad constituendum quamcunq; ipsarum quispiam voluerit, et ad corrigendũ. Quærunt.n.qui rempub.instituunt, cuncta quæ illi propria & conuenientia sunt, in unum colligere ad propositum suum, sed aberrant dum hoc faciunt, vt supradictũ est à nobis, vbi de corruptionibus & conseruationibus rerumpub.tractauimus prius. nunc autem dignitates, & mores, & ea quæ efflagitent, dicemus.

Explicat philosophus ea, quæ sumenda sunt, tãquam principia quædam præsupposita ad instituendam rempublicam popularem: & omnia ea, quæ sicut quædam propria consequuntur. Ex his enim aliter atque aliter compositis oriũtur variæ & diuersæ species popularis reipublicæ. Affert autem duas causas, quibus contingit plures oriri species talis gubernationis, quarũ vna dicta est prius, videlicet diuersitas multitudinis: nam in gubernatione populari dominatur multitudo. quare secundum diuersitatem, eius quod dominatur contingit diuersificari speciem gubernationis. Est enim quædam multitu-

do

do agricolarum, quædam opificum, quædã mercenariorum: quare si prima coniungatur cu:n secunda, efficiet vnam speciem gubernationis. Sin tertia coniungatur cum illis duabus, efficit aliam, & sic ex illis diuersimode coniunctis efficitur non solum, vt alia sit melior, alia deterior, sed etiam diuersa specie. alia causa cõsistit in his, quæ nunc consideranda nobis occurrunt, & popularem gubernationem sequuntur tanquam ei propria, quę aliter atque aliter coniuncta, vt alibi sumantur plura, alibi pauciora, diuersam inducunt formam reip. popularis. Has igitur proprietates, quæ competunt illis, distinctè scire oportet: ne hæc ignorantibus nobis contingat, sicut illis, qui volentes propria, & conuenientia simul colligere aberrauerũt, vt dictum in quinto. *Ministri*, idest mercenarij.

Propositum igitur popularis reipublicæ, est libertas, hoc.n. dicere consueuerunt, quasi in hac solummodo republica libertatem habentes: ad hanc enim respicere dicunt omnem popularem statum: libertatis uerò unum in eo consistit, ut per uices imperent, & pareant: nam iustum populare, est æquum habere secundum numerum, non secundum dignitatem. Ex quo fit, vt secundum hoc iustum, multitudo ex necessitate dominetur, & quicquid decreuerint plures, id esse ratum, & id esse iustum: aiunt enim oportere, ut unusquisque ciuium æquum habeat, atque ita contingit in popularibus gubernationibus, inopes plus posse quàm opulentos: plures.n sunt, et id obtinet, quod pluribus uideatur. Vnũ igitur libertatis signum hoc est, quod ponunt omnes populares, reipublicæ finem. Alterum uero, uiuere vt quisq; velit: hoc enim aiunt opus esse libertatis: siquidem serui est uiuere non ut uult; hic est igitur secundus popularis reip. finis. Hinc profectum est, nemini potissimũ subesse uelle, quod si hoc non datur, at saltem per uices subesse ac praesse, idq; pertinet ad libertatem, quæ est secundum æquum.

Hæc est secunda pars huius primi capituli, in qua philosophus affert quasdam suppositiones, quę accipi debét atq; supponi ab eo, qui instituere remp. popularé velit, sed prima & principalis suppositio est ipsa libertas in tali gubernatione, quod probat philosophus ex cõi dicto.

Consue-

Consueuerunt enim omnes hoc communiter dicere, ac si in hac sola specie reipublicæ ciues essent participes libertatis. nam dicunt populares respicere ad libertatē, tanquam ad finem, cuius quidem libertatis duo signa esse volunt: vnum per vices imperare & parere: alterum viuere, vt quisq; velit. Quod si hoc non datur, saltem datur illud per vices præesse atq; subesse. Iustum enim esse dicunt populares, vt omnes sint participes honorum, & bonorum communium secundum numerum, idest secundum æqualitatem quantitatis, quam arithmeticam proportionem appellāt, & non secundum dignitatem, idest secundum proportionem seu proportionalitatem geometricam, in qua habetur ratio personarum. Hinc est, quod cum velint omnis generis homines pariter tractari sine discrimine virtutis, aut dignitatis personarum, fit vt multitudo dominetur, & inopes plus possint, quàm diuites, quia ægeni plures sunt, atq; id habet locum, quod pluribus videtur. *Libertatem quærentes*, idest quasi sint participes libertatis. *Secundum æquum*, scilicet quantitatis. Notandum, quod libertas describitur à quibusdam, vel dicitur esse ea: qua quis potest ex propria voluntate vel propria ratione mouere se & ad finem sibi positum. vel libertas sumitur pro operatione, qua aliquis dicitur ad se moueri vel agi ad finem proprium. Populares autem ex ordine suæ reipulicæ, & paritate quadam libertatem sibi proponunt. Notandum prętere, quod libertas naturalissime videtur competere homini viuēti secundum rationem, & præstanti virtute viro. Vnde regiæ gubernationi & optimatibus magis proprie competit, quàm populi potentiæ, in qua vulgo dicunt libertatem cunctis esse propositam, & cum sint pares libertate, in omnibus pares esse debere, atq; ex eo pari mensura deficientes, quàm præstantes virtute, & tam dignos, quàm indignos plerunque metiri videntur. At forsan talis libertas dicetur potius licentia quædam, proueniēs ex modo viuendi talis reip. quàm vera libertas ex ratione sumpta, & iustis legibus temperata.

His

His præsuppositis, ac tali existẽte principio, popularia huiusmodi sunt, sumi ad magistratus omnes ex omnibus: ac præesse omnes unicuique, & unumquẽq; vicissim omnibus: per sortẽ tribuere magistratus, vel omnes penitus, uel illos saltem, qui non peritia indigent, & arte: à nullo censu esse magistratus, uel saltem à minimo: non nisi semel eundem magistratum ab aliquo geri posse, vel per rarò, & paucos, exceptis ijs qui versantur in bello: parui temporis esse magistratus: vel omnes, vel quotquot id recipere possunt: iudicare omnes, & ex omnibus, & de omnibus, uel de plurimis & maximis & principalissimis, puta de corrigendo, & de republica, & de priuatis contractibus: et concionẽ esse omnium dominam, magistratum verò nullius, aut dominam esse concionem rerum maximarum, magistratum verò rerum minimarum. Inter magistratus autem popularissimum est consilium, ubi non omnibus est mercedis facultas, nam vbi adest hæc mercedis facultas, adimunt & huius magistratus potentiam, ad se enim reducit iudicia cuncta populus, mercede abundans, ut diximus supra, ubi de hac parte tractauimus. deinde mercedem capere maxime quidem omnes, concionem, iudicia, magistratus, quod si non, at saltem magistratus, & iudicia, & consilium, & conciones principales, vel eos magistratus quos necesse est in eadem simul esse comessatione. Præterea cum paucorum gubernatio genere, & diuitijs, et eruditione definiatur, videntur popularitatis, contraria horum esse, ignobilitas, inopia, sordidum opificiũ. Præterea magistratuum potestatem nullam perpetuam esse: quod si relicta sit aliqua ex antiqua mutatione, illius auferre potentiam, & ex electione ad sortem reducere. Hæc igitur omnia communia sunt popularium gubernationum: contingunt autem ex eo iusto, quod fatentur esse populare, hoc est, æquum habere omnes, secundum numerum, quod maximè videtur esse popularis status & populi: æquum est enim cum nihilo magis gubernent diuites, quàm pauperes, nec soli potestatem habent, sed omnes ex æquo secundum numerum: sic enim demum existimant paritatem in republica esse ac libertatem.

Hac in parte philosophus affert plures modos, vel plures conditiones, & proprietates, quæ competunt statui populari. Tangentur loca in textu breuiter vnde eliciuntur tales proprietates, quia statim innotescent. *Sumi ad*

ad magiſtratus. Prima hinc ſumitur proprietas. *Ac præeſſe.* hinc ſecunda. *Per ſortem tribuere* . hinc tertia . *A nullo cenſu , vel exiguo.* hinc quarta . *Non niſi ſemel* . hinc quinta. *Parui temporis.* hinc ſexta. *recipiunt*, ideſt contingit. *Iudicare omnes.* hinc ſeptima. *De corrigendo*, ideſt de rationibus reddendis.*Et concionem.*hinc octaua. *Inter magiſtratus.* hinc nona. *Deinde mercedem capere.*hinc decima. *Præterea cũ paucorum.* hinc vndecima. *Præterea poteſtatem nullam.*hinc duodecima. *Et ex electione ad ſortem reducere* . hinc decimatertia ſumitur proprietas.Poſthæc dicit philoſophus,quod hæ proprietates ſeu cõditiones allatæ ſequuntur ex termino illius iuſti popularis , in quo libertatem poſitam eſſe arbitrantur : quod eſt omnes habere æquales ſecundum quantitatem,vt tantum vnus, quantũ alter habeat, & non ſecundum dignitatem perſonarum. & ex tali iuſto arithmetico oritur ordo talis reipublicæ popularis: quod ſi hæ conditiones diuerſimode coniunguntur, diuerſæ orientur ſpecies,vt dictum eſt,popularis ſtatus .

Sed quæritur poſt hæc,quemadmodum habebũt æquum, vtrum oportet partiri in mille eos cenſus qui ſunt quingentorum,& mille æqualiter poſſe quingentis ? an non ſic ponere oportet ſecundum id æqualitatem, ſed partiri quidem ſic , deinde ex quingentis æquales accipere,& ex mille, hos poteſtates habere partitionum & iudiciorum ?

Tertia eſt pars huius capituli primi, in qua philoſophus mouet quæſtionem, quæ ex paulo ante dictis oriri videtur, ideſt ex iuſto illo arithmetico , quo populares dicunt tam diuites,quàm pauperes debere æqualiter eſſe participes honorum : deinde eam ſoluit . Querit igitur in primis,quomodo poſſint habere æquum tam diuites,quàm pauperes, ex quibus omnis ciuitas conſtat : & dicunt non nulli,quod philoſophus tangit hic duos modos, videlicet vtrum æqualitas ſit accipienda ex cenſu , & quantitate ſubſtantiarum,an ex numero æquali diuitum & pauperum. Hoc eſt,vtrum in diſtribuendis muneribus ciuitatis debeãt ſumi diuites,& pauperes,hoc modo,vt ſint quingenti diuites, qui habeãt tantum ſubſtantiæ,

tiæ, quantum mille pauperes, atque ex eo, quia tantum valent alteri, quantum alteri, æqualiter ſint participes bonorum communium: an non ſic oportet ponere in his æqualitatem: ſed partiri primum diuites, & pauperes eo modo, quo dictum eſt, accipiẽdo mille ex vna, & quingentos ex alia parte. Deinde partitione facta ſumere ex quingentis pares, & ex mille hoc pacto, vt ſicut illi ad quingentos, ita iſti ad mille pariter ſe habeant proportione ſeruata, & ij ſic ſumpti, & ſimul congregati poteſtatem habeant diſtribuendi munera ciuitatis. *æqualiter quingentis*, ideſt quantum poſſunt, & valent quingenti. *vel*, ideſt an. *vel partiri*, ideſt ſed partiri. *accipientem*, ideſt accipere.ſ.pares ex illis quingentis, & mille proportione ſeruata.

Vtrum igitur reſpublica iſta iuſtiſsima eſt ſecundum populare iuſtum, an magis illa quæ ſecundum multitudinem? aiunt.n.populares id eſſe iuſtum, quod videtur vtiq; pluribus: potentes uerò, quod videtur ijs qui plus poſsidet: pro multitudine.n.facultatum, aiunt eſſe ſtatuendum: ſed habent hæc utraq; inæqualitatem & iniuſtitiam: ſi enim quodcunq; pauci poſſunt, tyrannis eſt, nam ſi unus habeat plura, quàm alij opulenti, ſecundum paucorum iuſtum, is ſolus dignus eſt, qui gubernet: ſi uerò plures ſecundum numerum quodcunq; queant, iniuria aſſicient, publicantes bona opulentorum & paucorum, ut ſuperius dictum eſt.

Allata quæſtione, & illis duobus membris, nunc diſſerit circa talem dubitationem, vtrum reſpublica hoc modo ſumpta iuſtiſſima ſit ſecundum populare iuſtum, quæ reſpicit ad numerum, an ea quæ reſpicit ad multitudinem facultatum. De hac dubitatione alio modo ſentiunt populares, alio modo potentes: nam populares iuſtum & æquale dicunt eſſe, quod pluribus videtur. multitudo enim in tali republica dominatur. Potentes vero id dicunt eſſe iuſtum, quod videtur his, qui maiores habent facultates. *Sed habent ex vtraq;*. Refellit vtrãq; opinionem philoſophus, & oſtendit, ex vtroq; modo ſequi abſurda. nam ſi ſumatur iuſtum, & æquale ex ſententia diuitum.i.eo modo, quo ſumunt illi, in tyrannidem:

ſi ex ſententia multitudinis, deſtruetur vna pars ciuitatis.i.diuites, quia pauperes dominantes inuadent bona diuitum, publicando ea, vel alio modo deſtruendo, vt dictum fuit antea in quarto huius Politicæ. *Vtraq;*. Nam ſiue hoc, ſiue illo modo ſumatur iuſtum, nō erit proprie iuſtum, ſed habebit imparitatem, & iniuſtitiam. *Si.n.quod pauci*.i.ſi ſumatur iuſtum, & æquale, quod pauci ſumunt.

Quæ igitur ſit æqualitas quam ambo profitentur, conſiderandum eſt ex ijs, quæ vtriq; definiunt iuſta: inquiunt enim quicquid videatur maiori parti ciuium, id oportere eſſe ratum: eſto quidem hoc attamen non penitus: ſed cum duæ partes ſint ex quibus ciuitas conſtat, diuites ſcilicet, & pauperes, quodcunq, ambabus videatur, aut pluribus, id ratum ſit, quod ſi contraria videantur, quod pluribus, & habentibus maiorem cenſum, puta ſi alij decem, alij viginti, videatur autem diuitum ſex, pauperum autem quindecim, accedant verò pauperibus, quatuor diuitum, diuitibus autem quinque pauperum: quorumcunq; igitur cenſus exuperat, connumeratis amborum vtriſq;, id ratum ſit: quod ſi forſan æquales eſſe contigerit, communem eſſe hanc ambiguitatem putandum eſt, ut uerbi cauſa nunc, ſi cōcio æqualiter in duo diuiſa fuerit, aut iudicium ita diuiſum, nā aut ſorte dirimendum eſt, aut aliud quiddam hmōi agendum: ſed de æquo & iuſto quāquàm ſit admodum difficile, in illis reperire veritatem. tamen facilius eſt ſortiri, quàm perſuadere ijs, qui plus habere poſſunt, ſemper.n.qui imbecilliores ſunt, æquum & iuſtum quærunt, ſed qui plus poſſunt, iſta non curant.

Soluit philoſophus dubitationem allatam, & affert æqualitatem accōmodatam reipublicæ populari. (nam de iuſto populari loquitur, & non de ſimpliciter iuſto,) & dicit quod vtriq; tam diuites, quàm pauperes conueniunt in hoc, vt id ratum habeatur, quod videtur maiori parti. Verum iſtam maiorem partem ſeu pluralitatem, alij ſecundum multitudinem facultatum, alij ſecundum numerum perſonarum, vt antea vidimus, ſumendam putant. Ideo intelligendum eſt hoc, nō abſolute, ſed cum quadam limitatione: ſunt enim duæ partes, ex quibus ciuitas conſtat, ideſt diuites & pauperes. Quod igitur videatur ambabus partibus idem ſentiētibus, id ſit ratum & fir-

& firmum, & tali reipublicæ accommodatum. Quod si contraria sentiant ambæ partes inter se, vt quibusdam videatur vnum, quibusdam aliud: veluti si sint triginta, gratia exempli, qui deliberandi, vel iudicandi habeant potestatem, & ex illis decem sint diuites, & viginti pauperes, & sumantur sex ex diuitibus, & quindecim ex pauperibus, deinde accedant illis sex diuitibus quinq; pauperes, & illis quindecim pauperibus adiungant quatuor diuites, ita vt sex diuites, & quinque pauperes simul iuncti vnum sentiant: quindecim vero pauperes, & quatuor diuites simul iuncti etiam oppositum velint: quæritur, quid sit agendum. Dicit philosophus, quod id ratum esse debet, quod videtur ei parti, quæ ex illis duabus eo modo sumptis excedit aliam. quod si contingat eas esse æquales ita, vt non possit dici quorum sententiæ sit standum, cum pares sint, & contraria sentiant, tum determinandum est sorte, vel per alium modum similem sorti. deinde dicit philosophus, quod quamuis sit difficile tale iustum & æquale secundum veritatem reperire, tamen facilius est eo modo rem ipsam componere, quàm persuadere diuitibus, vel potentioribus, vt acquiescant tali iusto populari, quia cum plus possunt, plus habere communiter vellent. Inopes vero quærunt iustum illud populare, in quo paritatem, & libertatem positam esse arbitrantur.

Cum verò quatuor sint gubernationes papulares, optima est illa quàm primo gradu posuimus, vt superioribus libris dictum est: eadem quoque antiquissima omnium: dico autem primam, secundum distinctionem populorum: nam optimus populus est ille, qui ex agricolis constat, quare & popularis status facile efficitur, vbi multitudo viuit ab agricultura, vel pascuis, negociosa quidẽ, quia non multum habet. Ex quo fit, vt agant rarò concionem: ob id ipsum verò quod laborãdum illis sit circa necessaria ad victum, operibus detinentur suis, & aliena non appetunt, dulciusque est illis opus facere, quàm in republica versari, ac magistratum gerere, nisi magna in gubernando sint emolumenta suscepturi: pleriq;.n. magis lucrũ appetunt, quã honorem. signum huius est, quod tyran-

nides antiquitus pertulerunt,& nunc paucorum potentiam perferunt,modo suam rem agere illis permittatur, neq; diripiantur quae habent: citò nanq; alij eorum diuites efficiuntur, alij autem egere desistunt. Praeterea si qua cupido honorum eis inest, facilè eius rei indigentia adimpletur, per potestatem quam in concionibus habēt, creandi magistratus,& corrigendi delicta: nam in quibusdam ciuitatibus,etsi non eligit populus magistratus,sed quidam per partes deputati ex omnibus (ut apud Mantiniam) tamen satis esse putant,quod consultandi,deliberandiq; habent potestatem. ac putandum est hanc esse tanquam formam aliquam popularis gubernationis,vt fuit quandoq; apud Mantiniam.

Hoc est secundum capitulū huius primi tractatus, in quo philosophus posteaquā attulit aliquas suppositiones & proprietates pertinentes ad constitutionem reip. popularis, nunc docet, quomodo, & ex quibus quælibet eius species constituatur. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes,quæ suis locis declarabuntur. In prima igitur philosophus ostendit, quomodo,& ex quibus constituatur prima species reipublicæ popularis, & dicit,quod illa est prima, & optima in tali genere,quæ cō stituitur ex agricolis: probatur, illa species reipublicæ popularis est optima in genere suo, quæ constituitur ex optima & prima parte multitudinis: sed ea,quæ constituitur ex agricolis,est huiusinodi,ergo illa est optima: maior est nota,minor declaratur à philosopho:quia illa pars multitudinis, quæ viuit ex agricultura, vel pascuo non est ociosa, nec prompta ad conuocandas quotidie conciones,nec aliena appetit, nec gubernantibus inuidet: quare vbi populus hoc pacto viuit, facile est popularem gubernationem constituere.

Quapropter vtile est prius dictæ populari gubernationi(et ita cōsuetudo fuit) eligere quidē magistratus,et corrigere, et iudicare oēs.Magistratus aūt maximos geri per eos qui electi sint,et à censibus maioribus maiores,vel à cēsibus nullū, sed per eos qui possunt.

Infert nunc philosophus modum accomodatum huic speciei reip. popularis: is autem est,vt talis multitudo ex agricolis constans, non subeat maximos magistratus

sed

ſed eligere poſſit omnis,& corrigere,& iudicare.Gerere vero maximos magiſtratus præſtantioribus,& magis ingenuis tribuatur,vt patet in textu.

Neceſſe eſt autem cum ita gubernantur reſpublicæ,eas bene gubernari: nam magiſtratus ſemper ab optimis gerentur, populo ita volente, neq; præſtantioribus inuidente: nobilibus autem ipſis & præſtantibus hic gradus ſufficiet: non enim ſuberunt alijs deterioribus: ipſi verò magiſtratus gerent iuſtè, quia pœnam formidabunt,quoniam corrigere ad alios pertinet: compeſci enim ac non licere facere quicquid quis velit,vtile eſt: nã licẽtia agẽdi quod quiſque velit,cuſtodire non põt ingenitam vnicuiq; hominũ prauitatẽ: itaq; neceſſe eſt illud euenire,quod optimum eſt in rebuſpublicis,ut magiſtratus à præſtantioribus gerantur, ſine populi imminuta auctoritate. Quod igitur hæc popularium gubernationum eſt optima, patet,& qua de cauſa,quia ob talem aliquem eſſe populum.

Oſtendit philoſophus,vel probat hũc modum ad conſtitutionem talis reipublicæ popularis bene ſe habere hoc pacto. Ille modus bene ſe habet ad conſtituendam primam ſpeciem reipublicæ popularis, in quo viri præſtantes ſumuntur ad magiſtratus gerendos non inuito populo, & in quo ciues egregij non deprimuntur: at modus allatus eſt huiuſmodi,ergo bene ſe habet in tali genere. *Compeſci*, ideſt pendere ab alijs,vt cum magiſtratus eis deferuntur ipſi,intelligebant ſimul cum illis ſibi conſtitutam pœnam ſi deliquerint: nam præmio & pœna, vt inquit Solon, reſpublicæ continentur.

Ad conſtituendum autem populum agricolam, tum leges quædam antiquitus apud multos latæ,vtiliſſimæ ſunt,tum illud uniuerſaliter, ne liceat cuiquam habere plus agri quàm menſuram certam,uel ab aliquo loco ad oppidum & ciuitatem. Erat antiquitus in multis ciuitatibus lege cautum,non licere venditionem facere bonorum primæ hæreditatis. Eſt etiam lex,quam dicunt Oxyli fuiſſe, ne liceat cuiquam fœnerari ſuper aliqua fundi parte, quam quis haberet. Dirigere etiam id oportet Aphytalorum lege: eſt enim vtilis ad id quod dicimus: illi enim quanquam ſint permulti, poſſideant autem exiguã regionem,tamen omnes agricolæ ſunt,quoniã pretia conſtituũt non totarũ poſſeſſionum,ſed per tales partes diui

dentes,ut etiam pauperes perfacile eas pretijs superare possint.

Docet philosophus,quonam pacto constitui & consistere potest populus agricola à quo pẽdere videtur talis species reip. popularis,& affert quasdam leges antiquas, quibus fit,vt populus occasionẽ habeat agriculturę exercẽdæ.*vel ab aliquo loco.* s.vt sint ita distantes à ciuitatẽ, vt habeãt occasionẽ agricolendi. *Oxyli.*i.illius legũlatoris.

Post agricolarum multitudinem optimus populus est, ubi pastores sunt,& viuunt ex pecoribus. in multis uero hæc cum agricultura conuenientiam habet.vtriq; enim corporibus exercitati,ad bellicas expeditiones vtilissimi sunt,ac potentes sub diuo consistere. Cæteræ uero multitudines, quasi omnes ex quibus alij status populares constant, multo deteriores his sunt, nam opificum quidem ac forensium & mercenariorum praua est uita, nullumq; uirtutis opus eorum,quæ tractat multitudo. Et insuper quia huiusmodi genus hominum,circa forũ,urbemq; (ut ita dixerim) assidue hæret, facile conciones agitat: at agricolæ quia sparsim habitant per agros,neq; in unum coeunt facile,neq; similiter indigent huiusmodi congregatione: quibus uerò in locis contingit, situm regionis talẽ esse,ut longe distent ab urbe,in ijs facile est popularem statum laudabilem constituere, ac rempub. ipsa enim compellitur multitudo, quasi colonias per agros efficere. quare etsi forẽsis turba sit,tamen conciones in populari statu non faciet absq; multitudine illa,quæ per agros habitat. quomodo ergo constituenda sit optima illa,ac prima popularis gubernatio,dictum est.

Declarat nunc philosophus,quomodo aliæ multitudines populares se habeant ad istã,& ostendit,quod post agricolarum multitudinem optima est pastoralis,probatur: ille populus est optimus post agricolarum multitudinẽ ad constituendum statũ popularem,qui est propinquior agricolis: sed pastoralis est huiusmodi,ergo est optimus post illam:cuius etiam meminit in primo philosophus,cum locutus est de plurimis viuendi modis. Notãdum,quod prima species reip. popularis dicit̃ optima nõ simpliciter, sed in genere,& respectu aliorum modorum reip. popularis,vel aliarum specierũ ipsius. Notandum prætereа,quod non est intelligendũ, philosophum

velle totam ciuitatem constare ex agricolis, sed partem competere ingenuis, & præstãtibus virtute uiris, quibus maximi magistratus, vt dictum est supra, à populo deferantur. *Nullumq; uirtutis opus.* quasi nullum opus eorum, quæ à multitudine opificũm, & mercenariorum tractantur est virtutis, vel ingenuæ facultatis exercitatio. *Hæret*, idest versatur.

Patet etiam quomodo aliæ, subsequenter enim est descendendũ, & deterior semper multitudo separãda. Postremam uerò speciem, quia omnis multitudo ad eam recipitur, neq; cuiuscunque ciuitatis est eam perferre, neq; facile permanere eam, neutiquam legibus & moribus bene stabilitam: à quibus uerò labefactari contingat, & hanc, & alias respublicas, ferè dictum est prius in plurimis.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, quomodo constituantur reliquæ species popularis reip. & dicit, quod manifestũ est. s. ex supra allatis. Quod si optima species popularis constituitur ex optima multitudine gradatim descendendo ad deteriorem multitudinem constituetur deterior, atq; deterior species quousq; deueniamus ad infimam, qua cõstituitur vltima species status popularis, quę cum sit omniũ popularium deterrima, difficile est, vt permaneat, nisi sit bonis legibus, bonisq; moribus temperata, ac stabilita.

Sed ad constituendam hanc popularem gubernationem, & ad populum roborandum, consueuerunt ij qui præsunt ad populum, quam plurimos recipere, ac ciues efficere non solum legitimos, uerumetiam spurios, & ex quouis ciue, idest, siue ex patre siue ex matre: hoc enim totum huic populo magis peculiare est: consueuerũt igitur ij qui populos ducunt, ita constituere: oportet tamen assumere, quoad exuperet nobilium, mediorumq́ue multitudo, neque ultra progredi: nam si transcendunt, confusiorem efficiũt rempublicam, ac nobilitatem exasperando, magis irritant ad ægrè difficulterq́ue popularem statum ferendum, quæ causa seditionis fuit apud Cyrenen. parum enim inconueniens conniuendo transitur, magnum uero in oculis hæret.

Declarat hac in parte philosophus, qũo constituatur hæc vltima species gubernationis popularis, & adducit

quatuor adminicula, quibus ad eam constituendam, vel firmandam gubernatoribus popularibus vtendum censent, cum ipsam intēdunt. Primum dicit esse illud, quod ductores populi ad roborandum huiusmodi populum seruare consueuerunt, idest sibi coniungere complures, & in ciuitatem asciscere etiam non legitimos ciues, vt robustior facta multitudo possit reprimere diuites, & nobiles, si nimium excedant: & tamen ipsa si nimis vltra progrediatur, causam seditionis inducet. *Conuiuendo transitur*, idest negligitur. Repit enim occulte, & ideo non cauetur.

Insuper, alia constituta vtilia sunt ad popularem statum huiusmodi, & ad populi corroborationem, qualia Clisthenes Athenis fecit, quo populi gubernationem augeret: & apud Cyrenen ij qui populum constituerunt. tribus enim aliæ constituendæ sunt plures, & sodalitates priuatorum sacrorum redigendæ sunt ad pauca, & publica. Et cuncta diligenter machinanda, quo quàm maximè omnes simul admisceantur familiaritates, conuersationesq; primæ disiungantur. Præterea tyrannica machinamenta, omnia videntur esse popularia: ceu licentia seruorum (hæc autem vsque ad aliquid conducere potest) & mulierum, & puerorum, & quod quis viuat ut uelit nihil curæ esse: permulti enim huiusmodi ciuitatis statum amabunt, cum plerisque dulcius sit dissolutè viuere, quàm modestè.

Aliud affertur adminiculum circa tribus & sodalitates: & hic locus non indiget declaratione. *Præterea tyrannica.* Aliud affertur, quod patet in textu. *Et sine ullo metu.* Quartum affertur ad idem propositum pertinens, quod etiam patet in textu. *Dissolute.* i. inordinate. Hæc aliaq; eiusdem generis, & si ad commodum sui status populares trahunt, tamen bonis rebus publicis non cōueniunt, cum simpliciter fugienda sint.

Est autem opera legis positoris, & eorum qui volunt statum aliquem talem consistere, non constituere maximum opus, neq; solum constituere: sed magis, vt seruetur: vno enim vel duobus, vel tribus diebus permanere, quomodocunque gubernantibus, haud difficile est: quapropter opus est ijs quas suprà retulimus conserua

tionibus,

tionibus, & corruptelis, rempublicam cautelam assumere, cauendo illa quæ corruptiua sunt, ac leges tales ponendo, & non scriptas & scriptas, quæ conseruationes status maximè comprehendant: neq; putare, id esse populare, neque paucorum potentiæ quod efficiat ciuitatem maxime à multis, vel à paucis gubernari, sed quod quamplurimo tempore. At nunc ij qui sunt populi ductores gratificantes multitudini, multa populariter agunt, per publicationes bonorum in iudicijs factas.

Hac in parte philosophus ostendit, quod facilè est huiusmodi statum popularem inducere, sed difficile est longo tempore obseruare. Quare meminit notitię superius traditæ, de his quæ conseruant, & quæ corrumpunt respub. & affert nonnullas regulas ad talē gubernationem pertinentes, cum gubernatores statum non intendunt, vt supra, sed remittunt. dicit autē in primis, quod hi, qui talem statum permanere volunt putare non debent, eas leges esse valde populares, aut paucorum potentiæ accommodatas, quæ maxime popularitatem, aut paucorum potentiam augent, sed quæ longo tempore conseruant. Dictum est.n. supra in quinto, quod multa, quæ videntur popularia, & à ductoribus in fauorem populi introducta dissoluunt statū popularem. Sic etiam accidit paucorum potentiæ. Itaque sumenda esse dixit potius ea, quæ moderantur talem viuendi modū, quàm ea quę augent, & congruentē mensurā transgrediuntur.

Quare oportet eos qui curam salutis habent reipublicæ, contra moliri leges ponendo, vt damnatorum bona sacra sint, & non in publicum, sed in sacrum referantur. nam eos qui alios iniurijs afficere volent, non minus verebuntur: nam simili damno plectentur. Populus autem minus cupidè damnabit, cum nihil sit vtilitatis ex damnatione suscepturus. Insuper publicas accusationes quam rarissimas semper facere, magna pœna constituta aduersus eos, qui temerè accusarint: non enim populares in iudicium vocari consueuerunt, sed nobiles. Oportet ergo in reipublicæ statu, quantum fieri potest, omnes ciues reddere beneuolos: quod si id fieri nequeat, saltem conari, ne hostes existiment eos qui gubernant.

Affert regulam ad idem propositum pertinentem. *In*

ſuper publicas. Affert aliam, quæ non indiget declaratione, cum textus pateat.

Cum verò poſtremæ illæ ſpecies gubernationum popularium, in multitudine conſiſtant hominum, ac difficile ſit vt concionibus vacare poſſint, ſine alicuius mercedis ſuſceptione, hoc autem vbi redditus non habeat ciuitas, maximè inimicum eſt præſtantibus viris: nam ex tributo, & publicatione bonorum, & ex iudiciorum improbitate, neceſſe eſt prouenire: quod multas iam popularium reſpublicas ſubuerit. Vbi ergo publici redditus non ſunt, facere oportet conciones raras, & iudicia multorũ quidẽ ſed paucis diebus duratura: hoc autem confert ad illud quod non formidabunt impenſas opulenti: tametſi opulenti non capient mercedem iudicij, ſed pauperes. Confert etiam ad rectè iudicandum multò magis: nam qui magna patrimonia habent, multis diebus abeſſe nolunt à rebus ſuis: modicum verò abeſſe temporis, non moleſtè ferunt. Vbi verò ſunt redditus publici, non id facere quod nunc ductores quidam in populo faciunt: ſuperflua enim diuidunt, ac ſimul capiunt, moxque rurſus indigent eiſdem: eſt enim pauperibus, ceu vas perforatum huiuſmodi emolumentum. Sed oportet eum qui verè popularis ſit, videre, ne multitudo pauperie nimia prematur: nam egeſtas paruam reddit populi gubernationem. Conandum eſt igitur ingenioſe, vt abundantia adſit diuturna: nam id prodeſt etiam diuitibus. Congregantes verò illa quæ ex redditibus proueniunt, ſimul omnia egenis tribuere oportet, præſertim ſi quis poſſit tantum congreget, quantum ſat eſt ad agelli comparationem, vel ſaltem ad facultatem negociandi, & agrum colendi: & ſi non omnibus poſſibile, at ſecundum tribus, aut partem aliam in parte diſtribuere oportet. In hac re autem ad neceſſarios conuentus mercedem oportet affectantes diuites conferre inania munera. Per talem aliquem modum, Carthaginenſes gubernantes, amicum retinent populum: ſemper enim quoſdam è populo mittentes in aliquas gubernationes, eos diuites faciunt.

Affert aliam, quæ duplex eſſe videtur: nam primum oſtendit, quid ſit agendum in vltima ſpecie gubernationis popularis circa conciones, vbi publici redditus non ſunt: deinde quid ſit agendum, vbi ſunt. Vbi igitur non ſunt publici redditus, dicit philoſophus, quod debent

fieri

fieri conciones raræ,& iudicia magna,ſed paucis diebus duratura,& aſſignat rationem,cur talis regula vtilis eſt, vbi redditus publici non ſunt.Vbi vero ſunt,primum ca uendum eſt, ne ea quæ ſuperſunt, ſtatim vt capiunt, diuidant, aut faciant ductores populi, cum ei gratificari volunt. Eſt enim tale ſubſidij genus,ut perforatum vas. Nam quicquid paulatim ingreditur ex vna parte, egreditur per aliam. Sed prouidendum eſt ab illis, atq; conandum, vt populus in abundantia verſetur, & continget,ſi colligent ea, quæ ex redditibus proueniunt, & ſimul egenis diſtribuant. *Nam id prodeſt*,ideſt cum id proſit etiam diuitibus. Quæ enim ex redditibus fiunt congregantes ſimul omnia, egenis diſtribuere oportet, & non ſtatim,vt capiunt, diuidant: ſed colligant in tanta quantitate, vt poſtea tantum diſtribuant egenis, quantum eis ſufficiat ad agelli emptionem, vel ad facultatẽ rectè negociandi,vel agri colendi. Debent etiam diuites conferre ex ſuis facultatibus ad agendos conuentus, vel conciones exercendas, in quibus oportet pauperes capere aliquid emolumenti. *diuites conferre cupidos inaniũ munerum*, ideſt diuites conferre oportet liberatos à ſubminiſtrationibus, & expenſis ſuperfluis. *Per talem aliquem*, confirmat propoſitum exemplo Carthaginenſiũ.

Gratioſorum verò,ac mentem habentium nobilium. id eſt,& ſuſcipere egenos,& occaſionẽ præbentes,conuertere ad res agendas.

Oſtendit philoſophus alia regula propoſitum ſuum, hoc eſt,quod ad nobiles,& prudẽtes ſpectat fauere pauperibus, & ad bonas operationes eos conuertere, vnde emolumentum capere poſſint.

Recte ergo ſe habet Tarentinorum exemplum imitari: illi enim cum opes efficiunt communes, ad pauperum vſum, per hunc modum beneuolam ſibi plebem conſtituunt, magiſtratus inſuper omnes duplices faciunt, vt ſint alij per electionem, alij per ſortem: quo enim populus capiat, per ſortem: quo autem melius gubernentur, per electionem. Eſt autem hoc facere etiam in vno eodemque magiſtratu, ita partientes, vt alij ſorte, alij electione, ad eum gerendum aſſumantur. Quemadmodum ergo oportet

popularium gubernationes instituere, dictum est.

Probat idem propositum exemplo Tarentinorũ, quorum respublica ea tempestate vigebat. Quia etiam non multo tempore post obitum Aristotelis Pyrrhus rex Epyrotharum in Italiam venit, & Tarentinorum opibus adiutus bellum intulit populo Romano. Illi igitur possessiones uel fructus possessionum, vt quidam exponunt, facientes communes, beniuolam sibi reddebant multitudinem.

Da paucorum ergo gubernationibus quomodo agendum sit, patet ferè ex eisdem: nam per contrarium agendum est, in omni paucorum gubernatione, ad oppositam sibi popularis gubernationis speciem, reputando optimè temperatam illam cæterarum paucorum gubernationum, ac primam. Hæc autem est propinqua illi, quæ respublica nuncupatur, in qua oportet censu diuidere, & alios minores, alios maiores facere. minores quidem, à quibus necessarij magistratus capiantur: maiores verò, à quibus capiantur hi magistratus, qui sunt principaliores. Et qui tantum adepti fuerint censum, habiles sint ad rempublicam gerendam, afferente populo tantam multitudinem per ipsum censum, vt cum illa potentiores sint qui gubernant rempublicam, quàm illi qui non gubernant. Semper autem ex meliori populo capiendi sunt illi, qui ad societatem reipublicæ recipiuntur. Similiter autem in ea gubernatione paucorum quæ sequitur, intendentes parumper, est instituendum.

Hoc est tertium capitulum huius primi tractatus, in quo philosophus, postea quam docuit quomodo, & ex quibus constituatur quælibet species popularis reipublicæ, nunc ostendit, ex quibus, & quomodo constituatur species paucorum potentiæ. Diuiditur autem hoc capitulum in quatuor partes, quæ suis locis declarabuntur. Primum igitur ostendit quadam regula vniuersali, quod vna quæque species paucorum potentiæ, cum sit opposita cuilibet speciei popularis reipublicæ, constituitur ex contrarijs, & contrario modo, quibus, & quo constituitur quælibet popularis: & breuiter transit per omnes species paucorum potentię. Dicit autem in primis, quod ea, quæ existimantur optima, & prima

ma ex illis speciebus, est propinqua reipublicæ communi nomine vocitatæ, de qua loquutus est in quarto huius. *Ex eisdem*, ideft ex his, quæ diximus. *Nam per contrarium*, idest ex contrarijs oportet constituere vnamquamque paucorum potentiam. *Similiter.* Quasi similiter eam, quæ sequitur intendentes instituemus. Notandum, quod quatuor species paucorum potentiæ se habent gradatim secundum ordinem successiuum, vt prima sit magis temperata, secunda ad minorem paucitatem, tertia ad multo minorem, & quarta ad paucissimum numerum opulentorum, qui ex arbitrio viuant, redigatur: atque ideo intenditur, & est omnium istarum pessima.

In ea verò quæ opposita est extremæ popularitati, quæ est inter paucorum potentias potentatui, tyrannidiq; simillima, quanto deterrima est, tanto maiori opus est custodia. vt enim corpora bene disposita ad sanitatem, & nauigia bene instructa ad nauigandum, multos ferunt errores, nec ob eos succumbunt: valetudinaria autem corpora, & nauigia parum firma, nautisque instructa prauis, ne paruos quidem ferunt errores: ita rerumpublicarum hæ quæ deterrimæ sunt, plurima indigent custodia. Populares igitur gubernationes per multitudinem hominum omnino seruantur. hoc enim opponitur ad illud iustum, quod est secundum dignitatem: paucorum uerò potentium contra, videlicet per rectam ordinationem, oportet assequi firmitatem.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus loquitur de ultima, & deterrima specie paucorum potentiæ, & ostendit, quantum sit difficile eam persistere comparatione corporum naturalium, & nauigiorum, quæ fiunt arte, atque ex eo declarat, quod indiget recta ordinatione ad stabilitatem suscipiendam.

Cum verò sint multitudinis potissimum partes quatuor; agricolæ, artifices, negociatores, mercenarij: quatuor etiam vtiles ad bellum, equites, pedites, grauis armaturæ, expediti, leues, & turba naualis. vbi contingit regionem esse ad equitatum aptam, ibi locum habet aptissimum, paucorum potentia illa summa: nam conseruatio habitatorum ab equitibus prouenit: equos verò nutrire,

eorum est qui magnas habent facultates. vbi autem regio ad armatum peditatum est apta, consequentem speciem affectat paucorum potentiæ: nam grauis armatura, diuitum est, magis quàm pauperum. expediti autem leues & nautica turba, popularis est omnino. Nunc autem vbi talis turba multa est, quando seditio fit, deterius certant. Sed oportet huiusmodi medicinam capere à belli ducibus, qui ad equitatum ac grauis armaturæ peditum robur, expeditos leues, ceu congruit, solent coniungere: hac autem præualent populi in seditionibus, opulentis: nam leues expediti, ad equites & ad grauis armaturæ pedites, facilè pugnant. instituere igitur ex his potentiam istam, ad seipsos est instituere. Sed oportet diuisis ætatibus, cum alij seniores, alij iuniores existant in iuuenili adhuc ætate constitutos, filios suos erudire ad leues & expeditas operationes: delectos quidem ex pueris, athletas esse ipsos operationum.

Hæc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus ad propositum dictæ gubernationis affert distinctionem multitudinis popularis, cuius quatuor dicit esse partes: vnam agricolarum, ad quam reducitur etiam pastoralis multitudo: aliam artificum: tertiam negociatorum; quartam mercenariorum, vt etiam antea docuit. Præterea sunt quatuor partes hominum, qui versantur in bello, uidelicet equites, pedites grauis armaturæ, pedites leuis armaturæ, & nautica. His distinctionibus allatis dicit philosophus, quòd vbi est regio apta equitatui; ibi fauetur paucorum potentiæ. In quarto etiam inquit, quod antiquis temporibus quæcunque ciuitates equestri potentia excellebant, in his paucorum potentia gubernabat. Atque vt hæc breuiter complectamur, equitatus, & grauis peditum armatura, diuitum est magis, quàm pauperum. (quia vterque exercitus indiget magna impensa, & facultatibus diuitum) Leuis autem armatura, & nautica turba est ipsius multitudinis popularis, & ideo non facit ad propositum paucorum potentiæ. Adhiberi tamen solet moderatio quædam, dicit philosophus, & ordinatio secundum diuersas ætates, vt patet in textu. *Talis turba*, scilicet leuis armaturæ, & nautica.

ca. *delectos quidem*, ideſt egreſſos autem ex pueris athletas ipſos eſſe in operationibus.

Conceſſio autem reipublicæ, populo facienda eſt: vel cum ad cenſum peruenerint (vt prius dictum eſt) uel, ut faciunt Thebani, cum certum tempus a ſordidis opificijs deſiiterint. vel ut apud Maſsiliam, iudicio facto, qui digni ſunt ad rempublicam recipi, & qui excludi.

Hæc eſt quarta pars huius capituli, in quò philoſophus affert quendam modum, quem illi ad conſeruationem potentię paucorum pertinere putant ex parte magiſtratuum, & affert tria circa ipſum. Primũ eſt, vt populus fiat particeps gubernationis, aut cum ad cenſum, ſcilicet minoris quãtitatis populares peruenerint, & tunc ſint habiles; aut more Thebanorum, aut more Maſſilienſiũ, apud quos ſumuntur honorabiliores ex populo

Præterea dignitatibus ijs quæ ſunt principaliſſimæ, quas ſuſcipere oportet eos qui in republicæ gubernatione uerſantur, adiungenda ſunt onera publica, vt populus ſponte ſua eas nolit. & compatiatur illis qui huiuſmodi magiſtratus ſuſcipiunt, utpote mercedem permagnam pro ea dignitate ſoluentibus.

Secundum eſt quod cum duplices ſint magiſtratus. alij valde neceſſarij, ad quos exercendos oportet admittere populum: alij maxime authoritatis, vel dignitatis, qui in tali genere gubernationis non ſolent committi, populo ab huiuſmodi gubernatoribus, ſed viris inſignibus adiungenda ſunt onera publica his magiſtratibus dicit philoſophus, vt eos ſponte fugiat multitudo, & ęquo animo ferat gubernantes.

Congruit autem, eos qui huiuſmodi magiſtratus ineunt, & ſacra magnificentiſsimè facere & publica quædã ædificia ad vſum populi conſtruere, vt populus qui ad comeſſationes admittitur cernens vrbem ornari, tum muneribus erga Deos, tum ædibus ad vſum publicum, libenter aſpiciat præſentem ſtatum ciuitatis. Continget etiam præſtantibus viris, hæc eſſe monumenta ſuæ largitatis. Sed hoc non fit nunc per eos homines, qui magni ſunt in paucorum ptoentia, ſed contrarium: lucrnm enim quærunt non minus quam honorem. itaque dici poteſt rectè, hos eſſe populares ſtatus

prauos

prauos. Quomodo igitur instituendæ sint, & paucorum gubernationes, & multitudinis, in hunc modum determinatum sit.

Affert tertium, quod quidem, vt patet in textu, in exercendis operationibus magnificentiæ totum consistit. Nam, vt Cicero inquit, Odit populus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. *Vt multitudo cernens*, ideſt vt multitudo epularum, vel conuiuiorum participes, & cernens vrbem ornari, & cultum diuinum magnifice exhiberi Deo: libenter aſpiciat præſentem ſtatum ciuitatis. *Populares ſtatus paruos*, ideſt ſtatus populares ad exiguum numerũ redactos, in quibus magis ratio lucri, quàm honoris habetur: & ſic de instituendis gubernationibus paucorum potentiæ & ſtatus popularis hoc pacto determinatum dicit.

Conſequens eſt circa magiſtratus diuidere diligenter, quod ij ſint, & quales, & quibus de rebus, vt ſupra dictum eſt. Sunt .n. quidam neceſſarij magiſtratus, ſine quibus ciuitas eſſe non poteſt. ſunt etiam quidam ad cultum ornatumq; pertinentes, ſine quibus bene habitari ciuitas non valet. Præterea neceſſarium eſt in paruis quidem ciuitatibus, pauciores eſſe magiſtratus, in magnis autem plures, vt prius oſtendimus, quales ergo congruat ſimul coniungere, & quales ſeparare, non debet eſſe clàm.

Hic eſt ſecũdus tractatus huius ſexti libri, in quo philoſophus, poſtea quam docuit, quomodo, & ex quibus conſtituantur, tam populares quàm paucorum gubernationes, nunc docet, quot, & quales ſunt magiſtratus: & conſiderat circa eos non nulla cognitu neceſſaria: nã in quarto huius tetigit hanc materiam, nunc exactius complectitur, & magis particulariter. Hic tractatus habet tantum vnicum capitulum, quod diuiditur in quatuor partes, quæ inferius declarabuntur. In prima igitur philoſophus proponit intentionem ſuam circa magiſtratus, & aſſignat rationem illius, quia cum ciuitas ſine magiſtratibus habitari, aut ſine quibuſdam bene habitari non poſſit: operæpretium eſt conſiderare ea, quæ ad hanc materiam pertinent, & conſideranda reſtabunt.

Pri-

Primũ ergo cura rerum necessariarum vt in foro assint, venundenturque: super qua quidem cura, magistratus quidam est constituendus, cuius officium sit intendere circa contractus, & circa honestatem: nam cunctis ferè ciuitatibus, necessarium est emptiones, venditionesq́; fieri inuicem, pro vsu rerum necessariarũ. & hæc facultas maximè propinqua ad eam sufficientiam consequendam, cuius gratia in vnam videntur conuenisse reipublicæ societatem.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus declarat, quot, & quales sunt magistratus necessarij: & affert nouem genera, vel nouem species magistratuum. Primus magistratus necessarius est circa contractus emptionis & venditionis.

Altera verò cura huic coniuncta ac vicina est circa vrbem, de publicis priuatisq́; rebus, de ornatu decenti, de labefactorum ædificiorum ac viarum conseruatione, ac directione, & de finibus regendis, vt sine quærela sint, & de similibus curis. vocant autem plurimi huiusmodi magistratum, ædilitatem. partes verò ipsius sunt plures, & in ciuitatibus quæ hominum frequentiam habent, aliæ super alias incidunt: ceu mœnibus reficiendis præfecti, & fontium curatores, & portuum conseruatores.

Alius magistratus necessarius est, quem plerique ędilitatem vocant.

Alia verò est cura, & quidem necessaria atq; huic propinqua: nam de eisdem rebus, at non in vrbe, sed extra vrbem in agro versatur. vocant autem huiusmodi magistratum, alij agrorum definitores, alij custodes syluarum. hæ igitur procurationes sunt tres.

Affert tertio loco alium magistratum, quem diffinitores, seu custodes agrorum vocant, qui propè est idem cum priore, quia versatur circa curam eiusdem rationis. Differt tamen, quod iste habet curam extra urbem, ille prior in vrbe.

Est & alius magistratus, ad quẽ redditus publici referuntur. qui apud eos conseruati, mox distribuuntur ad singulas opportunitates. Vocant verò istos, receptores, & quæstores.

Quarto loco affert alium magistratum circa redditus publicos constitutũ, quẽ vocare quæsturã possumus.

Alter uerò magistratus est apud quem præscribi oportet priua-

tos contractus, & sententias iudicum apud quos etiam postulationes uocationesque in ius, scribi debent. quibusdam in locis huiusmodi magistratum diuidunt in partes, sed est unà eademque auctoritas istorum omnium: appellantque eos qui hunc magistratum gerunt, tum præfectos, tum memoriales, uel similibus nuncupationibus.

Quinto loco affert aliud genus, vel aliam speciem magistratus, ad quem referri oportet rescripta contractuum priuatorum, & iudicia vel sententias iudicũ, quorum omnium rationem habere debet talis magistratus, & appellant prefectos, vel memoriales, qui similem curam, similemque magistratum gerunt.

Qui uerò post hunc sequitur, summè necessarius est, atque uerè difficillimus omnium magistratuum: uersatur autem circa executiones eorum qui damnati sunt, & præpositorum secundum inscriptiones, atque custodias corporum. est autem grauis huiusmodi administratio propter multas (quæ inde proueniunt) inimicitias: itaque nisi magna emolumenta ex eo capiantur, gerere illum omnes recusant: & si gerant, secundum leges facere non tolerant. Sed est necessaria res; nam nihil prodessent de rebus iustis iudicia aut sententiæ, nisi essent qui eas executioni mandarent. quare si hæc desint, executionesque non fiant, communio inter se ciuium permanere non potest. Propterea melius est non unum esse hunc magistratum, sed partiri in plures, ut alij de alijs iudicia exequantur. & circa rescripta præpositorum eodem modo conandum distinguere. Adhuc etiam magistratus: alios alia exequi, & noua magis nouos: et in ijs quæ instant, cum magistratus unus condemnarit, alius exequatur. ceu prætores urbani condemnent, ædiles inscribant, & alij sententiam scriptis demandatam exequi curent. quanto enim minus inimicitiarum sit illis qui executioni demandant, tanto magis res finem suscipient. Si sint ergo ijdem qui condemnant et condemnationes exequuntur, duplex contrahitur odiũ. de omnibus autem eosdem, cunctis inimicum est. Multis etiam in locis, separatur ille qui custodit reos, ab illo qui animaduertit in eos. ut Athenis illi, qui undecim uiri nuncupantur. Quapropter melius est hunc quoque diuidere magistratum, & quasi adumbrare, & per commentitia requirere: est enim necessarius non minus

quàm

quàm superior. Contingit in eo, ut uiri boni maximè uitent hoc officium. Prauos autem nequaquam tutum sit ei præficere, cum ipsi potius indigeant custodia, & carcere, quàm alios debeant custodire. Itaq; oportet hoc non unum esse officium, nec continuò ab eisdem fieri, sed ubi est aliquis iuniorum ordo, aut custodum, & magistratuum, deputandi sunt pro tempore, alij atq; alij, qui horum officiorum suscipiunt curam. Hos ergo magistratus tanquam summè necessarios, ponendum est esse primos.

Sexto loco affertur alius magistratus eorum, quos executores appellant textus est planus.

Post hos autem alij sunt magistratus, nec sanè minus necessarij, & maioris quidem dignitatis. nam plurima indigent experientia & fide. Tales uerò sunt circa custodiam urbis, & circa illa omnia, quæ ordinantur ad bellicas expeditiones: opus est enim & in pace, & in bello, ut portæ, & mœnia ciuitatis tutentur, & disquisitiones, descriptionesq; ciuium fiant. Alicubi ergo super his plures sunt magistratus, alicubi uerò pauciores, ueluti quidam in paruis urbibus, unus super omnibus. appellant uerò hos prætores uel consules. Insuper si sint equites, aut pedites, aut sagittarij, aut turba naualis. super unoquoque eorum præfecti quidem statuuntur, appellanturq; præfecti equitum, præfecti legionũ, præfecti nauales. & seorsum sub his, præfectus triremis, præfectus cohortis, tribunus militum, & alia huiusmodi particularia. totum uerò una quædam species est, procuratio, scilicet rerum bellicarum. & erga huiusmodi magistratum res hoc modo se habet.

Septimum affert genus magistratus, qui indiget multa fide, & experientia eorũ, qui tale munus subeunt. appellant aũt eos ductores exercitus, vel præfectos belli.

Cum uerò quidam magistratuum (etsi non omnes) pertractent multa negociorum publicorum, necesse est alium esse magistratum, qui rationes repetat, atque corrigat, ipse uerò nihil aliud tractet. uocant uerò hos alij correctores, alij rationales, alij scrutatores, alij procuratores.

Octauum affert genus magistratus eorũ qui perscrutantur & corrigunt, si opus sit, administrationes aliorũ magistratuum. Appellant eos correctores, vel huiusmodi nuncupationibus. *Rationales*. i. repetitores rationũ.

Præter hos verò omnes, vnus magistratus est præcipuus maximè omnium. Idem enim plerunq; habet finem & introductionem, quæ præsidet multitudini, vbi populus dominatur. Oportet autem id quod cogit, summam habere in republica auctoritatem. Appellant verò quibusdam in locis præconsultores, ex eo, quia ante deliberant. Vbi uerò multitudo est, consilium magis. Ciuitatum igitur magistratus fere tot aliqui sunt.

Nonum, & vltimum genus magistratus affertur, qui est supremus, & præsidens in ciuitate. Cuius officium est vocare populum, & ante deliberare, quæ sunt postea populo proponenda, & decernenda, vel alia huiusmodi pertractare. Textus est manifestus, & non indiget declaratione.

Alia species curationis est circa rem diuinam, ceu sacerdotes, & æditui, circa templa (vt conseruentur quæ sunt, & erigantur ruinosa ædificia) & cætera omnia quæ pertinent ad diuinum cultum. Euenit autem alicubi curam hanc, esse vnam, vt in paruis ciuitatibus. alibi verò plures separatas à sacerdotio, vt sacrificulos, ac ædiculos, ac custodes sacrarũ pecuniarum. Huic consequens est cura illa, quæ circa vniuersa sacrificia publica, quotcunque sacerdotibus lex non committit, sed ex publico fiunt. Vocant autem eos qui istis præsunt, alij Reges sacrorum, alij Pontifices maximos. Necessaria ergo officia sunt circa hæc, vt summatim dicamus circa rem diuinam, circa rem bellicam, circa redditus publicos, & impensas, circa forum, circa vrbem, & portus, & regionem, insuper circa iudicia, & contractus descriptiones, & executiones, & custodias, & super rationibus, & disquisitionibus, & super correctionibus eorum, quæ quis gesserit in magistratu, & postremò circa consilia rerum communium.

Hæc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus allatis magistratibus necessarijs in rebus publicis, nunc affert aliud genus, uel aliam speciem etiam necessariæ curationis eorum, quæ ad cultum diuinum pertinent. Tales autem ministros diuinæ religionis, qui non sunt ciuilibus subiecti, ut etiam in Ethicis tangere uidetur philosophus, alij sacerdotes, alij Pontifices maximos vocant. Repetit postea breuiter ea, quæ dixit de magi-

magistratibus, & officijs. *Et finaliter circa consilia*, idest circa id quod deliberat.

Peculiare autem est earum ciuitatum quæ magis in ocio, & pace degunt, atque magis tranquillæ sunt, curam insuper facere de mulierum disciplina, de legibus seruandis, de disciplina iuuentutis, de gymnasiorum gubernatione, præterea de ludis gymnicis, ac musicis, & si qua alia huiusmodi spectacula continget fieri. Horum verò quædam manifeste sunt non popularia, ueluti disciplina mulierum, & pucrorum, nam pauperibus, necesse est uti mulieribus, & pueris tanquam ministris, quoniam seruos non habent. Cumque tres sint magistratus, per quos assumunt quidam summas potestates, conseruatores legum, & præconsultores, & consilium: conseruatores legum, optimatum magistratus est, præconsultores uero paucorum potentiæ, consilium autem populare. De magistratibus ergo (vt in figura) fere dictum est de omnibus.

Quarta est pars, in qua philosophus affert magistratus accommodatos ad bene esse ciuitatum, quæ sunt in tranquillitate constitutæ. Talibus enim vti solent pacatæ, & bene moratæ ciuitates, dicit philosophus. Demum ostendit, quod conseruatores legum sunt reipublicæ optimatum: Præconsultores, quia magnam habent auctoritatem, & ante deliberant, paucorum potentiæ: Consilium uerò est ualde populare. & simul finem sexto libro imponit.

DONATI ACCIAIOLI FLORENTINI

IN VII. POLITICORVM ARISTOTELIS,

Explanatio.

DE OPTIMA *republica, recte quærere volenti, necessarium est prius determinare, quæ vita sit maximè expetenda: nam si id ignotum sit, necesse est & optimam rempub. ignorari. optimè enim agere consentaneum est ijs qui sub optima reipub. disciplina reguntur, ex ijs quæ sibi assint, nisi quid accidat præter rationem. Quare primum instituendum est, quæ vita sit cunctis (vt ita dixerim) maximè optanda: deinde, vtrum publicè & priuatim eadem sit, an alia.*

HIC est septimus liber politicorum dignus Aristotelis ingenio, atque doctrina. in quo, posteaquàm docuit, ex quibus, & quomodo constituatur gubernatio popularis, & paucorum potentia, nunc tradit multa egregia, atq; præclara de constitutione optimæ reipublicæ, quæcunque sit illa, vt dicit Sanctus Thomas, siue respublica communi nomine vocitata, siue optimates, siue regnum. Diuiditur autem hic liber in quatuor tractatus, in primo agit de his, quæ præsupponenda sunt ex parte finis, vnde sumitur ratio optimæ reipublicæ. In secũdo de his quæ præsupponenda sunt ex parte materiæ remotæ. Duplex .n. dicitur esse materia ad hoc propositum propinqua, atque remota. Propinqua materia est multitudo ciuium, remota autem regio, & situs ciuitatis. In tertio agit de partibus propinquis, quæ

sunt

sunt ciues, vt diximus, & de publicis ædificijs, & domibus, quæ sunt, vt instrumenta. In quarto determinat de optima republica, in qua cum debeat esse optima gubernatio, ea autem proficiscatur ab optimis ciuibus, tradit doctrinam, qua ciues boni, vel optimi efficiantur. Sæpius enim dictum est, quod non parum, immò totum refert, ad optimam gubernandi rationem, optimos ciues fieri, & à prima adolescentia bonis moribus assuescere. Nam studiosam esse ciuitatem, nihil aliud est, quàm ciues illos, qui in republica versantur, esse studiosos.

Primus tractatus rursus diuiditur in duo capitula, in primo ostendit philosophus, quod optima vita, seu humana felicitas, & vltimus finis humanus maxime in virtute consistit, vel in operatione secundum virtutem. In secundo inquirit, vtrum eadem sit felicitas singulorum & ciuitatis. Et vlterius considerat, atque declarat, in cuius uirtutis operatione, an actiuæ, an speculatiuæ dicatur consistere talis felicitas.

Primum capitulum diuiditur in quatuor partes, quæ suis locis declarabuntur. in prima parte præmittit intentionem suam, & ordinem procedendi.

Ad hoc .n. vt inueniat optimam rempublicam, optimam inquam simpliciter, & non ex suppositione, oportet videre, quæ sit optima viuendi ratio, & in qua operatione consistat: Cognita nanque optima operatione, innotescet optima vita, & per consequens optima respublica. Est enim respublica (vt inquit philosophus) in quarto huius, vita quædam ciuitatis. quapropter qualitas reipublicæ percipietur ex cognitione operationis, & finis, qui si erit optimus, innotescet etiam optima gubernandi ratio. Notandum, quod vita vno modo dicitur, quod est internum principium motus, vt anima hoc pacto dicetur vita. Alio modo sumitur vita pro operatione, & secundo actu procedente ab huiusmodi principio interno. Quare operatio hominis dicetur vita, siue vigeat, siue sentiat, siue se moueat, siue intelligat. Est enim anima hominis principium vegetandi, sentiendi,

intelligendi,& secundum locum mouendi. Verum harum operationum optima est illa, quæ est secundum optimam potentiam animæ, idest secundum rationem, & per consequens, talis operatio erit optima vita. Quare inuenienda est optima operatio, idest optima vita hominis ex ratione optimi finis. Deinde videndum est, vtrum vita, vel operatio talis, sit eadem cuiuslibet priuati ciuis, & totius ciuitatis, an alia, atque diuersa. Notandum, quod principalis intentio philosophi est, in hoc libro tractare de optima gubernatione reipublicæ, seu ciuitatis, atque ad hoc inueniendum præmisit antea multa, quæ erant cognitu necessaria. Nam primum attulit principia, ex quibus componitur ciuitas, vt est domus, & pagus, deinde antiquorum opiniones de rebus publicis inuestigauit: postea attulit species rerumpublicarum rectas, atque non rectas, & sumpsit regnum, atque de eo diligenter tractauit, tum de optimatibus, & republica communi nomine vocitata, & earum transgressionibus, & de communissima republica multa docuit, atq; etiam considerauit, quo, & quibus respublicæ mutantur, & quomodo, & quibus conseruantur. Demum sequendo consuetudinem suam, post designationem (vt ita loquar) istarum rerumpublicarum, cœpit exactius perquirere, quomodo, & quibus constituuntur respublicæ primum non rectæ, idest popularis, & paucorum potentia: deinde illis discussis, gradatim venit ad constitutionem, & doctrinam optimæ reipublicæ, quam principaliter intendebat, vt ex principio secundi, & fine tertij huius politicæ percipi potest, & vt ipse in decimo Ethicorum innuere videtur, & quasi hunc ordinem ante oculos proponere. Primū inquit, si quid aliqua ex parte rectè sit à maioribus dictum, id enitamur referre: deinde ex congregatis rebus publicis consideremus, quales res ciuitates euertunt, atque conseruant, & quales vnamquanque rempublicam vel constituunt, vel dissoluunt, & propter quas causas aliæ recte, aliæ contra gubernentur. His enim visis forte magis intelli-

gemus

gemus, quis reipublicæ status sit optimus &c.

Putantes igitur multa sufficienter esse dicta de optima uita, etiam in externis sermonibus: & nunc illis utendum censemus, nempe aduersus hanc diuisionem, nemo utique refragabitur, quod tria cum sint bonorum genera, externa, corporis, & animi, ista omnia adesse felici homini oportet, nemo enim felicem diceret eum, qui nullam partem fortitudinis habeat, neque temperantiæ, neque iustitiæ, neque prudentiæ, sed timentem etiam circumuolantes muscas, abstinentem verò à nulla penitus edendi bibendique extrema cupiditate, & gratia quadrantis unius, dilectissimos interficientem amicos, similiter, & mente ita stultum, atque ignarum, quasi puerum quendam, uel insanum: sed ista quidem sic, ut dicta sunt, omnes concederent.

Secunda est pars huius primi capituli, in qua philosophus ostendit vitam optimam, atque felicem consistere in virtutibus, & operationibus secũdum eas: & quia presupponitur sciẽtia de moribus, in qua ista sunt vberius declarata, ideo se refert philosophus ad illam doctrinã. Hic autem breuibus affert triplicem bonorum diuisionem, quæ dicit homini felici adesse oportere, & affert statim ipsas virtutes. nam bona animi sunt illa, quæ hominem perficiunt, & in quibus proprie felicitas humana consistit. at bona corporis gratia animi sunt, & externa requiruntur, vt instrumenta, quæ subministrent operationibus animi, vt in ethicis ostensum fuit, & inferius patebit. *In externis sermonibus*, idest in morali doctrina, vt quidam exponunt. Scripsit autem philosophus libros de moribus non solum ad Nicomachum, sed etiam ad Eudemum.

Discordant tamen in quanto atq; excessu, nam virtutis quidem satis habere se putant, quantulumcunq; habeant: diuitiarum verò atque pecuniarum, potentiæque & famæ, et huiusmodi omnium, in infinitum excessum sequuntur.

Tertia est pars huius capituli, in qua philosophus affert opinionem quorundam, qui dicebant, beatã vitam, vel felicitatem consistere magis in externis bonis, vel corporis, quàm in virtute, & bonis animi.

At verò

At verò nos illis dicemus, quia facile est de his etiam per opera ipsam fidem suscipere, cernentes, quia homines acquirunt, & conseruant, non virtutes externis bonis, sed externa virtutibus.

Hanc opinionē philosophus refellit pluribus rationibus. Prima ratio est, quod bona externa comparantur, & conseruantur magis virtutibus, quàm virtutes externis bonis: ergo virtus est bonum principalius, & magis causa illorum bonorum, quàm contra: & ex consequenti, felicitas magis consistit in virtutibus, & in operationibus ordinatis à recta ratione, quàm in externis bonis. *Per opera ipsa,* idest ipsa experientia.

Ipsaq; beata vita, siue in gaudio posita est, siue in virtute, siue ambobus, magis inexistit, moribus & intellectu in excellentia ornatis, mediocria verò externa possidentibus, quàm ijs qui in externis plura possident, quàm opus sit, & in illis deficiunt.

Secunda ratio est hoc pacto, si homines præstātes virtutibus, & bonis moribus, mediocria verò externa possidentes magis felices dicimus, quàm excedentes opibus, atque omnino bonis externis, deficientes autem in virtutibus, procul dubio felicitas potius in virtutibus consistit, quàm in externis bonis. at primum est ergo, & secundum. Patet ratio, quia siue felicitas in gaudio, idest in voluptate posita sit, vt quidam volunt, siue in virtute, siue in vtrisq; potius, felices erunt studiosi, qui sunt virtutibus prediti, & veras voluptates percipiunt, vt in decimo Ethicorum ostenditur, quàm illi, qui in istis internis deficiunt, & externis abundant.

Quinetiam ratione considerantibus, licet hoc probè intueri: nam externa quidem bona, finem terminumq; habent: tanquàm instrumentum quoddam. omne autem vtile tale est, ut eius excessus, uel noceat habenti, uel certè non prosit. at bona animæ, quanto magis excedunt, tanto magis vtilia sunt: si non solum honesti, uerumetiam utilis appellatio tribui illis debet.

Tertia est ratio hoc pacto: in illis bonis magis consistit felicitas, quorum excessus non est inutilis, neq; impedit felicitatem, quàm in ijs, quorum excessus nocet habenti, & impedit felicitatem: sed bona animi sunt huiusmodi

iusmodi respectu externorum bonorum: ergo magis in bonis animi, quàm in illis, cõsistit felicitas. Patet ratio, quia bona externa dicuntur esse vtilia, & ad aliud ordinata: quæ si excedunt, nocent habenti, testante philosopho in libro Ethicorum, dicenteq;, quod nimiæ prosperitates impediunt felicitatem: sunt enim tanquam instrumenta, quæ vtentibus accommodata esse debent. nã si excedant, sunt penitus inutilia, veluti si malleus modum excederet, esset penitus inutilis fabro. at bona animi quanto magis excedunt, tanto sunt excellẽtiora, nec solum vtilia, sed etiam honesta. nam vtile proprie dictum est alterius causa, vt instrumẽtum. quòd autem bona externa sint tanquam instrumenta, ostendit philosophus primo Ethicorum, vbi dicit; cæterorum autem bonorum alia subesse necessarium est, alia, idest externa, ad cooperationẽ, & vsum nata sunt, instar instrumentorum. Idem ostendit inferius, cum reprehendit homines, qui æstimant externa bona, causam esse felicitatis, ceu inquit, si quis bene pulsandi causam putet esse lyram magis, quàm artem. Quod si philosophus externa bona cõparat lyræ, & lyra est instrumentum, ergo & externa bona erunt instar instrumentorum: at si lyra esset maior, & excederet in quantitate plus, quàm opus esset, tunc foret inutilis modulatori: vnde concluditur, quòd externa bona excedentia, nocent possidentibus, vel eos impediunt, bona autem animi quanto plura, ac maiora sunt, tanto magis habẽtem perficiunt. ergo in his potius cõsistit felicitas.

Omninoq; patet, quod sequi dicemus dispositionem optimam cuiusq; rei adinuicem, secundum excessum distãtiæ illorum, quorum dicimus eas esse dispositiones: quare si est anima præciosior corpore, & pecunijs, & simpliciter & nobis, necessarium est, & dispositionem cuiusq; optimam eodem modo illis correspondere.

Quarta est ratio hoc pacto, dispositio quælibet talem habet gradum, & conditionem respectu alterius dispositionis, qualem habent res inter se, quarum illæ dicuntur esse dispositiones, & qualis est eorum distantia.

Sed sic est,quod anima est longe pretiosior corpore, & simpliciter, & respectu nostri: ergo & optima dispositio eius est longe præclarior,& pretiosior,quàm optima dispositio corporis: & bona animi,vt virtus, atq; prudentia,& operationes studiosæ sunt pretiosiora,quàm bona corporis,ideſt quã sanitas,robur, & pulchritudo, & alia huiusmodi,& per consequens quàm bona externa,& tanto excellentiora,quanto est distantia maior.(Sunt enim bona animi bonis externis, & bonis corporis infinita quadam laude,vt inquit Cicero anteponenda) ergo in illis magis consistit felicitas.

Insuper, animæ gratia illa expeti nata sunt, & ita rectè sentientes expetere omnes oportet: non autem animam gratia illorum. Quod igitur felicitatis tantum vnicuiq; contingit, quantum virtutis atq; prudentiæ,et quantum secundum has operatur, confessum nobis existat, teste Deo usis,qui felix est atque beatus,non per aliquod externorum, sed per seipsum, quia talis sit secundum naturam. Cum & bonam fortunam, aliud esse quàm felicitatem, propter hoc necessarium est: nam externorum quidem bonorum causa est fortuna,& casus: at iustus & temperans nemo à fortuna est, neq; propter fortunam.

Quinta ratio est huiusmodi. in eo bono consistit potius ipsa felicitas,cuius gratia alia bona expetuntur: sed animi bonum est huiusmodi respectu bonorum corporis,& externorum: ergo in bono animi magis consistit ipsa felicitas. Patet ratio, quia bonum animi habet rationem finis,bona corporis,& externa rationem eorum, quæ sunt ad finem. Concludit igitur philosophus,quod in virtutibus,& operationibus earum consistit felicitas, Deum testem inuocans,quem dicit beatum esse simpliciter,& secundum naturam suam,& per se ipsum, & non per aliquod externum. Nos,qui vt effectus nostræ causæ assimilari cupimus,à qua producti sumus, existimare debemus,nostram felicitatem humanam positam esse in bonis internis,non in bonis corporis,aut externis,quorum ait philosophus dominam esse fortunam,& casum. Nemo autem est studiosus per fortunam,vel à fortuna;

dicit philosophus,neq; etiam felix,vt ostendit in primo Ethicorum,sumendo fortunam,vt ipse accipit: sed est, vel fit talis per operationem virtutis. Concluditur ex dictis,in bonis animi positã esse felicitatem humanam.

Consequens verò est,& ijsdem rationibus consentaneum ciuitatem quoq; beatam esse,quæ optima sit,& quæ bene agat: impossibile autẽ bene agere eos, qui bona non agant: nulla verò bona actio est,neq; viri,neq; ciuitatis, sine uirtute,atq; prudentia. Fortitudo autem & iustitia, & prudentia ciuitatis, eandem habent uim, ac formam, ijs secundum quarum participationem unusquisq; hominum dicitur iustus,& prudens, & temperatus: sed hæc hactenus procœmij loco præmissa sint: neq; enim non attingere illa possibile fuit,neq; omnino omnes eorum proprias rationes explicare,nam alterius ocij ista sunt. Nunc autem supponatur nobis, quod vita optima,& priuatim vnicuiq;, & publice ciuitati,est cum uirtute, in tantum externis facultatibus adiuta,vt actiones studiosas efficere possit: sed de his,nunc quidem prætermissis dubitationibus,postea considerandum erit,si quis forsan dictis non acquiescet.

Hæc est quarta pars huius capituli, in qua philosophus ostendit felicitatem ciuitatis consistere in bene agendo,recteq; operando. probatur hoc pacto,in quibus consistit felicitas vnius, consistit etiam felicitas ciuitatis: sed felicitas vnius consistit in operatione secundum virtutem: ergo in eadem consistit felicitas maior ciuitatis.patet ex dictis philosophi in primo Ethicorum,& in sequenti capitulo magis patebit.minor non indiget probatione,cum paulo ante declaratum sit, felicitatem hominis consistere in bonis animi,& in operatione secundum virtutem: ergo & ciuitas eodem modo se habeat oportet,idest,vt felicitas eius consistat in operatione secũdum virtutem. Deinde dicit,quòd hæc præmissa sunt, quasi vt sequentia melius intelligantur.

Vtrum autem eadem sit dicenda felicitas singulorum hominum,& ciuitatis,uel non eadem,reliquum est uidere. Manifestum uero & hoc: omnes enim faterentur esse eandem: nam quicunque in diuitijs beatam uitam ut in re una posuerint,hi ciuitatem quoq; totam,si opulenta sit, beatam esse fatebuntur. & quicunque tyrannicam

rannicam uitam alijs præferunt, hi ciuitatem latè dominātem, beatißimam esse dicent. Siue quis id unum per uirtutem recipit, & is ciuitatem beatiorem dicet, si sit studiosior.

Hoc est secundum capitulum huius primi tractatus, in quo philosophus, postea quam declarauit, in quo consistit optima vita, & omnino felicitas hominis, & ciuitatis, nunc primum inquirit, vtrum eadē sit felicitas vniuscuiusq; priuatim, & ciuitatis: atq; hanc quæstionem soluit. deinde mouet duas quæstiones, & arguit hinc inde circa ipsas. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes, quæ declarabuntur. In prima igitur parte philosophus mouet dubitationem circa conclusionem nuper allatam, vt si quis dictis non acquiescat, apertius ipsam intelligat. Ea verò est, vtrum eadem sit felicitas vniuscuiusque, & ciuitatis, & statim soluit, ac dicit esse eandem. Et ad hoc declarandum affert cōmunem opinionem hominum, quorum alij si felicitatem ponunt in diuitijs, vt diuitem felicem appellent, sic etiam appellant felicem ciuitatem, si fuerit opulenta. alij verò, si in potestate tyrannica constitutum existimant esse felicem, ita etiam ciuitatem. Si hominem studiosum, ita studiosam ciuitatem dicunt esse felicem. quare cum ita loquantur de felicitate ciuitatis, vt de felicitate singulorum, hoc est signum, quod eadem est felicitas vniuscuiusq; seorsum, & totius ciuitatis. Notandum, q̃ quando philosophus dicit, eandem esse felicitatem vnius, & ciuitatis, intelligit de identitate specifica, & nō indiuidua: Est enim eadem specie, sed non eadem numero. Hoc idem tangit philosophus in procemio Ethicorum, vbi dicit, summum bonum idem esse vni & ciuitati, licet ciuitatis summum bonum maiorem habeat amplitudinem, & longius, ac latius se se extēdat. nam sicut virtus vnius, & ciuitatis est eadem specie, ita etiam felicitas, quæ à virtute prouenit: quod si esset eadem numero, tunc sequeretur, quòd felicitas vnius esset felicitas alterius, & migraret de subiecto in subiectum, & non esset propria illius: at esse oportet: nam vt hominem album dicimus per albedinem,

nem, quæ est in eo, sic felicem dicimus per felicitatem, quæ in eo est, & non per eam, quę est in altero. quare nõ eadem numero dicitur, sed eadem specie felicitas singulorum ciuium, & illa totius aggregati.

Sed hæc iam duo sunt, quæ indigent consideratione, vnum, nunquid vita illa præferenda sit: quæ versetur in republica, et in communi societate, an potius vita peregrina, & à ciuili societate remota? Præterea, quam speciem reipublicæ, & quam dispositionem ciuitatis optimam, putare debeamus: siue ab omnibus expetenda sit communio ciuitatis, siue à quibusdam non, sed tamen à pluribus. Cum vero ciuilis intelligentiæ, & speculationis, hoc sit opus (non autem quid circa vnumquęque expetendum) præferamus nunc, & nos hanc considerationem, nam hoc quidem extra propositum esset: illud verò secundum propositum huius institutionis.

Hæc est secunda pars huius capituli, in qua philosophus affert duas quæstiones, quæ dignæ videntur consideratione pro notitia eorum, quæ dicta sunt, & quæ inferius dicentur. Prima quæstio est, cum duæ sint vitæ actiua scilicet, & contemplatiua, quam peregrinam, idest solitariam vocant, quænam istarum sit principalior, & magis expetenda, & omnino præferenda. Altera quæstio est, quænam sit optima institutio, & dispositio ciuitatis, dato quòd omnes, vel plures appetant societatem ciuilem. *Cum uerò ciuilis*. i. cum vero ciuilis speculationis hoc sit opus, sed non circa id, quod est expetẽdũ ab vnoquoque, ideo hanc considerationem pręcipue aggrediamur.

At verò quod necessarium sit illam esse optimam rempub. per cuius institutionem vnusquisq; optimè agat, & beate viuat: manifestum est. Sed dubitabatur etiam ab ijs, qui vitam cum virtute maxime eligendam putant, utrum uita ciuilis, & actiua sit præferenda, an potius illa uita, quæ sit ab omnibus externis soluta, ceu contemplatiua quadam, quam solam putant quidam esse sapientis, fere enim has duas uitas præstantissimi ad uirtutem homines, anteponere uidentur, et antiqui, et recentes. Dico autem duas, ciuilẽ scilicet, et philosophicã. Sed refert non parum, utrũ hoc aut illo modo ueritas se habet. necesse est. n. illũ qui rectè sapit, ad melius propositũ disponere: et priuatim unumquẽq; hominem, & publice ciuitatem.

Vt

Vt ordine procedat philosophus, ante omnia dicit, & quasi supponit illam ciuitatem esse felicé, per cuius institutionem vnusquisque bene se habet, & feliciter viuit. Sed oritur dubitatio apud illos, qui vitam optimam cũ virtute coniungunt, & duplicem virtutem esse intelligunt, et ex consequenti duplicem vitam, quænam istarum sit præferenda. Has enim duas vitas præstantissimi viri cęteris anteponunt, quarum aliam ciuilem, & actiuam, aliam contemplatiuam esse dicunt. Nec parum refert scire, quęnam istarum sit potior, & magis eligenda: Oportet enim sapientem, & recte intelligentem, priuatim se ipsum, et vnumquenque, & publice ciuitatem ad meliorem vitam dirigere. Hoc autem facere non potest, nisi sciatur. Videndum est igitur quomodo circa hanc materiam se habeat veritas, ut ad potiorem dirigatur intentio.

Putant autem quidam, in gubernandis proximis, si cum dominatu fiat, iniuriam esse summam: si ciuiliter, cessare quidem iniuriam, sed impediri uitæ tranquillitatem.

Affert circa dictam quæstionem philosophus opiniones diuersas, & primo sententiam eorum, qui felicitatem in vita contemplatiua magisque in actiua, & ciuili collocandam putant. Dicunt enim, quod vita actiua, & ciuilis versatur circa gubernationem reipublicæ: sed talis gubernatio, aut est cum dominatu, idest cum herili potestate, respectu cuius subditi tractantur, vt serui, et tunc fit cum iniuria, atque ex eo felicitas ibi esse non potest: aut est ciuilis, & tunc cum sit negotiosa impedit quieté, & tranquillitatem uitæ, in qua maxime sapientes felicitatem positam esse uoluerunt. At in contemplatiua, uita ducenda non eueniunt hæc, ergo in contemplatiua potius, quàm in actiua, & ciuili consistit felicitas.

Alij uerò contra hæc, omnino putant ciuilem & actiuam uitã, solam esse uiri, in singulis enim uirtutibus, nulli eorum qui priuatam ducunt uitam, esse maiorem facultatem operandi, quàm ijs qui in reipublicæ gubernatione uersantur. sic igitur hi existimant.

Affert ex opposito sententiam eorum, qui dicunt felicitatem

licitatem humanam positam esse in vita actiua, atque ciuili. Ea vita, inquiunt, est potior, atque felicior, in qua plures operationes produci possunt secundum vnamquanq; virtutem, quàm ea in qua non est similis producendi facultas: Sed vita actiua, atque ciuilis est huiusmodi respectu vitæ contemplatiuæ: ergo humana felicitas magis in agendo, quàm in contemplando consistit, & sic habemus oppositas sententias.

Sunt etiam qui aliis dominari, tyrannicum reipublicæ modum, putent solum esse beatum: & in quibusdam ciuitatibus hic est finis legum, vt finitimis dominentur. ita cum pleraque constituta passim (vt ita dixerim) iaceant apud plurimos, tamen si quid vnum leges respiciunt, id coniectant omnes, vt ciuitas dominetur. Sicut in Lacedæmone & Creta, ad bellum ferè ordinata est disciplina iuuentutis, & legũ multitudo. Præterea apud gẽtes omnes, quæ possunt præualere, huiusmodi honoratur potentia. ceu apud Scythas, & Persas, & Thraces, & Gallos. Quibusdam enim leges sunt ad huiusmodi prouocantes virtutem, vt apud Carthaginenses, ferunt ornatum annulorum accipere. pro numero expeditionum, in quibus militauerint. Fuit etiam quandoque in Lacedæmonia lex, eum qui nullum hostem interfecisset, capistro cingi. Apud Scythas verò, non licebat solemnibus epulis pateram circum latã accipere, ei qui nullum occidisset hostem. Apud Hiberos quoq; pugnacem gentem tot obeliscos erigere circa sepulchrum mos est, quot homines ex numero hostium necauerit. Et alia apud alios sunt huiusmodi complura legibus, aut consuetudinibus constituta.

Affert aliam sententiam philosophus, quæ videtur esse vulgi, & hominum qui magis appetitum, quàm rationem sequuntur. Sunt autem expositores, qui hac in parte philosophum arguere volunt ad secundam quæstionem superius allatam. Quicquid sit, ij de quibus est sermo, qui in dominando aliis felicitatem ponunt, existimantes tyrannicam quandam potestatem esse optimum reipublicæ statum, pro sua opinione arguunt hoc pacto, ille videtur optimus reipublicæ modus, quem plerique latores legum inducunt, sed quàm pluribus dominari est huiusmo-

di: Ergo quàm pluribus dominari erit, sententia isto rũ, optimus reipublicæ modus, & finis vltimus ciuitatis, & per cõsequens ipsa felicitas. Quòd autem legum latores hoc inducant, ut ciuitates, quas legibus instituunt, sint potentes, & late dominentur, ostendit philosophus exẽplo Lacedæmoniorum, atque Cretensium, item Persarum, Scytharum, Thracum & aliorum, vt patet in textu. *passim*, idest confuse.

At qui videretur forsan nimis absurdum esse, si quis considerare velit, an hoc officium esse debeat eius, qui legibus instituit ciuitatem prouidere. scilicet, vt illa dominetur finitimis, & uolentibus, et inuitis. Quomodo.n.id ciuile, aut lege sanciendum, quod ne legitimum quidem est? neq;.n. legitimum nõ solum iuste, uerumetiam iniuste dominari: imperare vero est, & non iustè.

Philosophus attulit tres opiniones, quarum duæ sequuntur virtutem, vel operationem secundum eam: tertia uerò ponit dominatum eẽ felicitatem, uel optimum modum, & finem vltimum reipublicæ. Hanc tertiam, siue postremam opinionem refellit nunc pluribus rationibus. Prima ratio est huiusmodi, nulla felicitas, uel nullus optimus reipublicæ modus consistit in eo, quod non est legitimum, nec proprie ad legis latorem pertinens: sed dominari finitimis tam volentibus, quàm inuitis, non est legitimum, nec proprie ad legis latorem pertinens, ergo in eo non consistit felicitas. Patet ratio, quia dominari finitimis volentibus, uel inuitis videtur esse à vera intentione legum alienum: quod si aliqui legum latores inducunt ciuitates per suas institutiones ad hoc consequendum, faciunt id, quod non est ęquum, nec per consequens, iustis legibus consentaneum.

At qui nec in alijs scientiis id uidemus: neque enim medici, neque gubernatoris officium est, vel persuadere ægrotis, et nautis, uel uim afferre: sed videntur plerique existimare, ciuilem disciplinam esse dominari: & quod in seipsos fieri nollent, dicerentque neque iustum esse, neque decens, hoc in alio, facere non erubescunt. ipsi pro se iustitiam quærunt, pro alijs uero nulla eis iustitiæ cura est.

Alia

Alia ratio est hoc pacto: sicut est in alijs artibus, & facultatibus, ita in arte, & facultate ciuili: sed in alijs sic est, vt neque medicus persuadeat ægroto, idest non medeatur ægroto suasionibus, nec etiam cogat eum recuperare sanitatem, sed curet ipsum, vt nitatur remouere impedimenta sanitatis. Gubernator quoque ipsius nauis facit officium suum: eodem modo ciuilis disciplina, & facultas condendi leges, non debet inducere vim late dominantem: quare talem modum reipublicæ introducentes à recta disciplina, ciuiliq́ue discedunt.

Hoc autem absurdum, nisi tales sint natura, vt alter dominari debeat, alter non. quod si est ita, non esse conandum omnibus dominari, sed illis duntaxat, qui ut illis dominetur nati sunt: sicut nec uenari homines ad usum cibi, uel sacrificium, sed id quod uenabile est. est autem uenabile omne animal, quod sit natura ferum, & esui aptum.

Alia ratio est talis, in eo non consistit felicitas ciuitatis, nec optimus reipublicę modus, quod est præter naturam, vel contra naturam: sed dominari quibuscunque herili dominatione, est huiusmodi, & quodammodo violentum: ergo in eo non consistit felicitas. Quare, si ita est, non decet legum latores inducere ciuitatem, vt cunctis dominetur, sed illis, qui sunt natura serui, naturaq; dominabiles. Nã sicut fit in venatione, ita fieri debet in dominando, sed in venatione non uenamur quodcunq; animal, sed illud, quod est aptum esui, ita etiam in dominando debemus illis tantum imperare, qui sunt natura serui. Tales autem dixit antea esse barbaros.

Enimuero fieri potest, vt sit ciuitas una seorsum, per seipsam beata, uidelicet si gubernetur recte: nam potest esse sita in loco penitus separato, et legibus vti laudabilibus, cuius reipublicæ constitutio non ad bellum neq; ad superandos hostes sit, quandoquidem illi nihil inexistit tale.

Alia ratio est, in illo non consistit felicitas, nec optimus reipublicæ modus, sine quo ciuitas potest esse felix. Sed sine subiectione aliarum ciuitatum, idest absq; do-

minando alijs poteſt ciuitas eſſe felix, ergo in eo, ideſt in dominando alijs, non conſiſtit felicitas ciuitatis. Patet ratio, quia fieri poteſt, vt ſit vna ciuitas remota à ceteris non habens finitimos, quos ſubigere poſſit: tamen poteſt eſſe felix, ſi recte gubernetur. Ergo in dominando, & ſubigendo alios non conſiſtit felicitas, ut illi volunt.

Patet igitur quod omnia rei bellicæ ſtudia, bona ſunt exiſtimanda, ſed non vt finis ſupremus, ſed gratia illius. Studioſi autem legum poſitoris eſt, conſiderare vrbem, ac naturam hominum, & omnem aliam communicationem vitæ laudabilis: quo participent (quantum fieri poteſt) felicitatem: differentia tamen erit in quibuſdam legum inſtitutis conſtituendis: & hoc pertinet ad eam diſciplinam, quæ eſt de legibus ferendis: uidere, ſi qui ſunt finitimi populi, qualia ad quales exercenda ſint, et quemadmodum cum ſingulis conuerſandum. verum de hoc poſtea ſuo loco conſiderationem faciemus: ad quem finem debeat optima reipublicæ conſtitutio tendere.

Hæc eſt alia ratio, vel concluſio ſententiæ ſuæ hoc pacto: felicitas eſt vltimus finis, bella gerere non eſt vltimus finis, ergo nec felicitas. dicit enim, quod res bellicæ, quibus plerunque abutuntur homines, ſunt bonæ, & eligibiles non ſimpliciter, nec per ſe, ſed pro repellenda iniuria contra vim afferre volentes, & ſunt alterius gratia, ideſt gratia pacis, & vlterius felicitatis, nec exerceri, aut ſuſcipi debent pro acquirendo imperio, aut finitimis ſubigendis, ſed neceſſitate cogente pro ſe defendendo, & iniuria propulſanda, vt diximus. Vnde eſt illud Ciceronis, ſuſcipiuntur, inquit, bella, vt ſine iniuria in pace viuatur, ergo ſunt gratia alterius. Nemo enim eligit, vel eligere debet bellum bellandi gratia, neque parandi illa, quæ ad bellum pertinent: eſſet enim nimium inhumanus, & ſanguinolentus, & reliqua, quæ in decimo Ethicorum dicit philoſophus. Eſt ergo bellum cauſa pacis, pax autem felicitatis eſt gratia: ergo non eſt bellica res finis vltimus, nec per conſequens, felicitas: quare legum latores non debent pro

uocare homines ad bellandum,vt alijs dominentur, sed considerare conditiones hominum,& locorum,vt inducant optimam vitam,& dispositionem simpliciter,vel illis optimam,vt postea loco suo considerabit, vel declarabit philosophus.

Ad consistentes autem vitam cum virtute esse maxime recipiendam, & contendentes de illius vsu, dicendum est nobis ad vtrosque. sunt enim qui despiciant magistratus ciuitatis, putantes ingenui hominis esse aliam vitam, quàm ciuilis hominis, & omnibus præferendam: alij verò hanc optimam putant: impossibile enim, nihil agentem bene agere: bene autem agere, ac felicem esse, idem est. vtrique eorum quædam dicunt recte, & quædam non: nam liberi quidem hominis vitam meliorem esse,quàm in dominando occupati,verum est: nihil.n.egregium est, seruo vti, in quantum seruus: iussus.n.domini in rebus necessarijs, nihil habet decorum: at putare omnem gubernationem esse dominationem, minime est rectum: non enim minus distat liberorum dominatio à dominatione seruorum,quàm differat natura liber,à natura seruo,de quo sufficienter in superioribus libris determinatum fuit. Sed laudare magis,nihil agere,quàm agere,nequaquam uerum est:nam felicitas est actio. præterea multorum & præclarorum finem habent,iustorum temperatorumq; actiones.

Hac in parte philosophus venit ad declarationem, siue solutionem primæ quæstionis, ex qua sequitur declaratio, solutioque secundæ. Nam si patebit, quæ sit vita optima, statim patebit, qui sit optimus modus, & ordo reipublicæ. De optima enim republica quærere volenti necessarium est,vt inquit philosophus, prius determinare,quæ sit vita maxime expetenda. Verum cum duæ opiniones prope contrariæ,seu diuersæ fuerint, vt supra ostensum est de optima viuendi ratione, differit philosophus circa illas, vt ex tali discussione, solutio magis aperiatur. Nam etsi vtrique ex illis vitam felicem cum virtute coniungant,tamen alij actiuā, alij contemplatiuam anteponendam censent. qui igitur primas partes contemplatiuæ deferunt,eam liberi hominis vitam,non aūt negotiosam,& ciuilem esse dicunt. Qui ver

ſa vice actiuę tuentūr partes,poſthabendam contempla tiuam aiunt,quia ſit in quadam ceſſatione,& operis vacatione conſtituta: Eum autem, qui nihil agat,felicem eſſe non poſſe,cum dictum ſit felicitatem eſſe operationem. Sed vtrique eorum, inquit philoſophus, in quibuſdam rectè dicunt,in quibuſdam non recte. Nam qui contemplationem ſequuntur,exiſtimantes liberi hominis vitam eſſe potiorem, quàm dominantis, vel in herili dominatione verſantis,rectè dicunt. Nihil.n.egregiū habet talis dominatio herilis, nec iuſſus domini in rebus neceſſarijs quicquam habet . . . . . Verum ex altera parte non rectè opinantur quemcunque principatum eſſe dominationem herilem, ideſt principatum domini ad ſeruum. Eſt enim quidam principatus ſeruorum,quidam liberorum, & iſti non minus differunt inter ſe,quàm natura liberi, & natura ſerui, dicit philoſophus. Differunt nanque principatus ſecundum differentiam eorum,qui ſubijciuntur, vel gubernantur. Alius eſt enim principatus domini,vel heri ad ſeruum, & alius gubernatoris reſpectu liberorum, qui gubernantur,& ſemper melius imperium meliorum parentiū eſt. Quare illi non rectè exiſtimant quemcunque principatum eſſe dominationem herilem, ideſt domini principatum reſpectu ſeruorum, vt de hoc, alijſque eiuſdem generis in primo huius latiſſime eſt locutus philoſophus. Præterea non rectè etiam dicunt, contemplatiui laudabiliorem vitam eſſe ſine actione, quàm cum actione. nam felicitas actio quædam eſt. Videmus inſuper, ꝙ actiones ſecundum iuſtitiam, vel temperantiam, vel alias virtutes, complectuntur multorum bonorum finem: ergo vita ſine actione non eſt laudanda. Ex his igitur, quæ rectè, & quæ non rectè dicunt contemplatiua percipitur, & ex oppoſito, in quo rectè, & in quo non rectè dicunt, actiua. *In dominando occupati*, ideſt hominis viuentis, vel dominantis ſecundum herilem dominationem. *Omnem gubernationem*, ideſt omnem principatum eſſe dominationem,ſcilicet herilem.

Quin-

Quinimmò arbitrabitur fortaſſe aliquis, his hoc pacto determinatis, quod omnium dominandi poteſtatem habere optimum ſit: ſic enim plurimas, ac pulcherrimas res agere poſsit. Itaque is qui dominus agendi eſſe poteſt, hanc facultatem dimittere alijs nō debet, ſed potius arripere: & neque filium patris, neque parentem filij, neque amicum amici rationē habere, neq; hac in parte curare, nam quod optimum ſit, id nobis ipſis aſciſcere debemus. optimum autem eſt bene agere.

Affert obiectionem, quæ ex nuper dictis oriri poſſet. Dicit enim quod forſitan putabit quis, ex his hoc modo determinatis, quod dominum eſſe, optimum eſt omniū. nam ſi felicitas actio eſt, & in agendo conſiſtit, vt tu apertiſſime confiteris, & dominans habet facultatem agendi, & multas præclaras actiones producendi, ergo dominatio, vt res optima expetenda eſt, nulla ratione habita ad parentes, & filios, & quoſcunque ſibi chariſſimos, quia id, quod eſt optimum, debemus nobis comparare, amatores enim ſui ipſius in bonis externis, non autem in bonis animi, ſunt vituperandi dicit philoſophus in libro Ethicorum. At bonæ actiones ſnnt animi bona, & bene agere optimum eſt: Ergo à nobis eſt eligendum. Hoc autem conſequi poſſumus dominando, dicere poſſent illi, qui uellent obijcere dictis philoſophi. ergo &c.

Hoc illi forſan recte dicerent, ſi modo exiſteret auferentibus, atq; vim afferentibus quod eſſet omnium maxime expetendum: ſed fortaſſe id illis ineſſe non poteſt, falſoq; ſupponunt. Non.n.amplius bonas actiones illas eſſe contingit, niſi tantum ipſæ præſtent, quantum vir mulieri, & pater filijs, & dominus ſeruo. Quare is qui violaret, nil tantum proficeret poſtea, quantum iam à virtute ipſa receſsit. ſimilibus enim honeſtum, & iuſtum in parte, hoc enim iuſtum, ac par, non par autem paribus, & non ſimile ſimilibus, præter naturam eſt, nihil autem honeſtum quod ſit præter naturam. Quapropter, etſi alius quidem ſit melior ſecundum virtutem, & ſecundum potentiam actiuam in rebus optimis, hunc ſequi honeſtum eſt, & huic parere iuſtum: ſed oportet illi non virtutem ſolum, verumetiam potentiam exiſtere, per quam ſit actiuus.

Hanc obiectionem refellit philosophus, & ostendit, quòd illi forsitan vere dicerent, si auferentibus ab alijs, & sibi vendicantibus dominationem, sequeretur id, quod aiunt optimum, atque ex eo eueniret, vt bonas, & præclaras actiones producerent: sed hoc est absurdum. Itaque id falso supponunt, quia actiones talis dominantis non euenit esse bonas, atque præclaras, nisi tantum virtute, & reuerentia præstet ijs, quibus dominatur, quantum pater filio, & uir mulieri, & dominus seruo. Secus enim se habens, & æquum transgrediens, vt omnino dominetur, non poterit tantum boni operari post dominatum adeptum, quantum in eo consequendo admisit mali. Talis nanque iniuria ab initio præcessit, vt non possit ille postea tantum prodesse, quantum antea obfuit. Iustum est enim, atque honestum, vt pares inter se mutuo gubernent, & modo iubeant, modo obediant, idest vt æquales æqualia habeant. Non tribuere autem æquales ijs, qui sunt pares, nec simile similibus, hoc prę̨ter naturam esse videtur, & quodammodo violentum. Quod si quis reperiatur longe virtutibus præstans, aliosque excedens, vt de rege dictum est antea in superioribus libris, huic parere non est præter naturam, sed iustum, atque honestum, dicit philosophus, cum ordine naturæ in vnoquoque genere perfectiori, cedere debeat imperfectius, & ei obtemperare. Simpliciter itaque dicere, quod dominari est optimum, hoc non videtur esse verum, & in hoc non recte dicunt, cum sępe contingat, vt id violentia, atque iniuria fiat. Sed hominem excellentissimum virtute dominari imperfectioribus, & ijs, qui sunt dominabiles, non videtur esse præter naturam, huius philosophi sententia. Quin potius id maxime principatu est dignum, nec solum virtutem eum habere oportet, sed etiam agendi potentiam, per quam egregias, & optimas operationes producere valeat.

Quod si hæc vera sunt, & felicitas in bene agendo est reponenda, & publicæ totius ciuitatis, & priuatim singulorum vita, illa erit

erit optima, quæ ſit actiua. verumtamen actiuam non eſt neceſſarium eſſe ad alios, quemadmodum quidam putant, neque eas meditationes ſolum eſſe actiuas, quæ gratia eorum fiunt, quæ ex agendo proueniunt, ſed multò magis, quæ in ſeipſis perfectæ ſunt, & ſui ipſarum gratia fiunt, contemplationes, & meditationes. bene enim agere, finis eſt, quare & actio quædam: maximè autem proprie dicimus agere etiam in externis actionibus, eos qui intelligentia & cogitatione præſunt, vt architecti. quinimò nec ſine actione eſſe neceſſarium eſt eas ciuitates, quæ poſitæ ſint in ſolitudine, & ita viuere eligentes: fieri enim poteſt, ut partibus inter ſe agere contingat: multæ enim communicationes adinuicem ſunt partibus ciuitatis. Similiter autem hoc exiſtit unicuique hominum: vix enim Deus bene ſe haberet, & mundus totus, quibus non ſunt actiones externæ, præter proprias ipſorum. Quod igitur neceſſarium ſit eſſe vitam optimam priuatim vni cuique hominum, & publicè ciuitatibus, & hominibus, manifeſtum eſt.

Hac in parte philoſophus concludit ſententiam ſuã, & ſolutionem quæſtionis allatæ, quæ fuit prima in ordine, ex qua etiam ſequitur ſolutio ſecundæ, vt antea diximus. Oſtendit igitur, quod felicitas conſiſtit in actione: ſed actionem ponit eſſe duplicem, videlicet actionem ad alios, & actionem finem in ſe habentem, ideſt contemplationem, & in hac vult poſitam eſſe ſupremam felicitatem hominis, & ciuitatis. Appellat autem philoſophus contemplationem actionem reſpectu ceſſationis, quaſi dicat contemplatio non eſt ceſſatio, nec vacatio ab operatione, vt illi volunt, ſed actio quædam, non ſe extendens ad alios, nec gratia eorum, quæ ex agendo proueniunt, ſed immanens, & in ſe finem habens. Quaſi ſumatur actio, vt prædicari poteſt de actione ad alios, & de contemplatione immanenti, quæ dicitur actio ex eo, quia eſt operatio, & non ceſſatio operationis. Dicit igitur philoſophus, ſi hæc vera ſunt, quod nec in dominatu, ut illi volunt, nec in ceſſatione, ſed in bene agendo, conſiſtat felicitas, procul dubio

optima

optima uita hominis,& ciuitatis erit actiua,& in operatione constituta. Sed cum dicimus actiuam,non intelligimus necessario esse ad alios, nec solum meditationes intellectiuas, quæ gratia fiunt rerum agendarum, & quæ de agibilibus sunt,dicimus esse actiuas,sed etiam,& multo magis meditationes, & contemplationes immanétes, & finem in se ipsis habentes, quæ perfectiores sunt,& gratia sui quęruntur, & non ob aliquid aliud vlterius: nam optimus finis hominis, & ciuitatis est bona actio. Cum autem bonæ actiones sunt diuersæ specie, illa dicetur optima,atque suprema, qua maxime operamur. Maximè autem operari dicimur cum maxime viuimus secũdum intellectum, & virtutem intellectiuam, speculatiuam,& omnino ipsam sapientiam. Quinetiam videmus, quod in operationibus externis illi quoq; magis agere dicuntur, qui maxime intelligentia uigent, & meditatione operibus præsunt, vt architecti magis agerè dicuntur,quàm operarij,qui eis obediunt. eodem pacto contemplatiua quanto magis agitant mente præclaras meditationes, tanto magis agere dicentur,& per consequens,magis esse felices.quare non sequitur non agunt ad alios,ergo non agunt,nec operantur. Vnde si ciuitas sit constituta in solitudine non dicetur viuere sine actione, quamuis non gubernet alias ciuitates: habet enim plures partes in se ipsa, circa quas versari potest disponendo,& communicando inuicem,quæ oportet, & sic actio ciuitatis erit in se ipsa, & in partibus suis, non egrediens ad alios externos. eodem pacto homo producere potest operationes immanentes, vt sunt contemplationes, & meditationes, quæ sui ipsius gratia fiunt. Deus autem, qui est perfectissimus, & perpetuo se ipsum intelligit,& contemplatur,non habet operationem extrinsecam,quæ sit alia,vt ab operatione sua,dicit sanctus Thomas.præterea operationes,quę fiunt in mundo, tales esse videntur, vt secundum communicationem suarum partium sint, & non extendantur ad extra. Notandum,

dum, quòd philoſophus in libro ethicorum ponit duplicem felicitatem humanam, videlicet actiuam, & contemplatiuam, atque oſtendit multis rationibus, contemplatiuam eſſe ſupremam, eamque competere homini uiuenti ſecundum virtutem mentis ſpeculatiuæ, ideſt ſecundum ſapientiam, & comparat eam cum actiua, quæ eſt operatio ſecundum prudentiam, & virtutem moralem, & multis argumentis oſtendit, vt diximus contemplatiuam eſſe anteponendam, non quod actiua non ſit felicitas in genere ſuo, ſed comparata cum illa, ſit longe inferior. Nec ſolum cedit operatio operationi, ſed etiam virtus virtuti. Vnde philoſophus in ſexto ethicorum cum loquitur de prudentia, & ſapientia, dixit, quod prudentia iubet illius gratia, ſed non illi. Verum hæc ſunt à nobis in expoſitione ethicorum latius explicata. Patet igitur, quod philoſophus concludit, contemplatiuam, viuendi rationem ſupremam eſſe felicitatem, atque eam eſſe vitam optimam priuatim unicuique, & ipſi ciuitati. cui opinioni quo quo modo conſentanea eſſe videtur ſententia illa Platonis, cum inquit: Beatas fore reſpublicas, cum ſapientes eas regerent, aut qui regerentur, ſapere cepiſſent. Dicit autem philoſophus, eandem eſſe optimam vitam, & felicitatem vnicuiq;, & ciuitati: quod intelligendum eſt, eandem ſecundum ſpeciem, diuerſam tamen numero, & quibuſdam conditionibus, quibus ſit, vt licet vtrunque ſit ſummum bonum, tamen magis amplum, & latũ eſt ciuitatis, quã vnius: ſicut ſit de lumine, quod & ſi idem ſit ſpecie in modico perſpicuo, atque in multo, tamen latius eſt in multo, atque communius. Cęterum cum philoſophus velit, ſupremam, & vltimam felicitatem humanam eſſe contemplationem ſecundum ſapientiam, & dicat eandem eſſe priuatim vnicuique, & publicæ ciuitati, quomodo tribuemus ciuitati talé contemplationem? Dicemus, quod multæ communicationes inuicem ſunt partibus ciuitatis, & in ſe ipſa, vt nuper dictum fuit, vel vt altius repetamus: Dicere poſſumus, quod vltimus finis ciuitatis non eſt dominari finitimis,

nitimis,nec suis operationibus se ad externos conuertere : sed bene,recteque suam rempublicam gerere : & demum in tranquillitate quadam collocare,in qua sita esse videtur optima,& felicissima viuēdi ratio, & ad quam ordinari videntur operationes etiam negotiosæ,tanquā ad vltimum finem. Non enim quiescimus in actiuis operationibus,cū proponitur nobis vlterius animi illa tranquillitas , & contemplandi ratio , quam demum expetimus,tanquā vltimum finem humanū, atque in eo quiescimus,quantum humana conditio patitur . Nec sumenda est illa tranquillitas otium sine operatione,quod est cessatio quædam,sed sumitur operatio tranquilla,& meditatio animi quieti,ac bene constituti.Nō enim sequitur si non agit ad alios,& non versatur in ea vita, quæ communiter actiua dicitur, ergo non operatur. nam operatio,vt philosophus inquit.vij.ethicorum,non solum motionis est,sed & immobilitatis,& voluptas,quæ consequitur talem operationem in quiete,potius quàm in motione consistit. Quare in quadam tranquillitate, vt ita loquar, operante, & contemplante consistet suprema felicitas cuiusque,& ciuitatis. Nam si sapientia, & secundū eam contemplatio huic,vel illi,& omnino singulis ciuibus competere potest, etiam aggregato ex illis competere posse videtur. Sequitur enim ad singulos esse,& omnes esse,vt inquit philosophus,est autē ciuitas quoddam totum ex ciuibus constans , ciues vero sunt partes. Atqui studiosam esse ciuitatem, atque felicem, nihil aliud est,quā ciues illos, qui in republica versantur, esse studiosos , atque felices . Dicere etiam possumus , quòd cuiusque ciuitatis,conditio,& qualitas maxime attenditur penes illud, quod est principale in ea : hoc autem est regens , seu dominans in ciuitate, siue sit vnus, siue plures, veluti si sumatur regnum, & rex sit virtute præstantissimus , vt præsupponitur à philosopho , tunc ex optimo regimine,& omnino felicitate illius dici poterit respublica felix. eadem ratio videbitur de optimatum gubernatione,& quacunque republica recta in genere suo.

Sic

Sic igitur habemus quod suprema felicitas, & vita optima est contemplatiua,seu speculatiua,atque eadem priuatim cuique hominum,& publicæ ciuitati.

Cum uerò ista nunc præmissa sint, ac de alijs rebuspublicis fuerit prius à nobis consideratum, de reliquis dicendi initium faciamus,quales aliquas suppositiones esse oportet, pro ea ciuitate, quæ maximè secundum votum sit constitutionem susceptura: neque enim fieri potest vt optima sit respublica,nisi commensurata sit abundantia. Ex quo necesse est multa præsupponere quasi optantes: esse tamen nullum eorum impoßibile, dico autem ceu de multitudine ciuium,ac de regione.Vt enim cæteris artificibus,puta textori,et nauiculario,materiam subesse oportet aptam ad opificium (nã quanto melior hæc existit,tanto id quod fit ex arte præclarius) sic,et gubernatori reip. & legum positori, oportet propriam subesse materiam,apte se habentem. Est autem ciuilis facultatis primo videre de multitudine hominum,quãmultos,& quales natura esse oportet, de regione quoq; eodem modo,& quanta,& qualis esse debeat.

Hic est secundus tractatus huius libri, in quo philosophus posteaquã declarauit, quæ sunt præsupponenda ex parte finis ad constitutionem optimæ reipublicæ, nunc considerat ea, quæ sunt præsupponenda ex parte materiæ remotæ,vt est magnitudo ciuitatis, & regionis. Diuiditur autem hic tractatus in duo capitula: in primo determinat de magnitudine ciuitatis: in secundo de magnitudine regionis.

Primum capitulum diuiditur in tres partes, quæ suis locis declarabuntur. In prima igitur parte philosophus dicit,quod præsuppositis his,quæ pertinent ad constitutioné optimæ reip. uidelicet ex parte finis, & consideratione prius habita de alijs rebus publicis, veluti de paucorũ potẽtia, & populari,nunc tractandũ est de constitutione optimæ reip.quæ est prima in intentione,& dicédũ dè his,quæ ex parte materiæ remote sunt expetenda, & tñ non sunt impossibilia. Nã sicut fit in alijs artibus, ita oportet fieri in ciuili facultate, sed in alijs artibus necesse est subesse materiã aptã ad opus suum conficiendum, & ex meliore conficietur melius, atque præclarius,

rius, ſic & in ciuili facultate materiam quoque ſubeſſe oportet accommodatam, de qua eſt conſiderandum, & perquirendum. *Quales aliquas ſuppoſitiones*, videlicet quas, & quales materias adeſſe oportet, ideſt quantam, & qualem multitudinem, & quantã regionem, & qualẽ.

Putant plerique, magnam eſſe debere beatam ciuitatem. id etſi verum eſt, ignorare tamẽ videntur, qualis magna, & qualis parua dicenda ſit ciuitas: exiſtimant.n.magnam ex numero habitantium. Sed oportet non tantum ad numerum, ſed magis ad potentiam reſpicere: eſt enim ciuitatis opus quoddam: quare quæ maxime id efficere poteſt, hanc exiſtimandum eſt eſſe maximam ciuitatem, ceu Hippocratem, non hominem, ſed medicum quis diceret eſſe maiorem, quàm alium, qui magnitudine corporis eum excedat.

Hæc eſt ſecunda pars huius primi capituli, in qua philoſophus affert opinionem quorundam de magnitudine ciuitatis, & eam refellit tribus rationibus, prima ratio oſtendit quod magnitudo ciuitatis non debet attendi penes multitudinem habitantium, ſed penes potentiam, per quam poteſt perficere opus ſuum, quoniam eſt Ciuitatis aliquod opus, quod intẽdit perficere, ideſt ſufficientia bene viuendi, & omnino ipſa felicitas. Si igitur ſit eiuſmodi facultatis, vt poſſit bene perficere opus ſuum ad quod ordinatur, dicetur magna, vt exemplo Hippocratis oſtenditur, quem medicum maximum fuiſſe conſtat, ſumendo magnitudinem non ex menſura corporis, ſed ex uirtute artis ſufficientis opus ſuum perficere, quod intendit.

Quinimò ſi ex multitudine iudicandũ ſit, non ex quauis multitudine .i. exiſtimandũ: neceſſe eſt.n.forſan in ciuitatibus eſſe ſeruorum & inquilinorum, & hoſpitum grandem numerũ, ſed ex ijs qui ſunt pars ciuitatis, & ex quibus, vt proprijs partibus, ciuitas conſtat: horum enim præexcellens multitudo, ſignum eſt magnæ ciuitatis. ex qua verò ciuitate artifices quidem permulti exeunt, bellatores autem pauci, hanc impoſsibilè eſt eſſe magnam: non enim idem eſt, magna ciuitas, & populoſa.

Secunda eſt ratio, qua refellit eos in hoc; quod ſi aliquo modo, ſumenda eſſet magnitudo ciuitatis ex multitudi-

tudine,non oportebat sumere cuiuscunque generis multitudinem, sed ex iis hominibus, ex quibus ciuitas constat, tanquàm ex partibus componentibus ipsam per se. Quare si aliquo pacto magnitudo attendatur penes numerum,intelligi debet penes numerum eorum hominũ, qui sint proprie ciues,& per se concurrant ad componẽdam ciuitatem magnam,& non sint inquilini,& serui,& alij eiusdem generis, & quorum multitudo arguit ciuitatem populosam, & non magnam. Non enim idem est magna ciuitas, & populosa, vt inquit philosophus, nec copia talium hominum facit ciuitatem magnam, quamuis eam habitent, quia non dicuntur esse per se partes, sed copia ciuium, ex quibus proprie tanquam ex partibus constitutiuis constat ciuitas.

Quinetiam re, & affectu patet, quia difficile est, & forsan impossibile,vt quæ nimium populosa sit ciuitas, optime gubernetur. Earum certe quæ bene gubernari dicuntur,nullam videmus in populosam multitudinem esse diffusam. patet etiam ex rationum fide: nam lex ordinatio quædam est,& bonam legis positionem, necessarium est esse bonam ordinationem, at multitudo nimium magna, non potest recipere ordinationem. diuinæ enim potentiæ id opus esset, quæ & hoc totum continet, cum & bonum quidem multitudine,& magnitudine consueuit fieri. quapropter,& ciuitatem illam, cuius cum magnitudine dictus terminus existit, optimam necesse est esse.

Tertia ratio talis est, id quod impedit rectam gubernationem non facit magnitudinem ciuitatis, sed nimia, & populosa habitantium multitudo est huiusce modi, ergo nimia multitudo non facit magnitudinem ciuitatis. Patet hæc conclusio etiam ratione, quia ciuilis societas legibus continetur. At nimia, & superabundans multitudo non potest bene ordinari, nec legibus dirigi: indigeret enim diuina potentia, quæ hunc mundum continet, atque gubernat: humanis autem viribus difficile, vel forsitan impossibile est,vt bonis, & rectis institutionibus ordinetur, dicit philosophus. hoc potissimum requiritur. ergo nimia, & superabundans multitudo non

facit

facit ciuitatem esse magnam. Sed cum in multitudine, ac magnitudine bonum aliqua ratione fieri consueuerit, dicemus & nos, illã ciuitatem optime se habere, quæ definita est circunstantijs, & terminis supradictis, vt sit sufficiens ad opus suum perficiendum, & per se, ac proprie ciuibus constet, & multitudinem habeat tantam, vt bene legibus dirigi possit, ac regi.

Cæterum est quædam mensura magnitudinis ciuitatis, quemadmodum, & aliorum omnium, animalium, plantarum, instrumentorum: nam horum singula, nec parua nimium, neq; magnitudine excessiua, suam potentiam retinebunt: sed aut destituta erunt omnino à natura, vel male se habebunt, ceu nauis vnius palmæ non erit nauis penitus, neque duorum stadiorum: sed si processerit ad aliquam magnitudinem, quandoque propter paruitatem male faciet nauigationem, quandoque propter excessum. ita & ciuitas, si ex nimium paucis sit, non est per se sufficiens: sin ex nimium multis, sufficiens quidem in necessarijs erit, vt gens, sed non vt ciuitas. rempub. enim non facile est in illis constitui. nam quis dux esset tam excessiuæ multitudinis, aut quis præco non Stentorius?

Hęc est tertia pars huius capituli, in qua philosophus ostendit secundũ opinionem suam, quod magnitudo ciuitatis consistit in quadam mensura determinata, ita vt nec nimium excedat, neque deficiat. Nam sicut fit in rebus naturalibus, atque in ijs, quæ fiunt per artem, sic fit in constitutione ciuitatis, sed in illis ita fit, vt non excedant mensuram quandam, nec deficiant ab ea: ergo &c. Habent enim hæc cancellos suos, extra quos posita non videntur esse talia. Sed egredi à natura propriæ speciei videntur. Vnde philosophus in secundo de anima: At eorum, inquit, omnium, quæ natura constant, est terminus, & ratio tam magnitudinis, quàm augumenti. Similis est ratio in ijs, quæ per artem conficiuntur, vt exemplo nauis ostendit. Eodem modo de ciuitate est dicendum, quod habet determinatam magnitudinem, ac multitudinem habito respectu ad regionem, & locũ extra quam si egrediatur, aut excedendo, aut deficiendo, non videbitur amplius esse ciuitas, aut habere ratio-

nem ciuitatis: non enim oportet dare ciuitatem ſemper maiorem, aut minorem, ut quacunq; data alia detur maior, vel minor, ſed definitam. Exigua enim multitudo, non eſſet per ſe ſufficiens, excedens verò nimium, erit appellanda gens, & nõ erit proprie ciuitas, quia à nullo duce multum excedẽs multitudo bene gubernari poteſt, nec præco audiri, qui nõ ſit ſtentorius, ideſt maximæ vocis præco, & inuſitatæ. vt quidam hoc pacto exponentes ſtentorium fuiſſe tradunt.

Quo circa neceſſe eſt primam eſſe ciuitatem illam, quæ ex ea multitudine cõſtat, quæ multitudo prima per ſeipſam ſufficiẽs ſit ad bene viuendũ in ciuili ſocietate: contingit verò, vt ea quæ multitudinẽ hãc excedit, ſit maior ciuitas: ſed hoc nõ eſt (vt diximus) infinitum.

Determinat nũc philoſophus, atq; deſcribit modum, vel terminum multitudinis minimum, in quo ciuitas primum cõſtituta poteſt dici ciuitas ita, vt ſi ab eo deficiat, non erit ſufficiens per ſe, nec per conſequens, dicetur ciuitas. Itaque illa erit prima ciuitas via gñationis, in qua multitudo incipit eſſe tanta, vt ſit per ſe ſufficiens ad bene viuendum, & quidẽ in ciuili ſocietate, quod additur, quia in pago, & domo eſt etiam quædã multitudo, per ſe ſufficiens reſpectu pagi, aut domus, ſed non reſpectu ciuilis ſocietatis. quare illa multitudo, vt diximus, quæ primo incipit eſſe tanta, vt ſit ſocietas per ſe ſufficiẽs ad bene, ciuiliterq; viuendum, conſtituet ciuitatem primam adeo, vt ſi ea daretur minor, non eſſet ciuitas. Itaq; ciuitas hoc pacto determinata eſt vt deſcendere non liceat, quin deficiat. *Recipitur*. i. fieri poteſt.

Quæ vero ſit huiuſmodi exceſſus determinatio, ex operibus intelligi facile poteſt. ſunt enim actus ciuitatis imperantium, atque parentium: imperantis quidem opus eſt, iubere ac iudicare: ad indicandum uero ſecundum iuſtitiam, & ad magiſtratus demãdandos ſecundum dignitatem, neceſſarium eſt, vt ſeinuicem cognoſcant ciues, quales ſint: quare vbi hoc fieri non contingit, neceſſe eſt, vt male res procedant circa magiſtratus demandandos, & circa iudicia. In vtroque certe horum nequaquam eſt temere procedendum: quod in nimia multitudine manifeſtè contingit. Inſuper hoſpitibus, &

inquilinis facile est ad rempub. aspirare, cum non sit difficile in tanta hominũ multitudine latere. Patet igitur quod hæc est optima determinatio ciuitatis, vt sit maximus multitudinis excessus, quæ sit per se sufficiens ad viuendum, et facile inter se cognosci possit. De magnitudine igitur ciuitatis, determinatum sit, in hunc modum.

Ponit philosophus terminum multitudinis maximũ, ad quem, si ciuilitas peruenerit, ciuitas dicetur, & maxime ciuitas. Verum si vlterius excedat, amittet formam suam, & operationes sibi accommodatas, & maxime principales. Nam vbi est valde excedens multitudo, facile contingit, vt se inuicem non cognoscant ciues, ex quo sequitur, quod non recte iudicabunt de singulis, nec recte eligent magistratus, quibus committitur cura reipublicæ. Præterea aduenæ, & inquilini facultatem habebunt in tanta, tamq; abundanti multitudine se insinuandi. Ex quibus patet, quod multitudo perueniens crescendo vsque ad supremum terminum, in quo seruari officium recte iudicandi, & eligendi, & cognoscendi distincte ciues, & inquilinos potest, constituit ciuitatem maximam, & vltimum terminum attingentem, vltra quem progredi non licet: excedens enim multitudo, talem terminum, destruit principales, & maxime necessarias operationes ciuitatis, & confundit ordinem ciuilis societatis: est igitur dare duos terminos, & spatium medium inter illos. Primus terminus est, vt non sumatur minor multitudo, quàm postulet ciuilis societas. Secundus terminus est, vt non sumatur multitudo maior, quàm requirat gubernatio, & ordo reipublicæ, vel ciuilis societatis spatium est medium in quo sunt gradus ciuitatum. Primus gradus constituitur ex multitudine, quæ cum incipit esse tanta, vt per se sufficiat, ad bene, ciuiliterq; viuendum, primam efficit ciuitatem, à qua si descendatur, non erit amplius ciuitas. Supremus constituitur ex multitudine maiore, quàm cæteri, sed tamen conuenienti, & accommodata ad conseruandas, & non perturbandas publicas operationes, vltra quam si ascẽdatur non erit amplius ciuitas: medij vero medium obtinent locum. Non

ponit auté philosophus numerum particularem, vt sint mille, vel duo millia, aut huiusmodi, quia determinate dari non potest: præsertim cum sit habenda ratio regionis, & loci: sufficit tamen, quod ex mensura sufficientiæ, qua ordo ciuitatis, & eius officia necessaria ad bene viuendum seruari possunt, facile percipitur parum, & nimium eo modo quo dictum est supra, vt defectus, atque excessus omnino, vt extrema, esse fugienda, spatium medium sumēdum, in quo minima, & maxima, & mediocris ciuitas consistere possit. *Excessus multitudinis*, idest, supremus gradus multitudinis.

De regione igitur ciuitatis eadem fere dici possunt, nam qualis esse debeat, clarum est, quod sufficientissimam omnes quicunque fuerint, sane laudabunt. Hanc autem necesse est feracem omnium esse, nam omnia in seipsa habere, & nullius indigere, sufficiens est. multitudine uero, ac magnitudine tantā, vt queāt habitatores otiosos nutrire, liberaliter simul tēperateq; viuentes. hoc aūt vtrum bene an nō bene dicatur, postea diligentius erit considerandum, quando de possessionibus, et de facultatibus mentionē fieri continget, qualiter et quemadmodū se habere erga usum ipsum oportet: permultæ .n. circa considerationē istam dubitationes cadūt propter trahētes in vtrāq; partē vitæ excessum, alios ad tenuitatē, alios ad luxum.

Hoc est secundum capitulum huius secundi tractatus in quo philosophus, posteaquam doctrinam tradidit de magnitudine ciuitatis, nunc ostendit qualis & quāta debeat esse regio ad sufficientiā completæ ciuitatis, & describit etiā situm respectu maris, & continentis. Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes, quæ inferius declarabūtur. Dicit autem in prima philosophus, quod ea, quæ ad regionē pertinent, conformiter se habent ijs, quę dicta sunt de magnitudine ciuitatis, quia sufficientia requiritur necessario. i. vt habeat talé, vel tantā copiā rerū, vt sufficiat habitantibus ad liberaliter, tēperateq; viuendū. Sed circa hoc cadunt opiniones diuersæ, vt postea apparebit. *Multitudine*, vel fundorum, vel fructuum, habito respectu ad numerum habitatorum. *Ad largitatem*, id est ad luxum, & delitias.

Formam uerò regionis non est difficile præscribere: credendumq́; est, in quibusdam rei militaris peritis, asserentibus talem esse. oportere, vt ab hostibus quidem non facile inuadi posit, ciuibus autem facilis sit ad alios egresio. Præterea ut hominum multitudinẽ facile inter se cognosci posse diximus oportere, sic etiam regio sit subiecta conspectui, id est, ut cognosci, & ei succurri facile posit.

Describit philosophus breuibus verbis formã regionis, & credendum esse dicit in hac peritis rei militaris, textus est planus.

Vrbis autem situs, si formanda nobis illa est secundum votum, opportunè & ad terram, & ad mare debet iacere. Vna iam determinatio dicta est, oportere ad auxilia ferenda, communem esse locorum omnium aptitudinem. Altera, ad importationem fructuum. Præterea ad lignorum materiem, & ad (si quid simile opificium regio in se habeat) facilem aduectionem.

Describit etiã sitũ ipsius vrbis, qui põt esse multiplex, tamen ostendit opportunum esse in cõtinenti prope mare, duabus rõnibus: vna vt auxilia vndequaq; facile subministrẽtur: alia, vt copia fructuũ, & lignorum materies ẽt proprię regionis ob cõmoditatẽ maris deferri, & superflua efferri possint. *secũdũ votũ.* i. eo mõ, quo expetẽda eẽt.

Communio aũt maris, vtrum vtilis sit ijs ciuitatibus quæ bene legibus sunt instituta, an damnosa magis, permultæ sunt disceptationes: nã frequẽtare aduenas quosdã, alienis educatos legibus, inutile putant ad rectam ciuitatis disciplinam. Et turbam hominum plurimam, ex vsu maris transmittentibus ac recipientibus negotiatorum multitudinem, contrariam esse rectæ ciuium institutioni.

Quia dixit philosophus opportunitatem maris accõmodatam esse tali vrbi, quę in optimo situ collocanda esset, nunc affert dubitationẽ, vel obiectionem quorundã circa ptopinquitatẽ maris: adducunt. n. nocumenta, quæ inde proueniũt ob frequentẽ aduenarum, & oĩs generis hominum consuetudinẽ, quos peregrinos mores inducere aiunt, & implere hominibus ciuitatẽ, qui quæstui dediti rectam viuendi disciplinam impediant.

Quod igitur (si ista non contingat) melius sit, et ad securitatem, & ad copiam rerum necessariarum, cõmunionem maris habere vrbem

bem & regionem, non est obscurum: nam ad facilius ferendum hostes, opportuna facultas succurrendi auxiliandiq; suis, per vtrũq; & per terram, & per mare, esse debet, & ad nocendum inuadentibus: si non vtrunq; poßibile, at saltem altera ex parte magis existit, cum ambobus participent. & quae apud eos non existunt, importari, & quae superabundant exportari, ex necessarijs sunt: sibi enim ipsi negotiosam, non alijs esse ciuitatem oportet. qui autem omnibus mercatum apud se praebent, haec faciunt quaestus cupiditate. quod si non expedit ciuitati hanc plus habendi cupiditatem habere, nec mercatum certè huiusmodi debet recipere. nam & nunc quidem videmus multis regionibus, & ciuitatibus stationes ac portus opportunè iacere, ut neq; intra urbem sint, neq; valdè distantes, murisque circundari, & alijs huiusmodi munitionibus. Clarum est.n. quod si quid boni proueniet ex tali communione, ciuitas id bonum suscipiet, sin aliquid mali, caueri ab eo facile erit, per leges iubentes ac determinantes, quos oportet, & quos non oportet inuicẽ admisceri.

Soluit philosophus dubitationẽ, vel concessis illorũ obiectionibus, affert remediũ, ostẽdendo, quod opportunitas maris expetenda est, si non sequantur nocumẽta superius allata: qa ex maris opportunitate accidit, vt vrbs se tueri mari, & terra facilius possit ab inuadentibus, uel altera saltẽ parte vim ab hostibus allatã repellere, cum vrbs amborum.i. terrae, & maris particeps erit. Accedit etiã facultas importandi necessaria, & exportandi superflua, vt dictum fuit. *Sibi.n ipsi.* Affert remedium (vt diximus) nocumentis allatis: dicũt.n. illi, quod peregrina afferũt nouos mores, & homines ex alienis, ciuitatibus venientes negotiandi causa, cupiditatem quęstus inducũt, & sic ciues à recta viuendi institutione distrahunt, ac ciuitatẽ inficiunt: quare dicit philosophus, contra hoc nocumentũ, quod oportet ciuitatẽ sibi esse mercabilem. i. mercaturã, vel commutationẽ exercere, quousq; sibi subministret ad sufficientiam bene viuendi, & non vlterius, quia prębentes occasionem quibuscunq; negotiandi, & quasi cõe emporium offerentes colluuioni omnium gentium, quaestus cupiditatẽ sibi proponunt, inducunt rectae disciplinę contrariam, & non sufficientiam necessariã vi-

tæ ciuili. Hoc legibus caueri poteſt, & debet: Infinita eſt.n. cupiditatis natura inquit philoſophus in ſecundo huius,ad cuius expletionem plurimi viuunt, & paulò inferius ſic ciuitatem inſtituendam dicit, vt boni quidem viri pluſquã ſibi competat,habere,non quærant,improbi autem,etſi quærant, habere non poſſint. Vt autem ad propoſitũ reuertamur de ſitu vrbis concluditur à philoſopho,quod ſi quid boni proueniet ex cõione maritima, ciuitas haud procul à mari diſtans facile conſequetur: Sin aũt ea nocumenta ſuperius allata ſuperueniant, aut immineant,cauenda erunt per legum inſtitutionem,quę modũ imponant cõmercium inter ſe habẽtibus, vt patet in textu.Sic igitur mediã quodammodo viã ſequendo,vt plerunq; facere conſueuit philoſophus ſtationes,& portus,neq; intra vrbẽ,neq; multũ diſtãtes ab ea, & ipſam ciuitatẽ,quæ ſcd̃m votum formanda nobis foret,neq; oĩno cõiunctã mari,neq; valde remotã,deſignare vr̃,hac ſemp cõditione adiũcta,vt peregrinis moribus,q rectę diſciplinæ officere poſſent ſalutaribus legibus remedium ferat.

De nauali autem potentia,quod melius ſit eam habere vſq; ad aliquam quantitatem,manifeſtum eſt: non ſolum enim ſibiipſis ſed etiam finitimis quibuſdam oportet auxiliari poſſe,& eſſe terribiles quemadmodũ terra, ſic etiam mari. Magnitudo autem,ac multitudo huius potentiæ,ad mores ciuitatis erit accommodanda. nam ſi qua fuerit ciuitas, quæ magnam præſtantiam auctoritatemq; reipublicæ habere conſueuerit, neceſſarium hanc potentiam rebus eſſe conformem: turbam verò nauticam,& huiuſmodi hominum multitudinem,non neceſſarium eſt ciuitatibus exiſtere: nulla enim ciuitatis pars huiuſmodi homines eſſe debent. nam pugnatores,qui naues conſcendunt,ingenui ſunt homines,terra quoq; militare conſueti: hi præſunt nauali turbæ,& imperant. Exiſtente vero multitudine tenuis fortunæ hominum,qui circa nos habitant,& agricolarum,qui in regione rem ruſticam exercent,neceſſarium eſt abũdantiam eſſe nautarum: videmus etiam nunc iſtud fieri in quibuſdam ciuitatibus, ceu in ciuitate Heracleotarum; multas enim implent triremes, vrbem poſsidentes magis exiguam, quàm cæteri. De regione igitur & portibus,& vrbibus: & mari & nauali po-

tentia

tentia in hunc modum determinatum sit: De multitudine quoq; ciuitatis, quàm determinationem habere decet, prius diximus.

Dictum est non oportere vrbem procul à mari esse distantem, sed conuenienter propinquam. Declarat nunc philosophus consequenter quantam potentiam naualem habere oporteat, vt manifeste patet in textu.

Nunc autem quales natura ciues esse oportet, à nobis dicetur. Forsan verò quis id deprehendat, si inspiciat ad ciuitates Graecorum, quae bene gubernari passim dicuntur, & ad totum terrarum orbem, qui à gentibus varijs incolitur: nam quae in frigidis regionibus degunt gentes, et quae per Europam, animo quidem abundãt, ingenij verò & artificij parum habent: quapropter in libertate magis perseuerant: disciplinam uerò reipub. difficulter recipiunt, ac finitimis dominari non possunt. Quae vero Asiam incolunt, ingenio & arte abundant, sed animositatem non habent: propter quod & parere dominantibus, & seruire perseuerant. at Graecorum genus, ut mediam regionem locorum sortitum est, sic etiam amborum est particeps, nam & animosum & ingeniosum est. Ex quo fit, ut in libertate degat, & disciplinam reipublicae optime recipiat, & vnius reipublicae constitutionem sortitum, imperare omnibus possit. Eandem vero differentiam habent Graecorum gentes inter se, quaedam enim habent naturam ad vnum illorum, quaedam verò permixtae, ac temperatae sunt ad vtranq; illarum potentiarum.

Hoc loco siue secunda sit pars, vt quidam volunt, siue aliud capitulum, vt ex ordine quorundam expositorum colligi potest, philosophus ciuium qualitatem considerat. oportet enim non solum ad quantitatem, sed etiam ad qualitatem respicere, idest, considerare quales ciues fore oportet secundum naturalem dispositionem. Id autem facilius deprehendi poterit, si ciuitates diuersarum regionum nobis ante oculos proponemus, & affert exempla philosophus ciuitatum Grecarum, & aliarũ, quę sunt in regionibus calidis, aut frigidis collocatæ, & ostendit, quæ ex illis gentibus maiorẽ vigorẽ animi, & minorẽ ingenij, & quę cõtra maiorem ingenij, & minorẽ animi, & quæ vtriusq; participãt, & istas vltimas dicit esse Græciã incolentes, quę ẽt inter se differũt. Greci.n.quodãmodo

temperatam incolunt regionem:idem de Italia dici poteſt. Notandum, quòd multitudo ſpiritus naturalis, & ſanguinis,vt ſuper hunc locum dicit Sanctus Thomas,& idem videtur ſentire Albertus, facit homines robuſtos, & cordatos. Hinc eſt quod incolentes frigidas regiones, ſunt plerunque animoſiores ob internam caliditatem,qua fit digeſtio vehemens,& multiplicatio ſanguinis,ingenio autem tardiores,quia habent, vt plurimum craſſiores ſpiritus, deſeruientes ſenſibus internis, & exhalationem minorem, comprimente eam frigiditate extrinſeca. Qui verò incolunt calidas regiones, ſunt modici ſanguinis, & ſpiritus habent plerunque puriores, & ſubtiliores, & exhalationem maiorem,caliditate externa poros aperiente, atque ex eo magis ingenio, atque animo communiter valent: qui mediam,& temperatam habitant regionem,vtriuſque participant. Ex his conſequenter dicere poſſumus,quod non parum refert ad habilitatem intelligendi, quas quiſque habeat compoſitiones organicas,præſertim internas ſenſitiuas,quæ medijs phantaſmatibus deſeruiunt intellectui. Nam, vt dicitur in libro de anima oportet intelligentem phātaſma ſpeculari, & nihil eſt in intellectu, quòd prius non fuerit in ſenſu. Quare ſecundum diuerſam diſpoſitionem ſenſus,diſponitur intellectus ad intelligendum. Senſus autem diuerſimode diſponitur ſecundum diuerſitatem inſtrumenti,& ſpiritus craſſioris, aut ſubtilioris ad ſentiendum cum imprimuntur ſenſibilium formæ, ex quo ſequitur,quod habentes complexionem bonam,vel non bonam, & inſtrumenta bene, aut non bene diſpoſita aptiores,aut ineptiores reddantur, ad intelligendum. Verum hæc diſpoſitio (ſi ſenſum cum ſenſu, comparare velimus) magis circa tactum, quàm circa alios ſenſus attenditur. Nam penes inſtrumentum huius ſenſus homines ingenioſi ſunt,vel hæbetes,vt ſentire videtur philoſophus in libro de anima. Qui enim, inquit, ſunt duri carne, ij ſunt inepti mente, molles vero carne,ſunt ingenioſi,menteque apti. Expoſitores dicunt, quod complexio

plexio faciens ad bonitatem tactus facit ad bonam dispositionem, seu aptitudinem intellectus. Et philosophus declarat hoc signo, quia in specie hominum habentes meliorem tactum habent meliorem aptitudinem intellectus. Verum quia bonitas alicuius alterius sensus cum inordinata complexione stare potest, vt homo malæ complexionis potest esse boni visus, & alij sensus non consistunt eo pacto in mediocritate qualitatum primarum, sicut tactus, ideo ex bonitate alterius sensus non sequitur bona dispositio, seu aptitudo intellectus, sed bene sequitur ex bonitate tactus. Bonitas igitur tactus arguit bonitatem complexionis, bonitas complexionis arguit bonam aptitudinem intellectus: at regiones temperatæ arguunt temperatas corporum complexiones: Ergo à primo ad vltimum temperatæ regiones communiter producere videntur homines aptos ad intelligendum, & egregie cordatos, ob temperatam digestionem, & congruam sanguinis multiplicationem. Notandum præterea, quod dispositio ciuitatis, vel regionis non solum consideratur ex dispositione celesti, sed etiam ex dispositione partium ciuitatis, vel regionis secundum habitudinem, quam habent ad montes, vel mare, & alia huiusmodi, vt dicit Sanctus Thomas, ex quo fit, vt ex diuersis causis diuersimode disponantur, & illæ calidæ, hę frigidæ magis, vel minus, aut, temperatæ reddantur. Notandum quoque, quod præter illa, quæ dicta sunt, ad cõplexionem nostrorum corporum, multum facit dispositio parentum, & generantium actu: atque ipsi non parum conferre posse videntur opera sua. Nam si temperate vixerint, temperatam in suis corporibus imprimēt dispositionem, cuius postea filios participes esse oportet. Notandum denique de mente eiusdem Sancti Thomæ, quod licet ex virtute cęlestium corporum, vel naturali dispositione, quidam nō inclinentur ad gubernationem ciuilem, tamen fieri potest, vt electione, rectaque disciplina euadant homines ciuiles, & virtutibus præditi, ac etiam sapientes. Contra quoque fieri potest, vt homines

natura

natura apti, si torpeant otio, aut vitiosis operationibus immergantur inepti euadãt,& omnino insipientes. Nam intellectus, atque voluntas à uirtute cęlestium corporum, quę materialis est, non cogitur in operationibus suis. Est enim in nobis liberum agendi, uel non agendi principium: Ex quo omnis prauitas, ut inquit philosophus,& per consequens uirtus est uoluntaria.

Patet igitur, quod oportet & intelligentiam & uigorem animi, natura existere illis qui futuri sint idonei, quos legum positor ad virtutem instituat.

Concludit, uel infert ex dictis, quòd oportet ciues esse sic natura dispositos, ut ualeãt animo, atq; ingenio, deinde per rectã disciplinã,& omnino per rationem,& morẽ studiosi efficiantur, ex talibus.n.composita, atq; ornata ciuitas, felix esse poterit huius philosophi sententia.

Nam quod de custodibus aiunt quidã, oportere vt beneuoli sint erga notos, erga ignotos uerò infesti: vigor animi est, qui beneuolentiam facit: illa enim est potentia animi, per quam amamus, ac beneuoli sumus. cuius rei signum est, quod magis irritatur animus contra familiares & amicos, quàm contra ignotos, si contẽptum se putet. quapropter Archilochus rectè, cum amicos incusaret, ad animum loquitur, inquiens, Nõ tu quidem ab amicis lanceis trãsfixus es? quod dominatur, et quod libertatem seruat, ab hac potentia existit immunis; dominans enim & inuictum est animus. nec bene se habet dicere, quod aduersus ignotos debent esse infesti: nam aduersus neminem esse tales oportet: nec sunt magnanimi homines, natura infesti, nisi contra iniuriantes. Hoc autem & magis contra notos, familiaresq; patiuntur (quemadmodũ dictum est prius) si iniuriatos se existimant. Et hoc non sine ratione contingit: à quibus.n. deberi sibi beneficium expectant, ab eisdem non solum priuari beneficio: sed insuper lædi se putant. Vnde in prouerbio dicitur, Fratrum contentiones, & iræ sunt acerbissimæ, & qui se nimium amant, hi se nimium unà oderunt. De hominibus igitur qui in repub. futuri, & quot esse oportet, & æquales natura, & de regione, quantam & qualem, ferè determinatũ est: non.n.eadẽ certitudo quærenda est in ijs quæ per rationes, & in ijs quæ fiunt per sensum.

Affert ad hoc propositum sententiam Platonis, qui custo-

custodibus reipublicę tribuere videtur huiusmodi uigorem animi, cum dixit, eos beneuolos esse oportere erga notos, duros autem erga ignotos: nam uigor animi est, inquit, qui beneuolentiam facit. Est enim principium in animo nostro, à quo sicut & uigor, ita, & beneuolentia profluit, cuius rei signum est, quod animus indignatur contra familiares magis, quàm contra ignotos, cum se neglectum putat. Vnde Archilochus poeta cum quereretur de amicis, alloquitur animum, & dicit: tu non es necatus ab amicis, idest non es depressus ab ipsis, quasi ipsi excitant, uel erigunt, ut exponunt quidam, uigorem animi, qui est in nobis, sicut beneuolentia. Emanat enim ab animo nostro, uel à libero eius agendi principio, idest à uoluntate, per quam libertatem diffiniētes dicunt eam esse uirtutem quandam uoluntatis in ordine ad intellectum, præcedentem, & finem sequentem, animi igitur uis illa est, qua dominamur, uel qua liberi, atque beneuoli sumus. Beneuolos autem esse competit gubernatoribus, & custodibus, ut ait Plato erga notos, & in hoc bene se habet Platonis opinio. In illo autem non bene quod custodes aduersus ignotos debeāt esse infesti, quia non debēt aduersus aliquem esse tales. Nam magnanimi nō sunt natura infesti, nisi in se tuendo ab iniurijs, & in repellenda, cū sibi indignis, & immerētibus nocumentū infertur, quod maius ēt existimari solet, cū à notis, & familiaribus prouenit, ipsi tamen nemini iniuriā faciunt, neq; sunt ultores illatę. Nā magnanimus, ut inquit philosophus in 4. ethicorū non est odij tenax, nec mali sibi illati memor. non.n. magnanimi est refricare aīo pręsertim mala, sed magis paruipendere. & Cicero in primo de officijs. Nihil inquit laudabilius, nihil magno, & pręclaro uiro dignius placabilitate, atque clementia.

Cum verò, vt aliorum secundum naturam consistentium, non hæ sunt partes totius consistentiæ, sine quibus totum esse non potest: palam quod nec ciuitatis ponendum est esse partes, quæcunque ciuitatibus existere necessario oportet, nec alterius cuiusquam communionis, ex qua fit unum aliquod genus: unum enim

quid

quid & commune esse debet communicantibus, siue æquale, siue inæquale suscipiant: ceu siue alimentum id sit, siue agri quantitas, siue aliud tale: sed quando hæc gratia huius, hoc autem non gratia, nihil in his commune, sed aut huic quidem facere, huic autem accipere: dico autem velut organo omni, ad illud opus quod fit & opificibus. Domui enim ad ædificatorem nihil quod sit commune, sed est domus gratia, ædificatorum ars. quapropter possessione quidem indiget ciuitas: nulla tamen pars ciuitatis est possessio: multa vero animata, sunt possessionis partes: ciuitas autem communio quædam est similium, gratia vitæ, vt quàmmaximè fieri potest optimæ.

Hic est tertius tractatus huius septimi libri, in quo philosophus, posteaquam docuit, quæ supponenda sunt ex parte materiæ remotę ad constitutionem optimæ rei publicæ, nunc declarat, quæ supponẽda sunt ex parte materię propinquę, vt sunt hi, qui versantur in republica, & societate ciuili: prætereà vt sunt domus, & ipsa omnino ædificia, quæ potius instrumenta, quàm partes ciuitatis sunt dicenda. Diuiditur autem hic tractatus in quatuor capitula: in primo declarat, quæ, & quot sunt illa, quæ requiruntur ad hoc, vt consistat ciuitas: in secundo, quæ sunt partes propriæ ciuitatis: in tertio determinat de possessionibus, & cultoribus: in quarto de situ vrbis ad se ipsam, vt de mœnibus, & foro, & huiusmodi.

Primùm capitulum diuiditur in tres partes, quæ suis locis declarabuntur. ostendit autem in primis, quod nõ omnia, quæ requiruntur ad hoc, vt consistat ciuitas, sunt partes ciuitatis, probatur, sicut est in ijs, quæ fiunt, vel consistunt natura, sic in ijs, quibus consistit ciuitas: sed in illis ita fit, vt non omnia sint partes naturalium, sine quibus illa constare non possunt, vt nutrimentum, vel similia non sunt propriæ partes animalis, tamen animal sine illis consistere non potest, sic in ijs, in quibus consistit ciuitas. Sunt enim multa, sine quibus ciuitas consistere non potest, et tamen non sequitur, vt sint partes, nec etiam sequitur, vt sint alicuius alterius communionis, ex qua fit vnum aliquod genus, puta societatis, vt ea

sint

ſint partes, ſine quibus conſiſtere non poteſt. Patet ratio per cõuenientem ſimilitudinem rerum naturalium: eſt enim ciuitas natura, vt inquit philoſophus in primo huius: ſi quidem, & primę ſocietates hoc pacto, quia eſt à natura inclinante, & ratione perficiente. *Vnum enim quid.* Probat idem alia ratione hoc pacto: omnes partes per ſe alicuius totius debent habere aliquod vnum commune, quo continentur, & in quo æqualiter, ſeu inæqualiter communicant: ſed non omnia, quæ requiruntur ad conſiſtentiam ciuitatis, ſunt huiuſmodi, ergo nõ omnia, quæ requiruntur ad cõſiſtentiam ciuitatis ſunt partes per ſe ipſius. Maior patet, quia partes concurrentes per ſe ad conſtitutionem totius, continentur totius forma, quæ eſt communis omnibus illis, & reſpectu illius perficiuntur. Nam cuncta officia partium rediguntur ad illud, in quo communicant, aliter non eſſent propriæ, et per ſe partes. Minor declaratur, quia multa requiruntur ad conſiſtentiam ciuitatis, quæ nõ ſunt partes per ſe ipſius: nam quando aliqua plura ita ſe habent, vt vnum ſit gratia alterius, ideſt ad finem, alterum verò non gratia alterius, ſed ſit finis, tunc iſta non habent proprie aliquod vnum commune ſecundum rationem, ſicut inſtrumentum nihil habet commune cum opere, vel artifice, cuius eſt inſtrumentum, nec architectura cum domo, cum ipſa ædificatoria ars ſit gratia domus: eodem modo ad conſiſtentiam ciuitatis requiruntur multa, quorum vnum eſt gratia alterius, vt poſſeſſio requiritur ad conſiſtentiam ciuitatis, & ſufficientiam vitæ ciuilis, tamen eſt gratia poſſidentis, & ſeruus gratia domini: eſt enim, vt inquit in primo, vt animatum inſtrumentum. ſunt alia huiuſmodi, quibus non eſt vnum, quid commune ſit cum eo, cuius gratia ſunt, eodem modo ſe habent, multa, quæ ſunt gratia conſiſtentiæ ciuitatis, & tamen non ſunt per ſe partes ipſius, & quamuis ordinentur ad illam, tamen non conſequuntur finem illius, ideſt ipſam felicitatem, & omnino vitam optimam. Eſt enim ciuitas ſocietas quædam ſimilium gratia vitæ per ſe ſufficientis, &, vt

maxime

maxime fieri poteſt, optima.

Cum vero ſit felicitas optimum, ipſa tamen virtutis operatio, et uſus quidam perfectus: contingat autem ita, ut aliqui recipiant illius participationem, alij autem parum aut nihil: manifeſtum eſt, quod hæc eſt cauſa quare ciuitatis ſpecies, differentiæq́; exiſtunt, pluresq́; rerumpublicarum formæ. per alium enim modum, et alijs vijs; ſinguli hoc appetentes, & alios uiuendi modos fecerunt, & alias reipublicæ diſciplinas.

Hæc eſt ſecunda pars huius primi capituli, in qua philoſophus cum declarare vellet, quæ ſunt neceſſaria ad conſiſtentiam ciuitatis, & dictum ſit, plura eſſe, quorum alia habent rationem finis, alia eorum, quæ ſunt ad finem, nunc oſtendit, cum felicitas ſit finis ciuitatis, & ipſa ſit operatio ſecundum virtutem, & omnino uirtutis vſus perfectus, & alij ſint illius participes, alij uero parum, uel nihil: hanc eſſe cauſam, cur plures, & diuerſæ oriantur ſpecies rerum publicarũ: talis enim diuerſitas ex diuerſis oritur viuendi modis: diuerſi autem modi viuendi oriuntur ex eo, quod alij alios fines ſibi proponunt, aut eundem alio, atque alio modo interpretantur, & eligunt. nam qui diuitias ſibi finem proponunt, paucorum potentiam conſtituunt: qui virtutem, optimates, aut regnum: qui libertatem, ſtatum popularem, vt eſt dictum prius. Diuerſitas igitur finis, aut diuerſus modus ſe habendi ad finem, facit diuerſitatem rerumpublicarum.

Conſiderandum eſt, quot ſint illa ſine quibus ciuitas eſſe non poteſt, tum quas dicimus ciuitatis partes, eas neceſſarium eſt in iſtis eſſe. Capiēdus eſt igitur operum numerus, ex his enim id apparebit. Primum igitur debent exiſtere alimenta. Deinde artes: multis enim inſtrumentis indiget uita. Tertium arma: nam qui ſimul in communione viuunt, neceſſarium eſt ipſis habere arma, quibus & magiſtratibus parere inobedientes compellantur, & quibus vis propulſetur externa. Præterea pecuniarum habendarum facultas quædā, quo illas habere poſsint ad proprias indigentias, & ad bellũ. Quintum autem ac præcipuum, circa rem diuinam cultus, quod vocant ſacrificium. Sextum, quod eſt omniũ ſummè neceſſarium, indicium

rerum

rerum conducentium, & iustarum ad inuicem. Hæc igitur sunt opera, quibus indiget ciuitas omnis. Est enim ciuitas multitudo non quæcunque, sed illa quæ ad vitam per se sufficiens sit, vt diximus. Si verò aliquid horum deficiat, impossibile est simpliciter esse per se sufficientem, huiusmodi societatem. necessarium ergo est his operibus ciuitatem constare. Esse igitur oportet multitudinem agricolarum, qui victum conferant: & artifices, & bellatores, & locupletes, & sacerdotes, & iudices necessariorum atque vtilium.

Hæc est tertia pars huius primi capituli, in qua philosophus affert ea, sine quibus ciuitas consistere non potest, & inter ista inueniuntur ea, quæ sint per se partes ipsius, & etiam quæ non sunt, licet necessaria sint ad consistentiam eiusdem. Verũ cum vnum quodq; eorum, quæ natura, vel arte constant, aliquo opere determinetur, sumendus est operum, & officiorũ numerus, quæ in ciuitate sunt necessaria: sic .n. patebit, quæ sunt illa, quibus ciuitas carere non potest, & enumerat ipsa. Primum igitur inquit necessario requiritur alimentum: deinde artes, cũ multis instrumentis indigeamus ad excercendas operationes vitæ: arma preterea requiruntur, ut legibus bene constitutis pareant homines & externorũ, vim afferre volẽtium, propulsetur iniuria. Itẽ pecuniarum facultas quadã, videlicet terminata, quædam & conueniens: quintum & principalissimum oĩum cultum diuinum inesse ciuitati oportet: sextum est iudiciũ, quod in deliberando pro vtilitate cõi, aut in iudicando pro seruanda iustitia redditur. Quod si ista necessaria sunt ciuitati, vt ostẽsum est, etiam necessarium est, vt sint qui illa exerceant, vt agricolę, artifices, consultores, sacerdotes, & alij hmõi.

His determinatis, reliquum est considerare, utrum omnes communicare debent his omnibus (fieri .n. potest, vt ijdem ipsi sint, & agricolæ, & artificis, & consultores, & iudicantes) an in vnoquoque opere supradictorum alios ponendum est? an quædam esse propria, quædam verò horum communia esse necessarium est? Sed non in omni republica hoc (ut diximus) contingit: nam fieri potest, vt omnes omnium sint participes, & non omnes omnium, sed quidam quorundam. hæc .n. faciunt rerum publicarum uarietatẽ, nam in

popu-

populari quidem participes existunt omnes omnium, in paucorum autem potentia contrarium est.

Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo posteaquam declarauit, quæ necessaria sunt ad consistentiam (vt ita loquar) ciuitatis, & ostensum fuit, non sequi, vt omnia illa sint per se partes ipsius, sine quibus consistere non potest, nunc declarat, quæ istorum sunt proprie partes, & quæ non sunt, & adhoc propositum quærit, vtrum ista necessaria tribui debeant vni, an quędam ipsorum, & quomodo id fieri oportet. Diuiditur autem hoc capitulum in sex partes, quæ suis locis patebunt. Dicit igitur in primis philosophus, quod est considerandum, vtrum illa sex necessaria, omnibus sint communia, ita vt vnus & idem sit agricola, artifex, miles, tum sacerdos, consultor, & iudex, aut vnumquodque istorum habeat suos proprios professores inter se distinctos, vt quidam sint agricolæ, & non artifices, quidam artifices, & non agricolæ, & sic de alijs propria proprijs tribuendo, aut quædam ex illis vni, & eidem competere possint, quædam non possint, vel non debeant. Et an hoc se habeat eodem modo in omni specie reipublicæ. Determinanda est igitur ista quęstio, & statim ostendit philosophus, quod diuerso modo hoc se habet. Nam in quibusdam ciuitatibus omnes participant omnium, in quibusdam vero non participant omnes omnium, & hinc oriuntur diuersitates rerum publicarum, & varię species gubernationum, vt dictum est in superioribus libris. Verum in optima republica, de qua loquimur quędam sunt propria quibusdam, quædam communia pluribus.

Cum autem consideratio nostra sit de optima republica; ea verò est per quam ciuitas esset maximè felix: felicitatem autem quod sine virtute impossibile sit existere, dictum est prius: manifestum est ex ijs, quod in ciuitate quæ optimè gubernatur, & quæ iustos habet ciues simpliciter, ac nō ad suppositionē, nec artifices, neq; mercatores ciues esse oportet: vilis est.n.huiusmodi vita, & virtuti aduersa. nec certe agricolas esse oportet eos, qui futuri sunt ciues: opus est enim quiete, & otio ad virtutē comparandā, & ad remp. gerendā.

Secunda

Secunda est pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, quæ ex supradictis sunt per se partes optimæ ciuitatis, & quæ non sunt: ex quo emerget solutio illius, quod quærebatur, & apparebit, quod in rep. bene instituta, quædam sunt quibusdam proposita, quędam cõia pluribus. Ostenditur igitur in primis, quòd nec artifices, nec exercentes mercenarias artes, nec agricolæ sunt per se partes optimę ciuitatis, de qua loquit̃ hic philosophus. Nam eos, qui futuri sunt ciues optimæ reip. oportet esse studiosos, & frequenter versantes circa studiosas operationes: sed supradictis artibus dediti magis circa eas, quã circa studiosas operationes versantur: ergo non sunt accommodati ad hoc, dicit philosophus, vt futuri sint proprie ciues, aut per se partes optimæ ciuitatis, nec ẽt ipsi agricolę, qui intẽti laboribus externis, magis ad agrorũ, quã ad animi cultum sua studia cõferunt, ergo non sunt per se partes, vt diximus, nec apti, vt euadant ciues optimæ, ac bene institutæ, & omnino felicis ciuitatis. Notandum, quòd ratio partium sumenda est ex ratione totius, & ratio totius in ijs, quæ ordinantur ad finem sumenda est ex ipso fine: ideo ratio partium optimæ ciuitatis sumitur ex fine ipsius, qui est felicitas: at felicitas non est sine virtute: ciues igitur qui sunt per se partes, aut sunt futuri ciues optimę ciuitatis debent habere virtutem, vt bene se habeant in ciuili societate, &, quantum fieri potest, eam felicem efficiant. Ex quo sequi videtur, quod ij, quorum exercitationes non habent cum virtute cõmercium, ac minime ipsam adipiscuntur non sunt per se dicendæ partes, aut proprie ciues habendi optimæ, (vt ait philosophus) & omnino felicis ciuitatis.

Cum uerò ij supersint qui bello intendunt, & qui consultant de vtilibus, & iudicant de iustis & iniustis, qui quidem maxime uidentur partes ciuitatis, vtrum & hos esse alios ponendum sit, an eisdem hominibus ambas partes tribuendum? Clarum est, quod quodammodo eisdem, et quodammodo alijs: qua enim alterius uigoris utrunq; opus, et alterũ prudentia, alterum uiribus indiget, alijs: qua uerò potentes sunt ut uim afferant impotentioribus, eos tamen

 prohi-

prohibent ne semper subiecti sint, eisdem, qui enim armorum domini sunt, ijdem etiam sunt domini status, uel mutationis reipublicæ. Restat igitur, vt eisdem quidem ambobus respublica tradatur, non simul quidem, sed vt natura fert. vires quidem sunt in iunioribus, prudentia verò in senibus: sic inter eos distribui, commodum est, & iustum esse videtur: habebit enim hæc distributio, id quod est secundum dignitatem.

Hęc est tertia pars huius capituli in qua philosophus cum ostenderit operarios, & artes mercenarias exercentes, tum etiam agricolas non esse per se partes optimæ ciuitatis, tunc sumit reliquas species hominū, quæ restabant, videlicet pugnatores, & illos, qui consultāt, & iudicant: demū inferius sumet sacerdotes. Hos igitur vult esse partes optimæ ciuitatis, intelligēdo, quòd tales, qui futuri sunt ciues, & per se partes in optima rep. oportet esse studiosos: nam pugnatores pro tuendo communi bono debent esse fortes, tum consultores, & iudices debent esse prudentes, & iusti, & omnino studiosi: idem de sacerdotibus dicendum. quare omnes istos philosophus ratione virtutum vult esse per se partes optimæ ciuitatis, vt dictum est: sed quærit vlterius iuxta quæstionem superius allatam, vtrum pugnandi munus, & consultandi, atque iudicandi officium eisdem tribuere oportet, an alijs, & diuersis: ac statim determinat, quod eisdem, & non eisdem, diuersis respectibus: non eisdem, quia ista sunt diuersa officia, & alterum, indiget viribus, alterum consilio: etenim officium pugnandi iuuenibus, qui viribus abundant, consultandi, & iudicandi senibus, qui consilio præstant tribuendum videtur: sed iuuenes, & senes differunt, ergo non eisdem, sed diuersis, ista munera sunt tribuenda. Differt namq; Socrates senes, vt inquit Porphyrius, à se puero, differentia quadam accidentali: ex altera parte eisdē tribuenda videntur hæc officia, quia in pugnatorū manibus positus est status ciuitatis: quare eos adhiberi oportet ad gubernationem reip. dicit philosophus, vt causam habeant eam tuendi, & conseruandi. Ex his concluditur, quòd eisdē, & non eisdē danda sunt hęc

munera

munera ciuitatis. Non eisdé, quia nõ simul. Iuuenibus.n. existentibus bellandi munus, postea prouectis consultandi, & iudicandi officium est tribuendum. Ergo non eisdé, quia differunt à se ipsis scd̃m prius, & posterius, & sunt diuersi secundum ætatem. Eisdem verò sunt hæc munera tribuenda, quia licet differant à se ipsis differentia quadam accidentali, ex eo quod primo sunt iuuenes, postea senes, tamẽ sunt ijdem homines secundum substantiam. Sic igitur quæstio soluitur, quòd eisdem sunt tribuenda hęc officia, sed diuersis temporibus, & ętatibus: nam ijdẽ hoĩes esse debent milites in iuuentute, consultores, & iudices in senectute, in decrepita vero ætate, vt infra ostendit, sacerdotes. *Non simul*. i. non in eadem ætate. *Secundum dignitatem*. i. habita ratione personarum, & temporis tribuere iuuenibus, quod cõpetit illi ætati, & senibus, quod competit illis, secundum dignitatem viriũ, & prudentię. Sunt.n. vires in iuuenibus, cõsilium in senibus, vt inquit Cicero, & Hieronymus, cani hominis sapientia est.

Atqui possessiones quoque circa hos esse oportet: necesse est enim facultates adesse ciuibus: hi autem sunt ciues, nã turba quidem vrbana vilium ministeriorum, nulla pars est ciuitatis, nec aliud genus quodcunque quod non sit virtutis effector. Patet hoc ex eo quod præmisimus: felicitas enim necesse est, vt per virtutem fiat. felicem verò dicere ciuitatem debemus, non ad partem aliquam eius respicientes, sed ad omnes ciues: manifestum igitur, quòd horum esse possessiones oportet: siquidem necesse est agricolas esse seruos, vel barbaros, vel ministros.

Quarta est pars huius capituli, in qua philosophus ostẽdit quod horum, quos dixit esse per se partes optimę ciuitatis, debent esse possessiones. Nã optima ciuitas debet habere sufficientiã vitę, & per cõsequens ipsos ciues, qui vt partes constituunt illud totum: sed talis sufficientia non erit sine possessionibus: ergo possessiones adesse oportet ciuitati, & per consequens ciuibus constituentibus eã, quos philosophus declarauit esse ciues in optima rep. Nam operarij, & uilia, seu illiberalia exercentes ministeria, tum etiam agricolæ non dicuntur per se partes

optimę ciuitatis,ergo nec ciues in tali rep. nam si essent propriè ciues, & per se partes ciuitatis,non foret ciuitas omnino,& simpliciter felix. Nos autem loquimur de ciuitate simpliciter, & ex omni parte felici, quantum humana conditio patitur, in qua oportet, omnes ciues per se ipsam constituentes esse studiosos, & per operationes virtutum etiam felices. Concluditur ergo, quod si ciuitas ad sufficientiã vitæ debet habere possessiones, p consequens partes ipsius.i.ciues propriè dictos oportet præcipue esse dominos possessionum, supponendo agricolas esse seruos, aut barbaros aduentitios, aut huiusmodi ministerijs, subiectos in talis rep. Loquitur.n.(quod est sæpius repetẽdum) de optima ciuitate, in qua pugnatores, consultores,& iudices, demũ, & ipsos sacerdotes studiosos esse oportet, nec huiusmodi pugnatoribus, qui sunt ciues, eripitur cõmoditas consequendi virtutem, presertim fortitudinẽ, quę si vera sit fortitudo, comites ẽt habebit alias virtutes morales. Vacare insuper poterũt exercitationibus ingenij, cũ non semper versentur in bello.

Reliquum est, ex ijs qui supra numerati sunt, genus esse sacerdotum, quorum institutio manifesta est, neq;.n.agricola, neq; artifex, neq; vilium exercitiorum quisquam sacerdos est deputandus: honor in dijs est à ciuibus impendendus. sed cum distincti sint ciues in partes duas, hoc est, in eos, qui arma tenent, & in eos, qui consultant, & decens sit Dijs cultum exhibere, & requiem suscipere eos qui pro tẽpore in his laborarũt, ac defessi sunt: his vtiq; est sacrorũ cura demãdanda. quæ igitur sunt, sine quibus ciuitas stare nõ potest, et quot sint ciuitatis partes, dictũ sit, agricolas.n.et artifices, et omne ministeriũ ciuitatibus existere necessariũ est. sed partes ciuitatis sunt hi qui arma tenẽt, et hi qui cõsultant, et separatũ est vnũquodq; ipsorum: hoc quidem semper, hoc verò secundum partem.

Quinta est pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, ꝙ diuini cultus ministeriũ non est quibusuis, sed ciuibus tribuendũ: qui cum aut pugnatores, aut consultores scdm diuersà tempora dicantur, ijdem in extrema ætate sacerdotes esse poterunt. Nam vigente ætate erunt milites apti ad defendendã, conseruandãq; remp.

ab omni

ab omni iniustitia, atq; iniuria: deinde vergentes ad senilē ętatem erunt apti ad consultandū, & iudicandū, vigente in eis consilio, atq; prudentia: demum in postrema ætate constituti requiē spectātes, vitā omnino collocare poterūt in ministerio diuini cultus, & diuinarum rerum contemplatione, in qua sitàm esse volunt supremā felicitatem humanā. Post hęc concludit, & repetit supradicta, quod agricolæ, & operarij, & oīno ministeria illiberalia exercentes licet requirantur, vt res necessariæ ad consistentiā (vt ita loquar) optimæ ciuitatis, tñ non sequitur ob talē necessitatē, vt sint per se partes illius: sed pugnatores, & consultores, qui deinde futuri sunt sacerdotes, sunt per se partes, & distinguūtur ab agricolis, & operarijs, & alijs supradictis per totum tp̄s à se ipsis inuicem scd̄m partem tp̄is, ita vt ijdem primo milites, deinde cōsultores, & iudices sint: demū diuino ministerio dediti vltimā etatē cōstituāt in diuinarū rerū contēplatione. *Quorū institutio manifesta est.* Quasi dicat distinctionē attulimus officiorū, dādo militiā pro tuenda patria ciuibus in iuuenili ætate constitutis, cōsilia, & iudicia senibus, qđ restat ministeriū diuini cultus decrepitis tribuendū censemus.

Videtur autem non nunc, neque paulo ante, hoc notum fuisse his, qui de republica philosophantur, quod per genera ciuitas sit distinguenda: & pugnatorum genus aliud esse, aliud agricolarum. nam in Aegypto vsq; ad hoc tēpus, in hunc modum se habet, Sesostri legē ferente, in Creta uero Minoe. Antiqua videtur etiam comessationum institutio, quod in Creta factum Minoe regnante: sed multo prius hoc in Italia, quàm in Creta constitutum fuit. tradunt enim periti homines illorum locorum, fuisse Italum quendam Oenotriæ Regem, à quo mutato nomine pro Oenotris Itali sunt vocitati, oramque illam maritimam Europæ quæ est inter Scyllaticum & Lameticum sinum, (distant verò hæc loca, iter semidei) Italiæ nomen primo recepisse. hunc ergo Italum tradunt agriculturam Oenotros docuisse, cum prius essent pastores vagi, ac palantes, illisq; leges posuisse, & comessationes instituisse primumq; quapropter etiam nunc quidam illorum populorum, comessationibus vtuntur, & legibus quibusdam ab illo positis. Incolebant aūt eam

Italiæ partem quæ ad Tyrrheniam versa est, Opici, qui nunc cognomento Ausonij nominantur. alteram verò partem quæ ad Iapygiam & Ionium pertinet, incolebant Chaones, Syrtim appellatam, & ipsi quoque ab Enotris orti: inuentio igitur comessationum, hinc primum extitit. Diuisio autē ciuitatis per genera, apud Aegyptum incœpit. Sesostris .n. multis temporibus ante fuit, quàm Minos in Creta regnaret. Et alia ferè credendum est eodē modo inuenta fuisse frequenter in longo tempore, immo uerò infinities. nam & quæ necessaria sunt ad usum uitæ, indigentiam ipsam docuisse rationabile est: quæ autem ad ornatum & affluētiam, illis repertis, additamenta postmodum facta fuisse, ad expolitiorem uiuendi formam. quod eodem modo in constitutione rerumpublicarum accidisse credēdum est. Esse verò cuncta uetusta, signum est, quòd Aegyptij (quorum antiquitas maxima putatur) leges habuerunt, & ciuilem institutionem. Quapropter vtendum est ijs, quæ sufficienter tradita sunt, & quæ deficiunt, reperire conandum est. Quod igitur agri & possessiones eorum esse debent, qui arma tenent, quiq; partes sunt ciuitatis, dictum est: & qua de causa cultores illarum, alios esse oportet, & quanta, & qualis regio esse debet.

Sexta est pars huius capituli, in qua distinctionem factam ab eo, ortam fuisse ab antiquis ostendit exemplo Aegyptiorum, & Cretensium, & Italorum. textus est manifestus. *Periti homines*, vt historici. *Italum quendam*, Oenotriæ regem: Vnde illud Vergilii, Oenotrij coluere viri, nunc fama minores Italiam dixisse, Ducis de noīe gentē.

De distributione uerò ipsius regionis, & qui, & quales esse debent cultores, dicendum est primum. Quandoquidem neque communes quidem omnium censemus, esse debere possessiones, ut quidam tradidere, sed usu amicabili communes fieri, neq; deesse vlli ciuium alimenta. De comessationibus quoque uidetur omnibus utile esse, ut asint bene institutis ciuitatibus: quam uerò ob causam nobis quoque idem uideatur: postea dicemus. Oportet autem ciues uniuersos ad earum communionem admitti. at non facile est, ut qui pauperes sunt, contribuere statutam pensionem ex proprijs possint, & cæteram domum gubernare. Præterea in sacrificijs, cultuque Deorum sumptus communes esse debent totius ciuitatis.

Hoc est tertium capitulū huius tertii tractatus, in quo

philosophus, posteaquã docuit, quæ sunt necessaria optimæ ciuitati, ad hoc vt consistat, & quę sunt per se partes ipsius, nunc ostendit, quomodo sit distribuenda regio, tũ qui, & quales debẽt esse cultores. Diuiditur autẽ in tres partes, quæ suis locis declarabuntur. In prima igitur præmittendo suam voluntatẽ affert tres suppositiones: vna est, quod in republica bene instituta nõ debent possessiones omnium esse cõmunes, vt censuit Plato, sed cões fieri debent vsu quodam amicabili, & liberali fructuũ cõmunione, quia ad bene moratã ciuitatem, & liberalitatẽ ciuiũ spectat exhibere inuicẽ supplementa ad viuendũ necessaria, vt sit in omni parte sufficiens. Secunda suppositio est, ꝙ ad faciendas cõmessationes, licet vniuersos ciues vocari oporteat tam diuites, q̃ pauperes, tamen non est facile, vt egeni cõtribuant ex proprio & subministrẽt etiam necessitatibus familiæ suæ. Tertia suppositio est, ꝙ celebrari debet diuinus cultus cõmunibus expensis.

Est igitur necessarium in duas partes regionem diuidere, & aliam publicam esse, aliam priuatorum. Vtraq; illarum partium rursus diuidenda est, illius namq; partis quam publicam esse debere diximus, una pars Deorum cultui deputanda est, altera uero ad comessationum impẽsam. Rursus uero, priuati agri pars una ad proprias necessitates est deputanda, altera uerò ad ciuitatem, ut duabus sortibus unicuiq; distributis, amborum locorum omnes participes sint, Aequum.n. et iustũ ita se habet, et ad finitima bella concordantius. Vbi.n. hic modus non seruatur, alij facilè prosiliunt ad finitimorũ inimicitias, alij nimiũ illas refugiunt, et cõtra dignitatẽ. Quàobrem apud quosdã lex est, ut qui agros habẽt uicinos, hi non admittantur ad consiliũ belli aduersus illos suscipiendi, quasi ob priuatã sui causam rectè consilium dare non ualẽtes. agrorum igitur per hunc modum facienda est partitio ob causas antedictas.

Hec est secũda pars huius capituli, in qua philosophus ex suppositionibus allatis infert diuisionem regionis, & dicit, ꝙ debet in duas partes distribui, in publicam videlicet, & priuatã: publica rursus subdiuidenda ita, vt vna eius pars ad diuini cultus, altera ad cõmessationum impensam deputetur: priuata quoq; iterum est partiẽda ita

vt vna eius pars sit finitima ciuitati, altera remota à menibus ciuitatis, & in confinibus regionis locata. Et notãda est hæc priuatæ partis subdiuisio: nam posteaquã subdiuisit publicã partem in illas duas, quarum vna cultui diuino, altera comessationibus tribuitur, statim subdiuidit priuatã dicendo, quod rursus priuati agri pars, altera ad extremos fines regionis, altera versus ad ciuitatem .i. altera sit propinqua vrbi, altera remota, & confinis agris alterius ditionis. & hęc sñia ostenditur ex dictis sequẽtibus, quibus talis subdiuisionis causam assignare videtur.

Cultores autem ipsi quidem (si secundum uotum optandum est) serui esse debẽt, neq; omnes vnius generis, neq; animo elati, ita.n. ad faciendum opus utiles fuerint, & nihil noui ab eis metuẽdum erit in securitate degentibus. Secundo aũt loco barbari ministri, natura similes ijs, quos suprà diximus. horum autem in priuatis quidem agris & ipsi priuatorum dominorum sint, in publicis verò publici. quemadmodum autẽ seruis vtendum sit, & quare melius est omnibus seruis præmium libertatis esse propositum, postea dicemus.

Hæc est tertia pars huius capituli, ĩ qua philosophus, posteaq̃ diuisit regionem in publicã, & priuatã, & vtrãq; illarũ bifariã subdiuisit, nũc docet, quales debẽt esse cultores regionis, atq; agrorũ. nõ debent aũt esse ciues, vt supra ostẽsum est, verũ si ex voto essent eligẽdi, optandũ foret, vt essent serui, & publicæ partis agrorũ publici, & priuatę partis priuati: secundo loco essent barbari hoĩes ex optãdi, qui forent natura serui, sñia philosophi. Duo aũt præcipue cauenda esse dicit, vnũ ne sint oẽs eiusdẽ generis, alterũ ne sint nimiũ animosi ostẽdit ẽt inferius, ꝙ ad hoc, vt sint fideliores, proponẽdũ est eis p̃miũ libertatis.

Vrbs autem quod terræ, marisq; particeps esse debet, & quo ad totam regionem similiter esse debet cõis quãtum fieri potest, dictum est prius. ipsius autẽ ad seipsam, optãdum est positionem sortiri, ad quatuor respicientes. Primum ad sanitatem, quod est necessarium, ad orientem.n. solem conuersæ vrbes, et ad eos uentos qui inde perflant, salubriores sunt: secundo loco, quæ sunt secundum Boream sitæ: hæ nanq; sunt ad Hyberna potiores. In reliquis uero, ut ad ciuiles res, & ad bellicas, opportunè se habeat, ad bellicas quidem,

ut faci-

ut facilis sit ciuibus in aliena egreßio, hostibus uero difficilis aggreßio, ac difficilis circundatio. Aquarum autem et stagnorũ abundãtiam habeat, maxime naturale: quod si naturalis deficit, ex aqua pluuiali cisternæ & lacus, qui magnam uim aquarum suscipiunt, compareretur, ita ut inde aqua si quando obsiderentur, nunquã ob bellum deesse possit. sed cum oporteat de sanitate inhabitãtium curam habere, hoc autem sit primum in situ & qualitate loci, ut bene se habeãt, secundum in aquarum salubrium usu, in ea quoq; re est diligentia meritò adhibenda, quibus.n. plurimum & frequentisſimè utimur ad corpus, ea plurimum conferunt ad sanitatẽ: aquarum aũt, ac uentorum potentia, talẽ habet naturam. quapropter in ciuitatibus quæ rectè sapiunt, distinguẽdus est aquarum usus, si nõ oẽs sunt pares, nec abundantia sit earum aquarum, ut aliæ seorsum aquæ ad cibum & potum, aliæ ad aliam indigentiam deputentur.

Hoc est quartũ capitulũ huius tertij tractatus, in quo philosophus, posteaquã docuit, quomodo sit facienda distributio regionis, & quales cultores esse oportet, nunc considerat situm vrbis ad se ipsum. i. respectu sui ipsius, veluti de mœnibus, ac ædificijs, & alijs eiusdem generis. Diuiditur autẽ in quatuor partes, quę suis locis declarabũtur. Dicit igitur in prima philosophus, quod antea dictum est de situ vrbis quoad totã regionem, nunc autem videndũ est de positione eius ad se ipsam, & quatuor sũt considerãda. Primum verò, & ante oĩa habenda est ratio sanitatis, respectu aeris, atq; ideo oportet vrbẽ ad orientem esse conuersam, & expositã ad ventos orientales. Secundo ad Boreales, qui sunt occidentalibus, & australibus salubriores. Præterea ita debet esse locata, vt exitus ipsis ciuibus ad propulsandos hostes facilis sit, aditus verò hostibus ad inuadendum vrbem difficilis. Quarto loco considerandum est, vt habeat copiam aquarũ, & abundantiam tantam, vt suppeditare habitantium necessitatibus possit, si obsideretur. Verum cum in locanda vrbe maxime, & ante omnia sit ratio salubritatis habenda, vt diximus, ideo philosophus primum aeris boni, qui ex salubribus ventis fit. i. orientalibus, & borealibus, deinde aquarũ salubrium curã suscipiendam potissimum dixit.

Secundum Boream. Quia Boreales venti non mediocriter conferunt ſanitati,vt in œconomicis etiam docuit. Notandum, quòd magnus fit à nobis vſus aeris, & aquæ: in alijs enim intercapedines fiunt:ſed aere quia aſſidue ſpiramus,& reſpiramus, aſſidue ueſcimur: nam ſpiratio fit per aerem, & accedit aer vſq; ad cor, aliter enim ſuffocaretur. Vnde multum refert ad noſtrã ſanitatem conſeruandam ante omnia bonitas,vel ſalubritas aeris, deinde aquæ,qua etiam frequentiſſime vtimur.Notandum præterea,quòd quatuor ſunt partes principales, ex quibus perflant venti, videlicet orientales,occidentales,boreales,& auſtrales. Verum,vt quidã expoſitores dicunt, quia materia ventorum orientalium plurimum moratur ſub via ſolis,ideo tales venti ſunt calidiores: Et philoſophus in meteoris calidiores eſſe teſtatur: itaque ob ſuam caliditatem reſoluunt nubes, & aerem purgant. Aer vero purus multum confert ad ſanitaté, nubiloſus autem,& paluſtris,vt plurimum obeſt. Secundo loco ſalubres ſunt venti boreales,qa vehementes ſunt, & quamuis lentius flare incipiant,tamen vires acquirunt eundo, & aerem puriſſimum reddunt. conferunt etiam ad digeſtionem,impellendo caliditatem ad partes internas corporum. Auſtrales verò, & occidentales cum ſint oppoſiti iſtis plerunq; oppoſitos producunt effectus: nam,& vapores congregant, & aerem denſant, & alia eiuſmodi generis efficiunt, quæ non conferunt ad bonam corporum diſpoſitionem.

Loca.n.munita,non pariter cunctis ciuitatibus vtilia ſunt:vtputa arx,ad dominatum vnius,uel paucorum. in populari autem viuendi modo,æqualitas loci,in optimatum uero gubernatione, neutrum iſtorum, ſed magis crebra fortia loca.Priuatarum autem domorum forma, gratior eſt,& commodior ad cæteras res exiſtimatur, ſecundum recentiorem,et Hippodamium modum, ſed ad ſecuritatem hoſtium,tutelamq; ciuitatis,vtilior erat antiquorum ædificatio:habebant.n.illorum ædificia inextricabiles aditus, ex quibus niſi conſueti euadere vix poſſent:et inſcrutabiles latebras, ſi qui aggrederentur,quare vtriſq; horum participare debent:põt.n.hoc fieri ſi

ri, si quis ita disponat, vt solent agricolæ illos, quos vocăt quidam vinearum tramites. et non totă vrbem facere peruiam, sed portas quasdă, et loca: sic.n. et ad securitatĕ, et ad ornatū se bene habebit.

Hæc est secunda pars capituli, in qua philosophus considerat ea, quæ pertinent ad loca munita vrbis, & publica, & priuata. De publicis dicit, quòd non pariter, atque eodem modo cunctis speciebus rerum publicarum sunt accommodata, sed aliter, atque aliter, vt patet in textu. Secundo loco priuatarum domorum habenda ratio est, quarum formam nouam introduxit Hippodamus gratiorem, & commodiorem antiqua, sed minus munitam: fieri tamen potest, dicit philosophus, vt vterque modus seruetur si instituant illas, vt tramites vinearum, more rusticorum, & totam vrbem non faciant vndequaque penetrabilem.

Mœnia verò qui dicunt nō oportere adesse ciuitatibus illis quæ virtutem poßideant, nimium prisce loquuntur, et hoc uident per experientiam reprobatum in ijs ciuitatibus, quæ id sibi ad gloriam iactabant: est.n. ad pares, ac non multò excedentes multitudine, non satis decorum per mœnia seruari velle: sed cum aliquando id contingat, & fieri poßit, vt multo maior hominum multitudo ac maior uirtute superueniat, si saluos esse oportet, neq; perire, neq; contumelijs affici, firmißimam munitionem murorum putandum est opportunißimam esse in bello, præsertim hoc tempore, in quo tormenta et machinæ ad obsidiones urbiū, cum omni subtilitate sunt adinuentæ: simile est.n. ciuitatem non circundandam esse mœnibus censere; & regionem facilem ad inuadendum quærere, & deijcere montuosa loca, & priuatis domibus non circundare parietes, quasi uiles futuri sint ciuitatis habitatores. atqui ne id quidem latere oportet, quòd qui mœnibus circundantur, licet eis in vtranq; partem vti vrbibus, & tanquam habentibus muros, & tanquam non habentibus, sed eis qui mœnia non habent, non licet. Si ergo per hunc modum se habet, non solum mœnia circundanda sunt vrbi, uerumetiam curandum, ut & ad ornatum ciuitatis se habeant decenter, et ad bellicas opportunitates, tum ad alias, tum ad illas quæ nunc sunt repertæ: ut enim aggreßoribus cura est, quibus modis vincant: ita quædam iam reperta sunt, quædam inuestigare atq; philosophari oportet

tet

tet eos qui defendunt, à principio enim non aggrediuntur expugnare eos qui bene se præparauerint.

Hæc est tertia pars capituli, in qua philosophus affert quorundam priscorum opinionem, qui dicebāt, non oportere optimam ciuitatem, & studiosis munitam ciuibus mœnibus circundari, atq; eam refellit pluribus rationibus. Primum quia experiētia compertum est etiam ijs ciuitatibus, quæ virtute suorum ciuium confidebant, quàm inutile fuerit carere mœnibus, & tangere videtur ijs dictis ciuitatem Lacedæmoniorum, quibus profuissent muri, cum cesserunt victoriæ Thebanorum. Nam timendum est, ne aliquando maior, & præstantior multitudo superueniat foris, quàm sit vrbana: itaq; multum valere potest ad huiusmodi vim repellendam, præsidium murorum. Idem etiam probat similitudine regionis, & priuatorum ædificiorum comparatione. ostendit quoq; quod habentes mœnia ciuitatis, possunt vti præter virtuté etiā mœnibus, & nō vti, vt exigentia postulat. Itaq; non obstant in aliquo mœnia, quin possint ciues virtute præstantes ita se gerere, ac si ea non haberentur, & tamen parata habere vtile est, quando necessitas peteret. Quare vrbes circundandæ sunt mœnibus non solum ad præsidium ciuitatis, sed etiam ad ornatum. Maxime verò inquit, hac tēpestate adhibendus est ciuitatibus murorum ambitus, quia expugnatores vrbium multos habent vincendi modos, & machinarum species omni subtilitate inuentas. Fuit .n. Aristoteles tempore Alexandri, quo bellandi studia viguerunt, & multa inuenta fuere genera machinarum, pauloque deinde noua etiam addita à successoribus Alexandri, præsertim à Demetrio Antigoni filio, vt nos ex eius vita, quam ex Græco in Latinum traduximus, compertum habemus. Quin etiam ex machinis, instrumentisq; bellicis vrbium expugnator est dictus. *Quædam inuestigare, atq; philosophari eos, qui defendunt,* vt Archimedem præstantissimum geometram fecisse tradunt pro tuenda patria, eo tempore, quo M. Marcellus expugnauit in Sicilia Syracusas.

Cum

Cum uero multitudo ciuium in comessationes distributa esse debeat, mœnia uero sint præsidijs quibusdam & turribus per opportuna loca interpositis munienda, clarum est, quod res exigit aliquas comessationum, in illis ipsis præsidijs collocari. & hæc quidem per hunc modum itaq; uidentur constituenda.

Hæc est quarta pars huius capituli, ĩ qua philosophus docet quomodo se habere debent ædes, in quibus exercentur munera præcipua ciuitatis: nam cum ciuium cœtus in varias comessationes sit distributus, vt rerum conditio exigit: defensoribus vrbis constituenda sunt receptacula in ipsis mœnibus, vt sunt turres, atq; præsidia, & comessationum loca.

Aedes uero deorum, ac principalissimæ magistratuum comessationes, idoneum locum habere debent, & eundem, sacra quotcunq; lex non separat, aut responsum oraculi. esset autem talis locus quisquis supereminentiam haberet ad virtutis positionem sufficienter, et ad uicinas partes ciuitatis excellenter. Decet aũt sub hoc loco constructionem fori esse talem, qualis est in Thessalia, eius quod liberum uocant, idest, quod debet esse purum ab omni mercatu, & neque opifices, neque agricolas, neque alios vllos tales illi appropinquare, nisi à magistratibus uocarentur: fuerit verò hic locus gratior, si gymnasia seniorum sint in eo constituta: decet enim secundum ætates distribui hunc ornatum, & in iunioribus magistratus quosdam versari: seniores autem, magistratibus assistere. Præsentia enim magistratuum ante oculos posita gignit ueram reuerentiam, liberalemque pudorem. Venalium autem rerum, aliud forum esse debet, & alio loco situm, congressu facile, quo & à terra, & à mari, facilis sit importatio omnium.

Ostendit quomodo se habere debeant ædes cultui diuino accommodatæ, & etiam principalissimis comessationibus attributæ. Debent.n. esse eminentissimæ, atque excellentissimæ ædes illæ vbi diuina celebrantur, & in loco eximio constitutæ. Nam omnis honor, & gloria debetur Deo nostro omnipotenti, quãdo homines non habent quicquã maius, quod suo creatori, cui omnia debẽt exhibere, vlterius possint. addit præterea quod sub huiusmodi loco bene cõstitueretur forum liberum, in quo officia

officia libero homine exercerentur, & inter alia bene se haberet talis loci constructio, si partes essent distinctæ, ita vt alia accommodata foret gymnasijs atq; operationibus seruorum, alia exercitationibus iuniorum, liberalibus atque ingenuis. Non enim debent eadem esse loca senioribus, & iunioribus constituta, sed diuisa secundum ætates. Eorum præterea rerum venalium debet à superiori esse distinctum, & in alio loco situm, vt patet in textu. *Liberalemq; pudorem.* i. timorem ingenuum, & liberalem. Duplex est enim timoris species, inquit philosophus in libro œconomicę, vna species est cum reuerentia, & pudore, qua vtuntur ad patres filij modesti, & ciues bene morati ad beneuolos gubernatores: altera cum inimicitia, & odio, sicut serui ad dominos, & ciues ad tyrannos, iniustos, & iniquos se habere plerunque solent: de prima loquitur hic philosophus.

Cum uero multitudo ciuium diuisa sit in sacerdotes, & magistratus: decens est, sacerdotibus circa ædes sacras esse comessationes institutas. Magistratuum autem quicunq; de contractibus ius dicũt, et qui de accusationibus cognoscunt, & qui circa vocationes in ius & aliam huiusmodi administrationem intendunt, & insuper qui ædilitatis & vrbanarum rerum curam gerunt, iuxta forum in loco celebri, communiq;, sunt comessationes statuendæ: talis est locus illius fori, in quo necessaria venundantur: nam alterum illud forum superiori loco situm, debere esse diximus otiosum, hoc autem ad negotia rerum necessariarum deputari.

Declarat loca sacerdotum comessationibus opportuna, sita esse debere prope ædes sacras, magistratuũ verò, qui præsunt cõtractibus, & aliis rebus eiusdẽ generis, iuxta forũ emptionis, & venditionis, vt sit locus cõmodus, & talis vt est locus illius fori, vbi res necessariæ agũtur.

Hunc eundem ordinem in regione imitandum esse dicimus: sunt enim magistratus quidam apud rusticos, quos alij syluarum custodes, alij agrimensores appellant, quibus & loca ad custodiam regionis, & comessationes sunt ijsdem in locis constituendæ. Templa quoq; per regionem distributa esse debent, partim dijs, partim heroibus: sed immorari circa ista superfluum est, cum sint illa non difficilia

cilia cognitu, sed magis factu, dicere.n. uoti est, euenire autem fortunæ. quapropter circa talia insistere, ad præsens omittamus.

Ostendit philosophus eundem ordinem, vel similem in regiones, atque in agro esse seruandum, quia oportet apud rusticos esse magistratus, non qui constituantur ex rusticis, cum non sint ciues in optima republica, de qua loquitur philosophus, sed ex ciuibus, & ij præsint rusticis. sunt igitur simili modo loca comessationum constituenda, & sacræ ædes collocandæ, & alia eiusdem generis prouidēda, quorum diligentiorē considerationem facere superfluum esse videtur: nam dicere hæc, est voti, inquit philosophus, quasi ista dicere, positum est in nobis, sed vt mandentur executioni, externis bonis, vel externo subsidio indigent.

De re autem publica ipsa, ex quibus & qualibus constare debet ciuitas quæ beata sit futura, & recte gubernari, dicendum est: Duo sunt, in quibus omnis consumatio bene agendi consistit: vnum, ut propositum, ac finis agēdi recte subiaceat: aliud, ut eas quæ ad illum finem ferant actiones, inueniamus: fieri enim potest, ut & concordent hæc inter se, & discordent, nam quandoq; id ad quod intenditur, recte se habet, sed in actionibus per quas illo potiri credimus, aberratur: quandoq; autem omnia ad finem diriguntur, sed finis ipse est praue positus, quandoq; etiam in utroq; est error, uelu ti circa medicinam, cum nec quale sanum esse corpus oporteat, recte interdum iudicant, nec ad propositum sibi finem opera recte diriguntur. Oportet autem in artibus & scientijs hæc utraque obtineri finem, & eas quæ sunt ad finem actiones. Quod igitur bene uiuere ac felices esse omnes cupiunt, manifestum est, sed alijs potestas est adipiscendi, alijs non, propter fortunam aliquam, uel naturam: opus est.n. adiumentis quibusdā ad bene uiuendum, minoribus quidem illis, qui melius dispositi sunt, maioribus autē qui peius: alij vero statim non recte quærunt felicitatem, cum possint.

Hic est quartus tractatus huius septimi libri, in quo philosophus postea quam declarauit, quę requirantur ad consistentiam ciuitatis, & quæ sunt per se partes optimæ reipublicæ, & quæ non sunt, & alia multa, quę supponenda erant ex parte finis, & materiæ ciuitatis, nunc prose-

quitur ostendendo ex quibus,& qualibus constare,debet optima ciuitas, & resumit intentionem suam principalem,quæ est constituere optimam rempublicam,& ciuitatem,quoad fieri potest felicem: verum ad hoc constituendum oportet felices esse ciues,qui in tali republica versantur,& studiosos. Hæc satis est eos habere optimam complexionem,& aptos natos esse ad consequendas virtutes,nisi adiungant consuetudinem,& disciplinam. Videndum est ergo, vt à primo ad vltimum resoluamus, quomodo fiant studiosi, & ex ijs studiosa ciuitas,& omnino felix quoad fieri potest. Diuiditur autem hic tractatus in quatuor capitula: in primo considerat felicitatem quæ est finis vitę humanæ: in secundo ostendit eam consistere in operatione,vel in vsu virtutis perfecto: in tertio declarat, qbus modis euadere possint ciues studiosi: in quarto docet,quomodo sint à prima pueritia educandi,& erudiendi. Primum capitulum diuiditur in quinq; partes. dicit igitur in primis, quod nunc videndum est suppositis necessarijs,quæ supponenda erant ad constitutionem optimæ ciuitatis: videndum est inquam,ex quibus, & qualibus propinque constituatur. Debet.n. optima ciuitas,& omnino felix ex studiosis, & felicibus constare ciuibus: ad hoc autem consequendum seruanda sunt duo, in quibus bene viuendi fundamentum consistit, vnum,vt rectus proponatur finis,alterum, vt operationes mediæ,quæ ducunt ad talem finem,sint etiam rectæ. Nam fieri potest,vt ista conueniant,& etiam discordent: conuenient autem,si finis bonus proponatur à nobis in operando,& media etiam sumantur bona: at euenire potest, vt discordent, si alterum eorum sit bonum, alterum malum. fieri etiam potest in vtrisq; error, videlicet, vt finis constituatur malus, & mediæ operationes etiam malæ producātur,vt exemplo medicinæ ostēdit philosophus. Ad hoc autem,vt bene se habeant res in cunctis artibus,ex facultatibus,oportet, vt hęc vtraq; adsint,& finis bonus,& media bona,sicut in libro ethicorum ostendit etiam philosophus, vbi dicit, quod virtus moralis

moralis intentionem facit rectã, disponendo nos ad consequendum bonum finem : prudentia verò ostendit bona media, quæ ad illum finem perducunt. Quando igitur ista duo coniunguntur, vt finis ponatur bonus, & media bona eligantur, tunc oritur optima viuendi ratio, & omnino ipsa felicitas, quam omnes assequi cupiunt. Sed nõ omnibus est à natura æqualis aptitudo, vel habilitas cõsequendi: nec omnibus adsunt eæ facultates, quibus non superfluis, sed moderatis, & necessarijs quasi instrumentis vtantur ad operandum. Alij igitur hæc non eo modo, quo oportet, habent: alij uero, si habent, non quęrũt felicitatem ea via, & ijs medijs, quibus debent: quare si felicitas non eis acquiritur, id fit, aut quia nõ rectus proponitur finis, aut non recta via, & debitis medijs pergitur ad illum, aut vtroq; modo fit error. *Sanum corpus*, id est, aut simpliciter sanum, vel sanum vt nunc.

Cum autem propositum nostrum sit optimam rempublicam videre: ea verò est, per quam ciuitas optimè gubernetur: optimè aũt gubernatur, si felicitatem maximè recipiat: manifestum est, quòd quid sit felicitas, latere non debet. Diximus autem in Ethicis (si modo illorum librorum vtilitas vlla est) operationem esse, & vsum virtutis perfectum, & hunc non ex suppositione, sed simpliciter, dico autem ex suppositione, quæ necessaria sunt: simpliciter autem, quod in seipso commendationem habet: veluti, circa res iustas iudicare, punire, supplicio afficere, à virtute quidem est, sed necessaria & ex necessitate bene se habent: eligibilius namq; foret, nullo tali indigere, nec hominem, nec ciuitatem. At verò ad honores, et opes, simpliciter sunt optimæ actiones: nam alterum quidẽ mali alicuius gratia electio est: hæc autem contrà: præparamenta.n. bonorum sunt, & generationes. Studiosus.n. vir, & paupertate, & morbo, et alijs fortunæ aduersitatibus, laudabiliter vtetur: veruntamen felicitas in contrarijs existit: nam et hoc determinatum fuit in Ethicorum libris, quòd talis est studiosus, cui per virtutem sunt simpliciter bona patet autem, quòd, & vsus istos necessarium est studiosos, & bonos esse simpliciter. Quapropter existimant homines, externa bona. causam esse felicitatis: ceu si quis bene pulsandi causam putet esse lyram magis quam artem.

Hæc eſt ſecunda pars huius capituli, in qua philoſophus oſtendit qualem rempublicam eſſe oportet, quam intendit optimam,& oſtendit,quod ea optima eſt reſpublica,ſecundũ quam ciuitas optime gubernatur: optime autem gubernari dicitur,cum felicitatẽ cõſequitur, atq; in ea perſiſtit.& ſtatim ad hoc propoſitum repetit diffinitionem felicitatis in lib.Ethic. allatã, videlicet quod felicitas eſt operatio,& vſus virtutis perfectus.Dixit aũt in ethicis,virtutem perfectam in vita perfecta : hic vero operationem,ſeu vſum perfectum,quod in idẽ.redit cõmuni expoſitorum ſententia,& addit,non ex ſuppoſitione,ſed ſimpliciter. nam quædam dicimus bona ex ſuppoſitione,quę ſunt neceſſaria,vt actiones nonnullæ à iuſtitia prouenientes, quæ non ſunt de ſe eligibiles, ſed neceſſariæ dicuntur reſpectu conſeruationis ciuilis ſocietatis,vt in medicina potiones,inciſiones,& alia eiuſdem generis,quę de ſe non ſunt eligibilia,ſed reſpectu ſanitatis cuius aguntur. Eodẽ modo de punctionibus à iuſtitia prouenietibus dici poſſet,quæ etſi,iure, ac iuſte tribuantur delinquentibus,tamen eligendum eſſet potius,vt reſpulica non indigeret illis,& quod maleficia nõ committerentur,ſed cum facinoroſi homines agunt ea,quæ ſunt punctione digna, tunc vt minus malum eligitur à ciuitate pœna potius, quàm impunitas,reſpectu finis,qui eſt conſeruatio ſocietatis humanæ , & bene viuendi gratia. At operationes ſimpliciter bonæ dicuntur eæ,quæ in ſe habent cauſam , cur immediate eligantur, ut operationes rectæ circa honores,& pecunias: nam diſtributiones bonorum ſecundum dignitatem perſonarum,vel operationes ſecundum magnanimitatem, vel ſecundum virtutem innominatam , quę verſantur circa honores : item liberales,atq; magnificæ operationes,quæ verſantur circa pecunias , ſunt ſimpliciter bonæ , & eligibiles de ſe, non ſopponendo aliquod prius , quod eligatur reſpectu finis conſequendi vt dictũ eſt antea.Probat idem exemplo ſtudioſi viri , qui etſi res aduerſas æquo animo ferre poteſt, & rebus aduerſis laudabiliter vti, tamen amplior,

plior, & frequentior ei occurrit operandi facultas ex contrariorum vsu, ideſt ex uſu perfecto externorum bonorum: indiget enim felix, vt deſcribitur à philoſopho, bonis corporis, & quibuſdam adiumentis externis, in vita præſertim actiua ad operandum: & quamuis bona animi ſint illa, quæ proprie eſſentiam talis felicitatis conſtituant, tamen alia bona moderate ſumpta, ideſt conuenienti menſura requiruntur, vt inſtrumenta, & vt felix poſſit expedite, & ſine impedimento operari: impeditur. n. ægritudine interdum, vel ſuarum rerum iactura, vel alijs huiuſmodi calamitatibus, quo minus producat habiliter ſuas operationes, præſertim in uita ciuili. Et quamuis illa fortiter ferat, vt diximus, tamen impedimento ſunt & in alijs actibus producendis: Et verſa vice viuatur ſanitate, & ſufficienti menſura externorum bonorum, vt artifex inſtrumento. talis enim ſtudioſus eſſe uidetur, cui per virtutem bona ſunt ſimpliciter bona, ut præſeferunt verba philoſophi in quinto Ethicorum, vbi dictum fuit, bona externa eſſe ſimpliciter, & de ſe bona. Verum alicui non ſemper ſunt bona: nam probo uiro mediocriter ſumpta, bona quidē ſunt, tanquam inſtrumenta ad exercitationes uirtutum, improbo uero mala propter abuſionem illorum. Et addit ulterius, quòd homines ea bona, quæ de ſe, & ſimpliciter talia eſſe uidentur, appetunt, atque ſibi adeſſe precantur, de ipſorum uſu parum cogitantes. Et ideo neceſſarium eſt, inquit, uſus ipſorum eſſe laudabiles, & bonos ſimpliciter. hincque fit, quòd plerunque homines externa bona exiſtimant cauſam eſſe felicitatis, ob ſimilitudinem, ſeu propinquitatem decepti: credunt enim, quod bona externa, quorum uſus bonus, & ſtudioſus eſt à uirtute, ſint cauſa felicitatis, ſicut eſt ipſa uirtus. quod non ſecus accidit, quàm ſi dicerent, liram bene pulſandi cauſam eſſe magis, quàm artem, quod uidetur eſſe abſurdum. Ex quibus patet, iſta bona exiſtimari à philoſopho, ut inſtrumenta, quæ etſi de ſe bona eſſe dicantur, tamen diuerſificantur ſecundum uſum ita, ut

bona esse videantur bene vtentibus, alicui tamen non bona, videlicet prauis, & ijs, qui eis abutuntur. Ex dictis infertur, quod in huiusmodi bonis per se non consistit felicitas, sed in operatione intellectiua secundum prudentiam, aut sapientiam, ut hoc loco dicit Sanctus Thomas, exponens mentem philosophi, & quamuis requirantur secundum quandam mensuram, tamen ordinantur ad operationem, & ideo non habent rationem vltimi finis, nec ex consequenti rationem felicitatis, sed instrumentorum, ut sæpius dictum est. *Dico autem ex suppositione*, scilicet esse talia. *Mali alicuius, gratia electio est.* Hoc fit cum duobus propositis malis, & maius fugiendum putatur, minimum eligitur.

Necessarium est autem ex ijs quæ dicta sunt, alia subesse, alia parare legispositorem: ex quo secundum votum optamus ciuitatis constitutionem in ijs, quorum domina est fortuna: dominam enim illam posuimus: sed studiosam esse ciuitatem, non est fortunæ opus, sed scientiæ ac electionis: atqui studiosam esse ciuitatem, est ciues illos qui in republica versantur, esse studiosos: nobis autem omnes participes sunt reipublicæ. Hoc igitur considerandum est, quomodo uir fiat studiosus. nam si contingit omnes esse studiosos, non autem iccirco oporteat singulos ciuium, quo pacto foret optabilius: sequitur enim ad singulos, & omnes esse.

Tertia est pars huius capituli, in qua philosophus ostendit, qualis debeat esse ciuitas optima, & omnino felix. Patet enim ex dictis, quòd alia debent subesse, quę non sunt in arbitrio nostro constituta, vt ea quæ sunt à natura, uel à prosperitate externa: alia uero parare debet legis lator, & proponere nobis, quæ disciplina, & electione, quoad fieri potest, consequamur, idest bonas consuetudines, & bonas constitutiones, quibus eruditi ciues, & boni, & studiosi, ac omnino felices euadant: nam si ciues sint studiosi, & ciuitas erit studiosa: hoc autem fiet per disciplinam, & bonas leges, quarum modum ipse inferius ostendit: oportet igitur omnes ciues optimæ reipublicæ esse studiosos, & quia omnes sumere possumus, vel singulos diuisim, uel collectiue,

lectiue, omnes simul dicit philosophus, quòd optabilius esset, omnes simul sumptos esse bonos, si fieri posset, quia sequitur ad singulos esse, & omnes esse, & illud quod est posterius secundum viam generationis, est perfectius, vt compositum, seu mixtum, ex elementis perfectius est, quàm elementa. Est autem principalis intentio legis latoris, ut omnes sint studiosi, & est eius finis: vult enim singulos esse bonos, ad hoc, ut omnes sint boni, & aggregatum illud ex singulis, tanquam totum ex partibus euadat bonum. *Alia subesse*, non bona interna, sed alia, vt dixit etiam in primo Ethicorum. Ceterorum inquit bonorum alia subesse necessarium est, alia ad comparationem, & usum conferunt. instar instrumentorum. *Nobis autem*, idest nostra sententia. *Nam si recipiatur*, idest si contingeret, ut omnes esse possent studiosi, absque hoc, quòd singuli sint studiosi, esset optabilius: utroq; enim existente eligibile posterius, quod habet rationem finis, eligibilius erit.

Atqui boni quidem & studiosi fiunt per tria: sunt autem hæc tria, natura, mos, ratio etenim nasci oportet primum, ceu, hominem, & non aliud animal, & sic qualem aliquem secundum corpus & animam: Quædam etiam nasci nulla utilitas est: mores enim mutari faciunt: nam aliqua per naturam ad vtraque apta, per mores ad peius, uel ad melius conuertuntur: cætera igitur animalia maximè viuunt secundum naturam, parum uerò aliquid ut secundum mores: homo autem, & secundum rationem, solus enim rationem habet. Itaque oportet simul concordare hæc: multa enim præter mores, etiam præter naturam agunt homines, propter rationem, si persuadeatur melius esse aliter agere. Natura igitur quales esse oportet eos qui legum positori sint parituri, determinatum est prius. Reliquum opus est iam disciplinæ, quædam assuescendo.

Quarta est pars huius primi capituli, in qua philosophus ostendit quot, & quibus euadunt homines studiosi, & affert tria, videlicet naturã, morem, & rõnem: nã primum oportet aptitudinẽ adesse naturalẽ, vt antea in x. Ethicorum etiã tetigit. volunt enim philosophi presup-

poni in subiecto aptitudinem bonā ad suscipiētem formam: siquidem quod recipitur in alio recipitur per modum recipientis: itaque oportet primum ad hoc, vt eua dat studiosus, nascatur homo, & non aliud animal: sed animal rationale, & habens bonam complexionem seu dispositionem deseruientem potentijs animę, idest aptitudinem quandam naturalem ad suscipiendas virtutes accommodatam. Requiritur præterea mos, vel consuetudo bona: non enim sufficit natura, cum ad vtrumlibet se vertere possit, nisi accedat bona consuetudo. Quippe neq; natura, vt inquit philosophus secundo ethicorum, neq; præter naturam insint nobis virtutes, sed sumus nos ad illas suscipiendas apti natura: suscipimus autem illas, atq; perficimur per consuetudinem. Quod si consuetudo est bona, tunc boni, sin mala mali euadimus, vt etiam fit in artibus. Bene enim, vel male cytharizando boni, vel mali fiunt cytharedi, & omnino quales sunt operationes, tales habitus subsequuntur: itaque oportet non solum aptos esse natura, sed adiungere etiam consuetudinem. Præterea requiritur ipsa ratio: nam bruta viuunt maxime instinctu naturali, vt phantasia, & huiusmodi potentijs sensitiuis, parum aut secundum consuetudinem: homo vero, & secundum rationem, quia solus inter animalia rationem habet. Itaque, vt dictum est, requiritur domina ratio, quæ sibi obtemperantem faciat appetitum sensitiuum, multa enim agunt homines præter naturam, & consuetudinem persuasi à ratione. Cum aliud magis ostenditur à ratione, quàm illud, ad quod trahebantur natura, & consuetudine, veluti interdum ipsi accidit continenti, in quo sit pugna inter appetitum, & rationem, & tandem ratio superat appetitum. Nam, & si proponantur homini continenti voluptates, & appetitus sensitiuus quo quo modo moueatur, tamen persuasus ratione omittit voluptatem, & sequitur id, quod est melius sibi ostensum à ratione. Quare illa tria requiruntur, & oportet, vt simul cōueniant natura, mos, & ratio, idest aptitudo naturæ, & consuetudo bona, & ratio

tio dirigens. Verum cum dictum sit prius, quales natura esse oporteat ciues optimæ ciuitatis, nunc videndum restat, quomodo sint euasuri tales secundum disciplinã, intelligẽdo sub nomine disciplinæ rationem, & morem, Quare, & consuetudinis bonæ consideratio habenda est, & etiam ipsius doctrinæ, quia virtutes partim assuetudine comparantur, partim perceptione. Tria igitur allata requiruntur, vt diximus, ad hoc vt euadant homines studiosi, quorum natura est, vt fundamentum, & terra mos, & consuetudo, vt cultura, ratio, vt agricola inducens bonam suasionem, bonamq; doctrinam in ea, vt in agro bene culto, qui semina sit nutriturus, vt in decimo ethicorum ait philosophus. Quædam assuescendo, idest partim assuescendo, partim audiendo, discuntur.

Cum verò omnis societas ciuilis constet ex imperantibus & parentibus, hoc iam cõsiderandum est, vtrùm aliós esse oportet qui imperant, & alios qui parent, an eosdem per vitam. Patet enim quod & disciplina secundùm hanc diuisionem sequi debebit.

Quinta est pars huiùs capituli, in qua philosophus ostendit quales oportet esse ciues secundum disciplinã: nam antea declarauit, vt diximus, quales oportebat esse natura, restabat ipsa disciplina, sub qua mos, & ratio quo quo modo contineri videtur. Dicit igitur, quòd cum omnis ciuilis societas constet ex imperantibus, & parentibus, quòd etiam in primis tetigit libris, quærendum est, vtrum in optima republica oporteat alios continue imperare, an eosdem quandoq; imperare, quandoq; parere: nam sicut se habet hoc, consequenter se habebit ipsa disciplina. Etenim si alij sint continue imperantes, alij verò continue obedientes, vt non permutentur, procul dubio alia erit omnino imperantium, alia omnino parentum disciplina. Sin vero ijdem sint nunc imperantes, nunc parentes, vt vicissitudinem subeant imperandi, atque parendi, tunc quoquo modo eadem erit, quoquo modo non eadem.

Si ergo tantum different alteri ab alijs, quantum Dij, & heroes ab hominibus differre putantur, vt primum statim corpore, ac po-

ftea animo longe antecellerent, ac manifeste indubitateque appareret eorum supereminentia, clarum est quod semper eosdem istos melius foret imperare, alios parere, sed cum facile non sit hoc reperire, neq; est (ut apud Indos Scylax esse ait) reges tantum à populis differre, manifestum est, quod propter multas causas necessarium est, ut omnes similiter participes sint uicissim imperandi, & parendi: æquum enim idem similibus, et difficile est stare rem publicam, quæ constituta sit præter iustitiam: cum illis enim qui ab imperando excluderentur, concurrerent omnes qui sunt in regione, statum mutare cupientes, & tantam esse multitudinem in reipublicæ gubernatione, ut sit potior istis, unum aliquid impossibilium est.

Soluit philosophus quæstionem illam ostendendo, quod si reperiantur excellentissimi viri, qui in bonis corporis, atque animi tantum præstent, quantum illi, quos Gentiles appellabant Heroes cæteris hominibus pręstare dicebantur, vt Silax de Indorum regibus inquit, procul dubio talis, vel tales deberent esse continue imperantes, cæteri vero assidue parentes, vt etiam in præcedentibus libris ostendit. verum quia difficile est vnum, vel plures excellẽtissimos reperire eo pacto, quo dictum est, ideo modum afferimus, quo ijdem imperent, & pareant, vicissitudinẽ subeuntes, quod iustum esse videtur: primum quia non est æquum, vbi non reperitur tanta super excellentia virtutis, imperium apud eosdem semper manere quin potius æquum est, vt ij, qui sunt pares, & similes uicissim participes sint imperandi, atq; parendi, secundũ aliud, atq; aliud tempus: deinde sequeretur, quod inter similes, & æquales perfectione quidã continue imperarent, alij cõtinue parerent. resp. tale fundamentum habens præter iustitiã esset parum stabilis, causamq; præberet illis à gubernatione exclusis mutandi statũ ciuitatis, quod siquis diceret hoc nõ sequeretur, q̃a gubernãtes erunt potẽtiores, dicit philosophus, quod impossibile est tantã esse multitudinẽ, vt sit potẽtior illis, ex eo quia exclusi erunt sine dubio plures propter concursũ hominum totius regionis ægreferentium illiusmodi guberna-

nationem, & per consequens erunt potentiores. Quare non debet fieri inter æquales, vt alij continue dominentur alij continue pareant: sed ijdẽ participes esse debent imperandi, atque parendi, secundum aliud atque aliud tempus.

At enim ꝙ oporteat eos qui in magistratu sunt differre à subditis, indubitabile est: quomodo ergo hæc futura sunt, & quomodo participant, considerare debet legis lator, vt prius de hac re diximus: natura enim ostendit hæc, quemadmodum distinguenda sunt: fecit enim eosdem genere, alios iuniores, alios seniores, quorum alteri parere debent gubernantibus, alteri gubernare: indignatur autem nemo propter ætatem maiori concedere, nec putat illum qui cedit potiorem se esse, præsertim cum et ipse quando ad id ætatis peruenerit, eundem honorem sit recepturus: est ergo ut eosdem esse dicere, eos qui parent & imperant, est etiam vt diuersos.

Cum dictũ sit, liberos homines, & in republica æquales participes esse debere vicissim parendi, & imperandi: videndum est, quomodo hoc fieri possit: imperantes & parentes differunt inter se, vt præesse atq; subesse etiã differt: & tamen dicimus, quod similes similiter debeut esse vtriusque participes. Hoc aũt quomodo constituendum sit, ostendit philosophus ex ordine naturæ, quo fit, ut prius sint iuuenes, quã senes, ex quo prius parere debent, quàm imperare. Et sic à minus perfecto ad magis perfectum fiet progressio. Debet autem in optima republica, in qua studiosi præsupponuntur ciues, magis perfectus dominari, nec iniquo animo ferunt iuuenes cedere senibus, vt prudentioribus, præsertim cum sciant eadem ætate se eosdem honores esse habituros: in senibus enim plerunque consilium est. Vnde Romani præcipuum regimen ciuitatis, quasi conflatum ex senibus senatum appellarunt. Ex ijs dicere possumus, quòd ijdem erunt homines aliquando parentes, aliquando imperantes, diuersi vero, vt iuuenes, & senes, & secundum diuersas ætates diuersa habentes officia imperandi, atque parendi, & sic soluitur quæstio, quod erunt aliquo modo ijdem, aliquo modo non ijdem, vt supra

ſupra etiam dictum fuit, vbi determinatum eſt de partibus optimæ ciuitatis.

Itaque, & diſciplinam, vt eandem dicere neceſſe eſt, & vt diuerſam: qui enim imperare velit rectè, oportere aiunt ipſum prius ſub imperio fuiſſe.

Conſequenter ſoluenda eſt alia quæſtio, quæ ſequebatur ex illa, licet vtrum ſit eadem diſciplina imperantis, atque parentis: ideo philoſophus oſtendit, qui ſicut parentes, & imperantes ſunt iidem, atq; diuerſi, ſic etiam erit diſciplina quoquo modo eadem, & quoquo modo diuerſa: nam ex eo, quòd diuerſi ſint ætate, & officio imperandi, atq; parendi, alia erit ſenum imperantium, alia iuuenum parentium diſciplina, atq; diuerſa. Eadem verò erit, quia diſciplina eſt ſimilium hominum, & liberorum. Et quia oportet eundem obtemperando addiſcere, quæ poſtea oportet imperantem facere.

Imperium verò, vt primis libris dictum fuit, aut gratia imperantis eſt, aut gratia ſubiectorum: horum alterum ſeruorum eſſe diximus, alterum liberorum. Mandatorum verò quædam inter ſe differunt, non in agendo, ſed in cuius gratia. Quapropter multa quæ videntur eſſe miniſtrorum opera & adoleſcentum, liberis hominibus pulchrum eſt miniſtrare: ad pulchrum enim & non pulchrum non tantum differunt actiones propter ſeipſas, quantum in fine & gratia cuius.

Vt autem materia, de qua agitur, magis eluceſcat, repetit philoſophus quædam in præcedentibus libris allata, oſtendendo quod duplex eſt imperium, vnum ſeruorum, aliud liberorum ſeruorum eſt, cum imperans principaliter ſuæ vtilitatis gratia imperat, liberorum vero, cum quæritur bonum eorum, quibus imperatur, vel bonum commune. Hoc ſecundo modo dicuntur ſenes iuuenibus imperare: eſt enim quodammodo paternum imperium, vnde apud Romanos Senatores curæ ſimilitudine dicebãtur patres. Iuuenes igitur, vt filij eis obedient, & obediendo imperare diſcent, vt poſtea imperent cum ad ſenectutem peruenerint. Eſt autem, vt in tertio huius philoſophus inquit, præſidentia quędam per quàm

præeſt

præest similibus genere,& liberis hominibus,& hanc dicimus esse ciuilem præsidentiam, quam eum, qui præest didicisse parendo oportet.Ceu præfectum equitum,cum ipse prius sub alio fuerit, & exercitum ducere, cum ipse prius in exercitum per inferiores militiæ gradus ductus sit. Quam ob rem recte dicitur neminem bene imperare posse,qui non ipse prius sub imperio fuerit. Vt autem ad propositum reuertamur,duplex est imperium, vnum seruorum, aliud liberorum : sunt autem officia quædam seruis,& liberis accommodata,idest que conueniunt non solum seruis ad dominos,sed etiam adolescentibus erga senes. Ea tamen differunt non in agendo, nec respectu operationum, quæ fiunt,sed respectu finis, gratia cuius aguntur. nam operatio serui est principaliter ad bonum domini : operatio liberi adolescentis est principaliter ob perfectionem suam, vel ob bonum commune : atque ex eo fit, vt eadem operatio quę competit seruo competat,vel conueniat etiam iuueni libero diuersis respectibus,& ratione diuersi finis gratia cuius agitur.

Cum vero ciuis, & magistratum gerentis eandem virtutem esse dicimus,quæ est optimi viri, & eundem prius parere debere postea imperare, hoc vtique erit legum positori intuendum, & laborandum,vt viri boni efficiantur,& per quæ exercitia,& quis finis vitæ optimæ.

Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo philosophus posteaquam ostendit, qui in optima republica quoquo modo eadem disciplina est imperantis, atque parentis, & quoquo modo non eadem : nunc considerare intendit, quænam exercitationes,quæ institutiones inducant eiusmodi disciplinam, vt ea instructi ciues boni, & studiosi efficiantur : hoc enim propositum nostrum,& legum latorum principalissimum esse debet.Verum quia ratio istarum rerum ex vltimo fine sumenda est,ideo de vltimo fine vitę humanæ est considerandum, & sic considerationem eius aggreditur. Et quamuis,antea philosophus felicitatem vltimum finem humanum, eamq; optimam operationem animi, vel vsum virtutis perfe-

perfectum esse dixerit, tamen hic eandem resumit, & manifestius exprimit. Diuiditur autem hoc capitulum in tres partes, quæ suis locis declarabuntur: in prima parte philosophus dicit, quod declaratum est, videlicet in tertio huius, eandem esse virtutem ciuis, & præsidentis, in optima republica, quæ est optimi viri, & quomodo prius parere oportet eum qui postea debet imperare. Curandum est igitur hoc à legum latore, & considerandum, quęnam sint illa media, quibus viri boni efficiantur, & quisnam sit optimæ vitæ finis, vt hæc vtraque bene conueniant, sicut dictum est antea.

Diuisæ autem sunt duæ partes animæ, quarum altera per se rationem habet, altera non habet quidem per se, uerumtamen rationi obtemperare potest, quarum diximus esse uirtutes illas, per quas uir bonus dicitur quodammodo. sed in utra istarum magis est finis? ijs qui ita diuidunt, ut nos fecimus, ambiguum non est, quō sit dicendū. semper.n. deterius. gratia melioris est: patet hoc in ijs, quæ sunt secundum artem, & in ijs quæ sunt secundum naturam melius autē id quod rationem habet. Diuiditur autem dupliciter, ut nos consueuimus diuidere: est enim ratio illa actiua, alia contemplatiua. Sic igitur necesse est & hanc partem diuidere, & clarū est quod actiones correspondenter se habere dicemus, & oportet eas actiones quæ sunt meliores secundum naturam, magis expetendas esse ab ijs, qui consequi possunt, aut omnes, aut duas: semper enim cuiq; , idest maximè expetendum, quod consequi est summum.

Cum omnis prope consideratio proposita nuper à philosopho pendere videatur ex illa conditione, quod fieri nō potest, vt sit quisq; felix, nisi percipiat finem, ad quem tendit: ideo philosophus præmissa sua intentione declarat, quisnam sit finis iste, qui quæritur, idest optimæ vitę, & ostendit quod consistit in operatione virtutis cōtemplantis. Ad hoc declarandum præmittenda est distinctio partium, idest potentiarum animæ: nam ostensum est antea quòd non in bonis externis, non in bonis corporis, sed in bonis animi consistit proprie humana felicitas. Atque, vt hæc clarius innotescant, sumit philosophus duas partes, seu potentias animæ, quarum altera

tera rationalis dicitur ſecundum eſſentiam, atque naturam, altera irrationalis, quæ tamen particeps rationis dici poteſt: non quòd de ſe habeat rationem, ſed quia eſt apte nata obtemperare rationi, vt in primo ethicorum latiſſime patuit, in hac parte, ſeu potentia animæ, quæ eſt appetitus ſenſitiuus, philoſophus virtutes morales: in parte autem, ſeu potentia rationali ſecundum eſſentiam, virtutes intellectiuas collocare videtur. Hęc autem potentia rurſus à philoſopho dupliciter ſumitur aut actiua aut contemplatiua: contemplatiua autem eſt longe præſtantior, ergo, & operatio, quæ eſt ſecundum eam, dicetur eſſe nobilior. Hac diſtinctione præmiſſa arguere poſſumus hoc pacto: vltimus finis, & omnino felicitas vitę humanæ ponenda eſt in operatione animi, vt ſæpius dictum eſt, & in operatione ſecundum eam potentiam, quæ eſt præſtantiſſima: ſed mens ſpeculatiua dicitur eē huiuſmodi à philoſopho, ergo in eius operatione ponenda erit vltimus finis, & ſuprema felicitas vitæ humanæ. Patet ratio, quia nobilioris potentiæ ſecundum naturam nobilior eſt operatio, atque perfectio. Quod autem ſpeculatiua ſit prestantior, quàm actiua, hoc apparet ratione nobilioris obiecti, vt dicit Sanctus Thomas, & conſequenter operatio eius erit prestantior, vt diximus, & magis expetenda, atque ex eo ſubibit rationem finis reſpectu actiuarum operationum, quæ ad contemplationem ordinantur. Nam ſi volumus gradatim conſiderare potentias animę, vt philoſophus in primo ethicorum conſiderat, incipiemus primum à vegetatiua, quæ eſt omnino expers rationis, nec vllo modo rationalis dicitur, nec ſecundum eſſentiam, nec ſecundum participationem: deinde accedemus ad potentiam animæ, quæ eſt irrationalis ſecundum eſſentiam rationalis, ſecundum participationem in quantum eſt apta obtemperare rationi: talis autem eſt appetitus ſenſitiuus, in quo virtutes morales collocantur. Vlterius veniemus ad partem animæ rationalem ſecundum eſſentiam. Ea autem eſt duplex, vt philoſo-

philoſophus ait, actiua, & ſpeculatiua. ſpeculatiua ſuprema eſſe uidetur huius philoſophi ſententia, & conſequenter perfectio, & operatio ciuis erit præſtantiſſima reliquarum. talis auté eſt contemplatio, quæ circa perfectiſſimum uerſatur obiectum, & ſui gratia quæritur. ergo contemplatio erit ultimus finis humanus: homo enim debet continue, quantum in ſe eſt, pergere ad meliora, & primum frequentatis actibus uirtutes morales acquirere, & ipſam prudentiam: demum ad ſapientiam peruenire, ſi poteſt, & ſecundum eam operari, cum actiuæ operationes ad contemplatiuam uiuendi rationem, tanquam ad ultimum finem rerum humanarum, referantur, & in uita humana maxime expetédum. quod ſi quis ſupremam illam contemplandi uitam attingere non poteſt, ſaltem morales, & actiuas uirtutes conſequi ſtudeat, tenendo eum uirtutis curſum, quem poteſt, & pergendo ſemper ad meliora, ut dictum eſt ſupra. *Duæ partes*, ideſt duę potentię.

Diuiſa eſt autem uita tota in negocium & ocium, bellumq́; et pacem. Et agibilium quædam ſunt neceſſaria & utilia quædam honeſta, in quibus neceſſe eſt eandem eſſe electionem & partibus animæ, & ipſarum actionibus, bellum quidem gratia pacis, negocium autem gratia ocij, neceſſaria et utilia, gratia honeſtorum. Ad cuncta igitur hæc aſpicere debet, qui legem ponit, et ad partes animæ, & ad illarum actiones: magis uero ad ea quæ meliora ſunt & fines. Eodem modo & circa uitas, & rerum diuiſiones, poſſe enim oportet, & in negocio uerſari, et in bello: præferenda tamen eſt pax & ocium: neceſſaria & utilia agere poſſe: præferenda tamen ſunt honeſta. Itaq; ad hæc tanquam ad ſignum, & pueri adhuc exiſtentes, & aliæ ætates quæ indigent, per diſciplinam ſunt dirigendæ.

Conſequenter philoſophus procedit ulterius ſuã intentionem probando hoc pacto: ſicut ſe habent inter ſe potentię animę, ſic ét operationes, & uiuendi modi, ſed potentiæ ſic ſe habent, vt ignobilior ſit propter nobiliorem, ita etiam erit de operatione, & vita, ideſt de ratione uiuendi, quia minus bona ordinabitur ad meliorem, quouſque inueniamus optimam, ideſt contemplatiuam,

quam

quam vltimum finem in rebus humanis dicit esse philosophus: quo inuento animus noster, quantum humana conditio patitur, quiescit. Est igitur negociosa viuendi ratio gratia quiescentis vitæ, & omnino negocium ob ocium, & bellum ob pacem. Vnde in rebus agendis perspicere licet, quod agibilium quædam sunt vtilia, quædam honesta, & vtilia sunt gratia honestorum. Quare dicendum, quòd in operationibus animę talis seruandus est ordo, qualem de potentijs diximus: nam ignobilior est gratia nobilioris: sic operatio, & vita ignobilior ob nobiliorem erit, & negocium gratia tranquillitatis, & quietis, & bellum gratia pacis, & vtilia honestorum gratia erunt. Ex quibus patet, quod in quiete, & tranquillitate animi, & omnino in ipsa contemplandi ratione erit optimæ vitæ finis. Hæc, aliaq; eiusdem generis philosophus affert in decimo ethicorum similē sententiam latissime exprimens. Notandum est autem, quòd philosophus, cum dicit ocium, non intelligit inertiam atque desidiam, sed ocium moderatum, atq; honestum, & cum ipsa contemplandi ratione coniunctum. Est enim operatio quędam quieta, atq; tranquilla, in qua viri boni, & sapientes sedatis perturbationibus, quantum humana conditio patitur, felicissime viuunt. Post hæc philosophus infert ex dictis, quòd legum latores ad hæc omnia respicientes curare debent, vt homines à prima etiam ætate bona disciplina instituantur, & potentiæ rationales, quæ sunt in nobis, bonis habitibus imbuantur, atque ex his producantur operationes bonæ, & ipsi ad meliora continuæ progrediantur, vt gradatim ascendendo optimę uitæ finem inueniant, idest tranquillitatem illam, de qua dictum est antea, quam ciues, & ciuitas tanquam propositum sibi signum spectare maxime, & principalissime debent. *Diuisa est autem uita*, idest diuisa est operatio vitæ, & uiuendi ratio.

Nam qui nunc Græcorum recte gubernari videntur, & legum latores, qui eas respublicas instituere: neque ad optimum finem videntur aspexisse cum respublicas instituerent: neque ad omnes virtutes,

tutes, disciplinam & leges direxisse: sed onerosæ declinauerunt ad illas virtutes, quæ videntur vtiles, ac plus habere faciunt. Similiter quoq; posteriorum quidam scriptores, opinionem suam ostenderunt: laudantes enim Lacedæmoniorum rempublicam, admirantur, & commendant legislatoris propositum, quod omnia ad potentiam, & ad bellum direxerit, quæ, & per rationem refelli possunt, & per facta ipsa nunc reprobata sunt, vt enim plurimi hominum dominari latè cupiunt, quoniam exinde multa proueniunt fortunæ commoda, sic Thibron admirari laudareq; uidetur Lacedæmoniorum legumlatorem, & quicunq; alter de repub. scripsit illorum, quod propter exercitationem eorum ad pericula, multorum dominationem sibi compararunt.

Secunda est pars huius capituli, in qua philosophus affert institutionem quorundam legum latorum ab hac sua sententia diuersam, atque eam refellit. Dicit enim quod quidam Græcorum recte gubernari dicuntur, & eorum respublicæ à conditoribus legum recte institutę putantur, quia dirigunt ciues ad exercitationes bellicas, vt longe, lateq; dominentur, vtilitatis magis, quàm honestatis rationem habentes. Admirantur autem quidam Lacedęmoniorum rempublicam, & propositum legis latoris in hoc laudant, quòd ciues suos direxerit ad imperium bello, & armis amplificandum. sed hæc sententia refelli rationibus potest, & experientia ipsa est reprobata dicit philosophus. Est enim huius institutionis finis vtilitas: nos autem honestatem, & omnino felicitatem reipublicæ quærimus.

Atqui patet, quod cum non habeant nunc dominationem Lacedæmonij, nec felices amplius sint, nec legumlator eorum bonus.

Refellit hanc institutionem pluribus rationibus, primum quia illa institutio, etsi finem dominandi non honestum, sed vtilem, vt illi credebant reipublicæ Lacedæmoniorum, præponeret, tamen eum quicunq; esset, obtinere non potuerunt.

Insuper illud ridiculum, si permanentes in legibus eius, nulloq; impediente, illis legibus vti, omiserunt bene viuere.

Affert aliam rationem hoc pacto, illa institutio non

est dicēda bona, qua respublica manentibus suis legibus nullo etiam impediente, quominus illis vtatur, amisit suum bene viuere: at Lacedæmoniorum reipublicæ hoc euenit, ergo talis institutio non est dicenda bona.

Non rectè verò suscipiunt, neque de dominatione, ad quam intendisse legislatorem ostendunt. nam imperium liberorum melius est, ac magis ex virtute, quàm dominari vt seruis.

Tertia ratio est hoc pacto, illa institutio non est laudanda, quæ dominationem non rectam constituit: at Lacedæmoniorum institutio, & similis illi est huiusmodi, ergo non est laudanda. Nam duplex imperium Philosophus ponit, vt antea vidimus, vnum respectu liberorum, quo fit, vt liberi homines paterno gubernentur imperio, & bonum quæratur eorum, qui parent, aut bonum commune: aliud est quodammodo herile, vt ita dicam, quo fit, vt omnia referantur ad commodum dominãtis, & non subditorum. Lacedæmonij igitur, cum dominari alijs velint, aç vi, & armis, eos sibi vt seruos subigere, nõ habent rectam institutionem.

Præterea, non propter hoc ciuitas est felix existimanda, neque legislator laudandus, quoad vincere docuerit, et finitimis dominari: hoc enim magnum continet nocumentum: nam manifestum quod aduersus ciues, si poterit, id aget, & ciuitati suæ quæret dominari. de quo accusant Lacedæmonij Pausaniam regem, licet in tanta dignitate constitutũ. Nec sanè aliqua huiusmodi ratio, aut lex ciuilis, nec utilis, nec uera: eadem enim optima priuatim et publicè, legumlatorem inducere oportet in animos hominum. Nec exercitatio rerum bellicarum ob id est meditanda, ut in seruitutem adigant immerentes: sed primum, ne ipsi seruire alijs compellantur: deinde, vt imperium quærant, gratia utilitatis subiectorum, non autẽ omnium dominationem: tertio ut eis dominentur, qui seruire sunt digni.

Quarta ratio talis est, quod illa institutio non est laudanda, quæ dominari docet, & alios superare, quia hoc potest ciuitati suæ magnum detrimentum afferre. Nam poterit, quis hoc uti in ciues suos occupando rempublicam, & imperium sibi ui & armis uendicando, ut quidam ex antiquis fecisse traduntur, qui, ut orator inquit,

omnia iura diuina, & humana euerterunt, vt non solum alijs, sed suis etiam ciuitatibus imperarent: quare illa institutio, quæ ciuitatem inducit, vt alijs dominetur, potest eidem ciuitati vehemẽter nocere, quia perinde erit de vno ciue respectu propriæ ciuitatis, vt de ciuitate respectu aliorum. nam si vna ciuitas hunc finem sibi proponit, vt alijs dominetur, vnus ciuis occasionem nactus sibi proponere potest similem finẽ, vt reliquos ciues subiiciat, ac eis dominetur. Concludit ergo, quòd talis institutio, & quæcunque similis illi, si recte iudicare velimus, neq; vtilis est, nec ciuilis, nec vera. non.n.instruendi sunt ciues, vt vi, & armis compellant homines ad seruitutem, præsertim immerentes.

Quod autem oporteat legislatorem studere magis, ut ordinatio sua & circa res bellicas, & circa aliam institutionem ad ocium & ad pacem referatur, facta certè sermonibus attestantur: nam pleræq; talium ciuitatum, bellum gerentes conseruantur, sed cum dominationem adeptæ sunt, destruuntur, splẽdorem.n.ueluti ferrum, per pacem amittunt: causa huius est legum positor, qui non ita instituit, ut in ocio stare possint.

Declarat nunc philosophus conclusionem, & sententiam supra allatam contra institutionem Lacedæmoniorum, & aliorum eiusdem generis experientia multarum ciuitatum, quæ omnes suos conatus ad bellum vertentes, posteaquam adeptæ sunt imperium, corruerunt, quia præter artem bellicam non habebant virtutes, quibus in pace bene rempublicam gererent, ac firmam, & stabilem redderent: itaque aut in se ipsas verterunt arma, quod postea Romanis cõtigit, aut voluptatibus deditæ sibi ipsis exitium peperere. quare legumlatorum institutiones ad quietem, & tranquillitatem, vt ad vltimum finem optimæ vitæ humanæ ciues suos, & ciuitatem dirigere debent.

Cum ergo idem finis uideatur publicè & priuatim hominibus, & eundem finem necesse esse sit uiro optimo, & optimæ reipublicæ, manifestum est oportere uirtutes eas quæ ad ocium spectant, illi inexistere. finis est.n.(ut sæpe iã diximus) belli, pax: negocij, ociũ.

sum

sunt autem vtiles ad ocium & quietē virtutes, quarum opus est in ocio,& quarū in negocio:oportet.n.multa necessariorum nobis adesse,ut liceat in ocio esse. quapropter temperatam ciuitatē esse oportet,ac fortem,& patientem.nam ut est in prouerbio. Nullum ocium est seruis: qui vero non possunt fortiter pericula subire, serui sunt inuadentium. fortitudine igitur & cōstantia opus est ad negocium, philosophia uerò,ad ocium: temperantia & iustitia,in utroq; tempore, sed magis in pace & ocio. nam bellum quidē ipsum cogit homines esse iustos & temperatos: fortunæ autem prosperæ fruitio,& ocium cum pace,petulantes magis facit. Multa igitur iustitia,multaq; temperantia indigent hi,qui in optimo statu constituti uidentur,& in fruitione omnium rerum,quæ beatos facere putantur:ueluti si qui sunt (ut poetæ tradunt) in beatorum insulis, maximè .n.hi philosophia,& temperantia, & iustitia, indigerent, quanto magis ociosi sunt in abundantia talium bonorum.

Tertia est pars huius capituli, in qua philosophus posteaquam ostendit felicitatem, & optimæ vitæ finem consistere in operatione contemplatiua, & improbauit eorum sententiam, qui felicitatem in potentia bellica, & amplitudine imperij ponere videbantur, nunc ostendit,quod oportet vnumquemque ciuem optimum, & optimam ciuitatem, atque felicem habere omnes virtutes tam actiuas, quàm speculatiuas. Probatur, quia oportet,vt habeant omnes virtutes, quæ ordinantur ad contemplationem, & tranquillitatem mentis: sed tam actiuæ, quàm speculatiuæ sunt huiusmodi: ergo oportet ciuitatem optimam, & quemlibet ciuem optimum, atque felicem habere tam actiuas, quàm speculatiuas virtutes: maior est clara ex antea dictis, quibus ostensum est,vltimum finem humanum, ad quem omnes nostræ exercitationes ordinantur, positum esse in contemplatione, & tranquillitate mentis: minor quoque parum indiget declaratione: dictum est enim sæpius,& in decimo Ethicorum, & in hoc septimo libro, quod negocium gratia est ocij, idest tranquillæ contemplationis: quare tam virtutes actiuæ, quàm non actiuæ ordinantur omnes ad quietem,& tranquillitatem mentis, &

patet conclusio, quod ciuitati, & cuilibet ciui felici, tam actiuas, quàm speculatiuas virtutes adesse oportet. nam contemplatiuæ videntur præsupponere actiuas, quia si finis est cõtemplatio respectu actiuarum operationum, oportet præexistere, quæ sunt ad finem. *Eandem diffinitionem*, idest eundem terminum, & finem. *Patientem*. i. constantem. *In optimo statu*, idest in magna, aut summa prospe ritate: non.n. cuiusuis est hominis, vt in quinto philosophus inquit, prosperitatem ferre.

Qua igitur de causa beatam, & studiosam futuram ciuitatem his oporteat præditã esse virtutibus, manifestum est. turpe enim est, non posse frui bonis; sed in negocijs quidem & bello, viros probos videri: in ocio autem, & pace, seruiles. Quamobrem oportet, non quemadmodum Lacedæmoniorum ciuitas, virtutem exercere. illi enim non eò ab alijs differunt, quod non putent eadem maximè bona quæ cæteri, sed eò quod prouenire illa existimant magis, per aliquam virtutem. Quoniam verò maiora sunt hæc bona, quàm ea quæ belli, & fruitio eorum quàm virtutum, & quia illius gratia, manifestum est ex his.

Concludendo philosophus dicit, quod ex supradictis apparet, ciuitatem, quæ sit futura felix, huiusmodi virtutibus indigere, vt illa, de qua sæpe locuti sumus, tranquillitate fruatur. Turpe est enim præstare officium probi, & studiosi viri in bello, in pace autem vitam seruilem ducere, quo tempore homines possunt magis vacare operationibus mentis: Quòd si hoc est, procul dubio ciuitas, quæ est futura studiosa, & felix, non debet tantum se vertere ad virtutem, idest fortitudinem, & uirtutem bellicam, vt faciebant Lacedæmonij, sed maiora, & meliora complecti, & consequi, idest virtutes non solum actiuas, sed etiam ad contemplationem pertinentes. nam Lacedæmonij conueniunt in hoc cũ alijs, quod maxima hominis bona putant esse operationes secundum virtutem, sed differunt postea in eo, quia sibi persuadent, hoc fieri per vnam virtutem bellicam. Nos autem existimamus per virtutes morales, & actiuas veniendum ad sapientiam, & operationem ipsius, atque in ea,

tanquam

tanquam in ultimo fine vitæ humanæ quiescendum censemus,cum huiusmodi bona per se maxime sint expetenda in vita humana,cętera propter illa. *Et fruitio eorum, quàm uirtutum.* quidam exponũt,fruitio eorum bonorum, videlicet contemplationis, est præstantior, & maior, q̃ virtutum,scilicet moralium,vel actiuarum: alij dicunt quod illa maiora bona sunt magis fruitio, idest vsus, & actus quàm virtutum.i.habitus:quasi dicant,quod magis in vsu,& actu consistunt,quàm in habitu.

Quomodo autem & per quæ id erit,utiq; considerandum: diximus utiq; supra diuidentes,quod natura, & more, & ratione indigemus: ex his autem quales aliquos natura esse oportet,determinauimus. Restat uidere,utrum ratione prius,an moribus sit eruditio facienda: hæc enim simul concordare debent optima concordatione,contingit enim,rationem aberrare ab optima suppositione, & similes per mores duci.

Hoc est tertium capitulum huius tractatus, in quo philosophus docet, quonam pacto, & per quæ ciues boni & studiosi fieri possunt: idem proposuerat antea: sed quia ratio horum sumenda erat ex cognitione vltimi finis humani, ideo considerationem fecit de eo, paulo ante, ut uidimus,& de eo disseruit: denique suam sententiam aperuit proponens ipsum tanquam signum, quod ciues, & ciuitates recte se habentes intueantur, & quantum in eis est consequi studeant. Hoc ergo constituto videamus, quæ nam sint media, quibus ciues studiosi efficiantur. Diuiditur autem hoc capitulum in nouem partes, quæ suis locis declarabuntur: in prima igitur parte philosophus resumit illa tria, videlicet, naturam, morem, rationem. De natura autem satis sufficienter dictum est antea à philosopho, cum ostendit, quales oportebat esse natura, & cuius complexionis, & aptitudinis naturalis ad virtutes suscipiendas eos, qui futuri essent ciues in optima ciuitate. Relinquitur nunc, vt consideremus rationem, & morem, idest,vtrum prius instruendi sint secundum rationem & mentem,qui futuri sunt studiosi: an secundum morem,

& appetitum ſenſitiuum. Verùm oportet iſta duo ſibi inuicem correſpondere, vt rectæ rationi coniungatur bona cõſuetudo, & ratio appetitum ſibi obſequentẽ reddat: hoc.n.pacto erit concordia bona: nam mala eſſet concordia, ſi ratio à mala conſuetudine traheretur, & peruerteretur naturalis ordo. Quare curandum eſt, vt principium ſumatur bonum,& quod prius natum eſt perfici, prius perficiatur. Contingit enim aliquando, dicit philoſophus, rationem aberrare ab optima ſuppoſitione, videlicet non ſupponendo bonum, vel optimum finem,& duci per mores ſimiles aberrantes,quo fit cõcordia mala: oportet igitur, vt conueniant bona concordia,ideſt, vt bona cõſuetudo coniungatur rectæ rationi.

Clarum eſt hoc, primum quidem quemadmodum in alijs, quod generatio eſt à principio, & finis à principio aliquo alterius finis, ratio autem nobis,& mens naturæ finis: quare ad hæc generatiõnem,& morum inſtitutionem parare oportet.

Secunda eſt pars capituli, in qua philoſophus declarat ordinem,quem ſequi debet inſtitutio legum latoris, & oſtendit.quam ſequendo viam generationis,prius curandum eſt de diſpoſitione corporis,quàm animæ,& appetitus irrationalis, priuſquam intellectus, & mentis: nam ſecundum viam generationis in omnibus,in quibus eſt aliquis finis, prius incipiendum eſt ab illis, quæ ſunt gratia illius: deinde perueniendum ad ipſum finem.Verum in præſentia patet, quod corpus eſt propter animã, & appetitus irrationalis ob rationem, & intellectum in actu: ergo incipiendum eſt à corpore, pergendo ad animam,& ab ipſo appetitu ad mentem, & rationem. patet talis ordo ex his,quę ſunt ſecundum naturam,vel artem quod generatio incipit ab aliquo imperfecto,& terminatur in aliquod perfectum in genere ſuo, vel in finem illius generationis,vt in ædificatione domus perſpici poteſt. Quare in homine inſtruendo incipiendum eſt, ab imperfecto, ideſt à diſpoſitione corporis, & ab inſtitutione appetitus ſenſitiui: & demum veniendum ad mentem,& intellectum in actu, qui in humanis operationibus

bus est finis, ad quem ordinantur, & terminantur precedentia. *Generatio est à principio*, idest incipit ab aliquo principio imperfecto, vt fit in ædificatione domus. Quòd si erit continuatio, semper illud, quod precedit erit principium sequentis operationis, quousq; ad vltimum terminum accedatur. *Quare ad hæc*, idest oportet, vt institutio, & studium circa mores ordinetur ad rationem, & intellectum, vt ad finem: intellectum inquam actu, & perfectum in tali genere, vt antea diximus.

Deinde, vt anima, & corpus duo sunt, ita quoq; duas esse videmus animæ partes, vnam irrationalem, alteram quæ habet rationem, habitus quoq; earum duos, quarum altera est appetitus, altera mens. Vt autem corpus in generatione antecedit animam, sic pars irrationalis antecedit eam partem quæ rationem habet. patet id in pueris, quibus statim ira, & voluntas, & concupiscentia existit: at ratio, et mens procedente ætate, in illis fieri natæ sunt. Quapropter corporis curam necesse est prius suscipere, quàm animæ: deinde appetitus. curam tamen appetitus, gratia mentis: curam verò corporis, animæ gratia.

Eandem sentẽtiam declarat hoc pacto: in institutione humana incipiendum est à prioribus secundum viam generationis: sed corpus est huiusmodi respectu animę, & appetitus respectu intellectus, & rationis: ergo sicut incipiendum est a corpore pergendo ad animam: sic etiam ab appetitu pergendo ad rationẽ, & mentem: istarum autem duarum potentiarum, scilicet appetitus sensitiui, & mentis duo sunt habitus, qui ipsas perficiunt, videlicet ipsius appetitus est virtus moralis, mentis vero intellectiua virtus: verũ sicut corpus secundum viam generationis præcedit animam, ita appetitus irrationalis præcedit intellectum seu rationem in actu. Hoc apparet in pueris, quia in illis appetitus irascibilis, & cõcupiscibilis, vt exponit Albertus, maxime viget, quin etiam voluntas, quæ est appetitus rationalis, plerunque in pueris, & uiuentibus secundum animi perturbationem traditur ab appetitu sensitiuo. Vincit autem interdum appetitus in hominibus voluntatem: interdum hęc

illi,vt philoſophus dicit in tertio de anima: viget ergo in pueris uehementer iraſcibilis & cõcupiſcibilis. Mens aũt & ratio procedente tempore magis vigent, niſi malis habitibus obuiantur. Sic igitur patet quod uia generationis irrationalis potentia præcedit intellectum in actu,non aũt præcedit nobilitate & prioritate perfectionis. Quòd ſi via generationis præcedit,ut diximus, incipiendum eſt ab ipſius cura, & diſpoſitione: cura tamen corporis ſuſcipienda eſt gratia animi, & appetitus gratia rationis & mentis: ad cuius perfectionem ſunt operationes antecedentes,tanquam ad vltimum earum finem (vt apparet ex dictis philoſophi) ordinandę. Notãdum, quod ſunt non nulli,qui in ordine doctrinæ prius à ſpeculatiuis quàm à moralibus incipiendum putant. philoſophus hoc in loco cum prius ab inſtitutione appetitus, quàm mentis incipiendum eſſe oſtendat, velle videtur, vt à doctrina virtutum moralium,quæ appetitum,priuſquam à ſpeculatiuis,quæ mentem pręficiunt,initium ſumatur,& curam appetitus gratia mentis ſuſcipiendam, dicit: quaſi velit vt diſcamus primum affectus noſtros per virtutes morales comprimere,deinde ſedatis perturbationibus gradatim ad habitus ſpeculatiuos, & omnino ad contemplationem,tanquam ad vltimum finem operationum noſtrarum,accedamus. Notãdum,quod philoſophus affert diuiſionem potentiarum animæ,videlicet vnam irrationalem, alteram rationalem, quarum quidem potentiarum altera appetitus, ſcilicet ſenſitiuus: altera mens dicitur. Duos quoque habitus talium potentiarum eſſe dicit, ſcilicet perfectiuos, intelligendo per tales habitus virtutem moralem, & intellectiuam,ſicut in fine primi Ethicorum latiſſime declarauit.

Si ergo ab initio prouidendum eſt à legis poſitore, ut optima ſint corpora eorum qui educantur, primo quidem circa coniugia prouidere debet, qua ætate, & cuiuſmodi exiſtentes ſunt in matrimonium copulandi. Hoc autem inſtituere oportet hanc ſocietatem, & legis poſitorem inſpiciendo ad ipſos, & ad uitæ tempus, ut ætatibus in idem temporis concurrant, nec diſcrepet gi-

gnendi potentia. Viro autem generare adhuc potente, si mulier ipsa concipere non possit, vel muliere quidem ad concipiendum apta, si vir ipse non possit, lites ac discordiæ inter ipsos oriuntur.

Tertia est pars capituli, in qua philosophus ostendit oportere legis latorem primum afferre ea quæ pertinét ad bonam dispositionem corporum, quæ sunt ut instrumenta animę. & potentiarum eius: Verum quanto instrumenta sunt aptiora, tanto anima potest melius operari vt Cytharedus cum cytharã habet bonam, potest bonas operationes producere. Itaque si oportet (vt antea dictum fuit) homines aptos esse natura, aptitudo vero multum prouenit ex bona complexione & temperamento instrumétorum corporis, bona autem complexio & dispositio corporum multum ab initio prouenit ex bona dispositione generantium in actu, quæ fit per coniuntionem vxoris & viri congruo tempore, & congruis circumstantiis seruatis, proculdubio prima nostra consideratio esse debet circa coniugium: vt quantum ex parte nostra proficere possimus, ad bonam complexioné & dispotionem corporum conferamus. ostendit igitur philosophus quod in ętate congrua fieri coniugium debet pluribus rationibus. Coniugium ea ætate constitui debet, qua vir generare & vxor concipere congrue potest: at non in quacunque ætate hoc fit, sed in ætate congrua & determinata, ergo in ætate congrua & determinata debet coniugium fieri. patet ratio, quia si esset discrepantia in ætatibus, vt altera pars generare posset, altera non concipere, vel contra, tunc frustra talis copulatio facta videretur. Præterea fugienda est causa litis & discordiæ in ipso coniugio. atque ideo statuenda est ætas vxori & viro correspondens, vt incipiant dare operam generationi tempore vtrisque congruo, & simul desinant.

Ad filiorum quoque susceptionem est inspiciendum: oportet enim ne nimis distent ab ætate parentum: quoniam nec ipsi senioribus gratiã referre vllã possunt, nec parentes filijs alimenta præstare

Nec

Nec etiam nimis proximi accedere debent filij: habet enim hoc turbationem non paruam: nam minor futura est reuerentia huiusmodi filiorum erga genitores, vtpote qui quasi sint æquales: & circa gubernationem domus, querelæ ex ista quasi paritate solent prouenire.

Alia est ratio hoc pacto, si habẽda est ratio filiorum, vt neque distent nimium ab ætate paterna neque nimis proxime accedant ad eam, statuendum est tempus congruum, quo mas, & fœmina matrimonio coniungantur. At primum est, ergo & secundum. Patet ratio, quia si distantia ætatis esset nimia, cessaret officium, quod est liberis in parentes, & parentibus in liberos: sin vero nimia propinquitas, cessaret reuerentia filiorum erga parentes: & in gubernatione rei familiaris confusio quædam oriretur.

Insuper vnde cœpimus huc peruenimus, vt corpora natorum sint secundum legis positoris voluntatem.

Tertia ratio sumitur ex antedictis. Nam si curandum est quantum opera nostra conferre potest, vt corpora producantur apta, ad exercendas operationes secundum imperium animæ, & potentias eius, quæ imperare debent, curandum est quoq;, vt mas, & fœmina congrua, & determinata ętate matrimonio coniungantur: at primum est, ergo & secundum. patet ratio, quia non parum proficit ætas congrua, & vtrisq; conueniens ad producenda corpora temperata, & apta ad obsequium animæ, & potentiarum eius, quæ imperare debent, vt est intentio legis latoris.

Fere quidem hæc omnia proueniunt per vnam diligentiam. nam cum sit finis gignendi, vt plurimum viris quidem septuagesimus annus, mulieribus autem quinquagesimus, ita coniugandi ab initio sunt, vt ætatibus ad hunc finem concurrant.

Quarta est pars capituli, in qua philosophus posteaquam docuit quòd statuenda est ætas coniugij à legis latore, nunc declarat, quænam sit illa ætas congrua matrimonio, & quasi subit vicem legis latoris, atque ostendit, quod terminus generandi in masculis vsque ad. lxx.

in fœminis vſque ad quinquaginta annos peruenit communi curſu naturæ: eſt enim talis terminus in mulieribus breuior: quia ſunt frigidioris, & humidioris complexionis, quàm mares. Habent enim corpora virorum naturaliter maiorem caliditatem,& ſiccitatem: ideo gignendi vis vlterius conſeruatur in eis. Quare ſi coniugia contrahantur circa eam ætatem,quàm deſignat philoſophus,congruo tempore incipient, & congruo tempore deſinent vtriſq; vires, huius philoſophi ſententia, atq; ex eo ceſſabunt abſurda ſuperius allata.

Eſt autem adoleſcentium coniunctio improba, ad filiorum procreationem. in cunctis enim animalibus, iuueniles partus imperfecti ſunt: & fœminæ crebrius quàm mares, & parua corporis forma,gignuntur,quocirca neceſſe eſt hoc idem in hominibus prouenire. Huius autem coniectura fuerit,quod in quibuſcunque ciuitatibus conſuetudo eſt adoleſcentes mares,puellasq; coniugari,in eiſdē inutilia,& puſilla hominum corpora exiſtunt.

Hac in parte philoſophus oſtēdit,quod in adoleſcentia coniunctio maris, & fęminę eſt imperfecta ad generationem,& hoc declarat pluribus rationibus: primum, experientia animalium reliquorum, quia vniuerſaliter vel communiter iuniorum fœtus ſunt imbecilles: quod euenire videtur ex imperfectione talium generationum nam in ea ætate abundat in maſculis magna humiditas, quæ facit caliditatem hebetiorem: in fęmellis vero eſt, humiditas multa,& caliditas remiſſa. Quare ea quæ generantur,in tenera ætate,imbecilliora naſcuntur: & fęminę crebrius quàm mares dicit philoſophus.

Præterea in partu laborant magis puellæ,ac pereunt plures. Ex quo reſponſum oraculi Træzenijs datum quidam exiſtimāt, ob hanc cauſam, quaſi multis pereuntibus propter immaturitatem nuptiarum,at non ad fructuum collectionem.

Affert aliud argumentum philoſophus ad idem declarandum, conſiſtens in eo, quòd quanto virtus eſt imbecillior,tanto eſt partus laborioſior, vt patet in textu.

Ad continentiam quoque vtile eſt nuptias fieri ſeriores: intemperantiores enim eſſe videntur, cum puellæ veneri aſſueſcunt, ac

masculorum corpora crescere impediuntur, si adhuc augente corpore, ueneree rei intendant: nam eius rei quoddam est determinatum tempus, quod non multo amplius excedit.

Tertium est argumentū, quod sumitur ex eo, quod corpora adolescētium per cōiunctionem impediuntur, nec permittuntur suscipere debitum augmentum. nam alimentum .s. digestum, est principium nutritionis, & augmentationis, & generationis. Talis autem cōiunctio, uel operatio tempore augmenti est causa, ut id quod deberet conuerti in augmētum, & nutritionem, conuertatur in semen: & ideo masculorum corpora patiuntur detrimentum in augmentatione. nam huius terminus, idest determinatum tempus est, in quo animalia augentur: quod non multum excedit, idest egreditur tempus constitutum: vel non multum superatur à tempore constituto ad generationem.

Quapropter puellas quidē circa ætatē decem et octo annorū, nuptui tradere congruit, masculos uerò circa ætatē annorum septē & triginta, aut paulo circa. in hoc .n. tempore, & vigentibus corporibus coniungentur, ac procedente tēpore simul apte desinent procreare posse: et filiorū successio, partim erit ab initio eis ætate uigētibus, si rectè procedat statim generatio, partim uerò dū iā ætas uergit ad annum lxx. Quibus igitur ætatibus cōiugia sint faciēda, dictū sit.

Ex supradictis concludendo philosophus autem constituit, in qua contrahenda sunt coniugia. itaq; fœminis designat ætatem decem & octo annorum: maribus uero xxxvj. ut congruo tempore secundum huius philosophi sententiam coniungantur matrimonio, & congruo quoque tempore esset vtrisq; generandi facultas.

Tempus enim anni, ut nunc obseruant, multi rectè per hiemem aptius ad nuptias esse: sed consideranda sunt in procreatione liberorū, quæ à medicis, & quæ à physicis traduntur. Medici enim tempora opportuna corporibus sufficienter osten dunt, physici autem de spiritibus, boreales magis quam australes laudant.

Quinta est pars capituli, in qua philosophus cum quatuor sint anni tempora ostendit hiemale tempus magis aptum esse coniugio, q̄ reliquas partes anni; nam in esta

te calidum naturale diffunditur,atq; ex eo nõn fit digestio bona: contra in hieme circunstans externum cõpellit caliditatẽ intra,& fit bona digestio, & per cõsequens dispositio magis accommodata generationi: quare tale tempus aptum cõingio describitur à philosopho. Pręterea seruãda sunt tẽpora secundum præcepta medicorũ, & ẽt ea,quę à naturalibus traduntur,q volunt quod venti boreales magis cõferant ad sanitatem, q̃ australes,vt dictum est supra. at boreales magis perflant in hieme,ergo tẽpus hiemis aptum coniugio ponitur à philosopho.

Quæ autem quibus corporibus natorum maximè esset utilitas, magis dicendum esset,vbi de disciplina puerorum tractatur: summatim uero sat fuerit nunc dixisse. neque.n. Athletarum habitudo utilis fuerit ad ciuilem habitum,neq; ad sanitatem & procreationem liberorum,nec rursus humilis & imbecilla nimium, sed media istarum. laboriosam enim habitudinem habere oportet, exercitatam uero laboribus non violentis,nec ad unum laborem solum, ut Athletarum habitudo, sed ad liberalia opera: hæc autem similiter uiris mulieribusq; existere debent.

Sexta est pars,in qua philosophus summatim tangit, quæ corpora sint apta & vtilia ad bonam cõplexionem eorum,qui generantur respectu habitudinis ad ciuilem habitum,& respectu ipsius exercitij. sunt enim, qui excedunt, & qui deficiunt, & qui mediam viam obtinent in habitudinibus,& exercitijs: sunt etiam variæ artes: sed in ijs,sicut in plerisque alijs,mediocritas laudanda est, & habitudo bona quærenda est ea, quæ inter paruum & nimium cadit,vt manifeste dicit in textu, quamuis hanc cõsiderationem in eum locum philosophus differat,ubi de eruditione puerorum tractabitur.

Prægnantes quoque mulieres curam habere corporum oportet, non pigrescentes,neq; subtili utentes alimonia.hoc autem facile est legum positori prouidere, si iubeat singulis diebus iter quoddam facere debere ad Deorum sacra mulieres,quæ sortitæ sint concipiendi honorem,mens tamen contrà, quàm corpus, in tranquillitate est traducenda. Quæ enim fiunt,ab ea quæ continet,capere uidentur: quemadmodum illa quæ nascuntur, à terra.

Septi-

Septima est pars capituli, in qua philosophus ostendit, quod oportet legis latorem cogitationem suscipere de mulieribus prægnantibus ad bonam puerorum dispositionem, & affert duo præcepta: vnum, vt corpora conuenienter moueantur, ne torpescant ocio: secundum, vt solido nutrimento vtantur, & non admodum subtili. *Quæ sortitæ sunt concipiendi honorem*, id est. Quibus datus est à priscis talis honos, vt præsint prægnantibus, sicut de Iunone, & Lucina dicitur fabulis poetarũ. Loquitur.n.more priscorum gentilium, qui falsos ponebant deos varijs effectibus præesse, non habentes veritatis cognitionem, quã nos beneficio Dei opt.max. consecuti sumus. vel intelligit fœminas, q̃ quasi beneficio Dei prægnantes sunt.

Circa expositionem autem, vel educationem filiorum, lex sit, nihil orbatum natura fore educandum. Si verò mores institutaque ciuitatis prohibeant natos exponere, determinanda profectò erit procreandorum multitudo. quod si quibusdam ad procreandum copulatis, præter hæc euenerit, anteuenire oportet, ne fœtus concipiantur: nam postquàm concepti sunt, & sensum aut vitam conceperint, nefas est eos attingere.

Octaua est pars capituli, in qua philosophus docet ea, quæ sibi videntur circa expositionem, vel educationem filiorum. Dicit autem, quod legum lator instituat orbatum natura non esse educandum, si talem aliquem nasci contigerit: quod intelligi debet, vt quidam expositores dicunt, non esse educandum cum tanta cura, quanta illi, qui integris membris sensibusque nascuntur: non enim deserendum censent: nam, & si tales non æque perfecte apti sint attingere finem humanum, vt si qui sensus habent perfectos, sumẽdo finem hic, vt philosophus sumit, secundum conditionem huius vitæ, tamen quia, & ipsi animam rationalem, & intellectum habent, disponendi etiam sunt, quantum capere possunt ad talem finem consequendum. Sic enim sentire videtur Sanctus Thomas, considerando finem hoc loco, vt diximus, eo modo, quo philosophus sumit. De multitudine quoq; affert ea, quæ patent in textu. Dicunt tamen expositores, quod philosophus

ſophus narrat hæc ſecundum morem, & inſtitutionem quarundam gentium, non quod probet, vt orbati deſerantur, aut concepti deſeratur: ſunt enim impia. Sed narrat ea, vt diximus, & affert quædam, non vt bona eligenda, ſed cogente neceſſitate, vt minus mala reſpectu illorum, quæ ſunt magis impia. At in præſentibus rebus, ſi verum quærimus, magis mala, & minus mala ſunt fugienda, quia ad alterum eligendum nulla vrgens neceſſitas cogere poſſe videtur. *Duplicatus ſit filiorum numerus*, ideſt adauctus.

Cum verò determinatum ſit, qua ætate vir & vxor ſint initio coniugandi, quanto tempore liberis operam dare conueniat, determinemus. Seniorum enim fœtus, quemadmodum iuniorum imperfecti ſunt, & corporibus & intellectibus, & eorum qui ſenuerunt irrobuſti: quapropter & ſecundum intellectus vigorem. quapropter & illud maximè tempus probandum eſt, in quo maximè intelligentia uiget in nobis: id autem eſſet in plurimis circiter annum quinquageſimum (ut poetarum quidam dixerunt) ſeptenario numero ætatem dimetientes. Itaq; qui quatuor aut quinque annis hanc ætatem exceſſerint, relinquere debent in aperto procreandi ſtudium, ac de cætero vel ſanitatis vel huiuſmodi alterius cauſa concubitum facere videri. Concubitus verò omnis alterius, quàm coniugis, penitus ſit interdictus: quandoquidem ſit, & appelletur maritus. Quod ſi quis deprehendatur contrà facere per tempus procreationis, dignam pro delicto pœnam reportet.

Nona eſt pars, in qua philoſophus regulam affert ſecundum intentionem ſuã & modum ab eo conſtitutum generationi, vt patet in textu. Deinde præceptum adiungit, prohibens concubitus alienos, & cuiuſcunq; alterius, præterquam coniugis. Hoc idem fecit in libro œconomicæ: vbi inter multa alia eiuſdem generis illud apertiſſime dicit, quot nihil magis ſuum eſt vxoris, nec magis illi à viro præſtandum, quàm ſancta & intemerata ſocietas. Idem de uxore in virum intelligẽdum eſt, vt ſibi vnanimitatem mutuam ſeruent, non eam quidem, quæ circa improba obſequia, ſed eam, quę animo & prudentia iuxta coniuncta eſt.

Suſce-

Susceptis autem filijs, multum referre putandum est ad corporis robur, quali victu nutriantur. apparet verò ex cæteris animalibus, & ex gentibus, quibus cura est assidua bellicæ habitudinis. Nutrimentum lactis maximè proprium est corporibus, absq; vino quidem magis, propter ægritudines. Et præterea motus, quoscunq; in ea ætate fieri datur, conferunt. Ne verò membra ob teneritudinem distorta fiant, vtuntur adhuc gentes aliquæ instrumentis quibusdam, & machinis, quæ corpus à talibus illæsum conseruant. Confert etiam statim à pueritia frigori assuescere: hoc enim, & ad sanitatem, & ad res bellicas vtile est. Quapropter apud multos barbarorum consuetudo est, vel gelido amne natos immergere, vel parua veste amicire, vt faciunt Galli. ad cuncta enim ad quæ possibile est, statim ab initio melius est assuescere, est autem apta puerorum natura, ob eorum calorem, ad frigus exerceri. circa primam igitur ætatem hæc & huiusmodi diligentia confert adhibita.

Hoc est quartum capitulũ huius tractatus, in quo philosophus posteaquam antea de coniugio & procreatione egit liberorũ, nũc docet, quo modo filij iam orti sint educandi, vt gradatim & ordine procedat. Diuiditur autem hoc capitulum in tres partes, quæ suis locis declarabuntur: in prima ostendit, quomodo educandi sunt filij à prima infantia quasi vsq; ad triennium.

Sequenti verò ætate vsq; ad annos quinq;, qua nondum ad disciplinam aliquam sunt admouendi, nec labores perferre cogendi, ne crescere impediantur, motus solummodo quosdam suscipere debent, quo pigritiam corporis euitent: qui motus præparandi sunt illis, & per alios actus, et per ludum, ludi verò ipsi, nec illiberales, neq; laboriosi esse debent, neque remissi. Quas uatem narrationes, & fabulas illa ætate pueri audire debeant, cura sit ijs qui pueris publicè præficiuntur: cuncta enim talia ad conuersationes postea futuras commodanda sunt: itaq; ludi, vt plurimum tales esse debent, vt sint imitationes eorum, quæ postea seriò essent facienda. Cohibitiones verò puerorum, & interruptiones ploratus, qui legibus prohibent, non rectè faciunt: sunt enim vtiles ad augumentum, cum sint quodammodo exercitationes corporum. Spiritus enim compressio facit robur laborantibus: quod contingit etiam pueris ploratum cohibentibus. Prouidendum est ab ijs quibus puerorum cura publicè

blice cõmissa est, circa hmõi educationem et aliam, vt et quàminimè cum seruis versentur: hæc.n. ætas, ac etiã vsq; ad annos septem, necessariũ est vt domi alatur. rõnabile est ergo præcipere in hac ætate, vt ab auditu, et visu seruiliũ rerũ absint. Omnino igitur obscœnitas verborũ, ut et quicquã aliud per legislatorẽ exterminãda est de ciuitate: ex turpiter.n. loquẽdi licentia sequitur et turpiter facere.

Secũda est pars capituli, in qua philosophus declarat qũo educandi sunt pueri à triennio ad quinquennium.

Transactis uerò annis quinq; in duobus ad septẽ usque: oportet iam disciplinas explorare, quas discere eos oportet. Duæ autẽ sunt ætates, in quas necessarium est disciplinas diuidere: una est post septimum annum usq; ad pubertatem: altera à pubertate usq; ad annum uigesimum primum. nam qui hebdomadibus diuidunt ætates, ut plurimum dicunt non bene: itaq; sequenda est naturæ distinctio.

Tertia est pars capituli, ĩ qua philosophus docet quo modo educandi sunt filij elapsis quinq; annis per duos vsq; ad septem; & ostendit quomodo disciplinæ sunt diuidendæ secundum duas ætates. Vna est post septimum vsq; ad pubertatem, idest vsq; ad xiiij. vt dicit Albertus. Altera à pubertate vsq; ad vigesimumprimũ annum, & sic incipiendo à primis incunabulis gradatim procedit philosophus. Est.n. infantia, cui succedit pueritia, postea adolescentia, deinde iuuenta: quam excipit virilitas: virilitatem sequitur senectus: senectutem decrepitas, & sic ætas obrepit ætati. Multum vero vel quasi totum refert, quomodo filij teneris annis educentur: ideo philosophus maxime laborat, vt homines recenti ætate bonis instituantur moribus, & ad hoc propositum plura affert documenta. Textus est manifestus. *Nutrimentum lactis.* Notandum quod nutrimentum conuertitur in substantiam eius, quod nutritur. & ideo quanto nutrimentũ est magis conforme, tanto est melius. sed lac est huiusmodi, & mulieris magis q̃ bestiæ, & matris etiã magis, q̃ alienę. Notãdũ preterea, ꝙ philosophus vult, vt dũ infans nutrĩ, caueat à vino, & hoc propter ægritudines, quę inde prouenire possunt, quia vinum est subtile, & vehementer penetrabile, & cum infantium mẽbra sint tenera, & partes

eorum raræ,atque humidæ, facile suscipiunt omnes impressiones,& læsiones,præsertim cerebrum. Hoc autem præceptum non solum intelligendum est de infante,sed etiam de nutrice. *Gelido amne*. Huic correspondet illud Virgilianũ. Nos sęuo gelu duramus,& vndis.*Cohibitiones,* idest extensiones, quas faciunt pueri cum fletu, & dilatatione membrorum. Intendit enim philosophus reprehendere legum latores, qui prohibent ploratus infantium. Ipse autem dicit,quòd sunt vtiles ad corporis augumentum:omnis enim dolor spiritum cõmuniter comprimit,sicut voluptas dissoluit:cum vero dolor spiritum comprimit,vt diximus,tunc pueri,vel infantes emittunt ploratum cum impetu, & sic fit exercitatio quædam, & dilatatio membrorum.*Interruptiones. Ploratus,* idest ipsos ploratus. *Cohibentibus*, idest dilatantibus se. *Ex turpiter enim loquendi licentia*. Turpis enim sermo, & verborum obscęnitas magnum ad corrumpendos mores habet momentum,iuxta illud Apostoli,corrumpunt bonos mores colloquia mala.

Potissimum igitur statim à pueris,nec dicant,nec audiant quicquam turpe. Si quis verò aut dicere aut facere quicquam prohibitorum deprehensus fuerit, is si liber sit, sed nondum in conuentum comessatorum dignatus assumi,honore prohibeatur, & verberibus castigetur, sed si sit maioris ætatis, seruili infamia afficiatur, admissi seruilis gratia.Cum verò dicere quicquam turpe interdixerimus, clarum est quia,& aspicere, aut picturas, aut actus deformes,prohibemus. Sit igitur cura magistratibus, nullam neq; picturam neq; statuam esse talium rerum imitatricem, nisi apud Deos quosdam tales: quibus etiam lasciuiam lex tribuit, apud hos permittat lex iam factos homines, pro se, & filijs, & vxoribus sacra facere. Iuniores autem neq; Iamborum,neque comœdiarum sectatores esse sinat legislator,nisi cum ad eam peruenerint ætatem,vt in comessationibus vnà cum alijs communicare possint,& ab ebrietate,& huiusmodi labe insontes,disciplina omnes effecerit. Nos quidem nunc cursim ista attigimus: postea verò insistentes, oportebit determinare magis,siue oportet,siue non oportet, primo quærentes, & quomodo: sed in præsenti mentionem de his facere necessarium fuit.

fuit. forsitan enim non male circa hoc censebat Theodorus tragœdiarum actor: nulli enim vnquam concedere voluit, vt ante se ageret, neq; ex modestis etiam histrionibus: quasi magis faueant auditores illis, quos primo audierint. Contingit hoc idem conuersationibus hominum, & rerum: omnia enim prima nos magis delectant. Quapropter oportet à pueris omnia turpia procul remouere, & maximè quæcunque habent in se, vel obscœnitatem, vel improbitatem.

Nam magni interest, vt orator, inquit (nam hoc accõmodari ad propositum potest) quos quisq; audiat quotidie domi, quibus cum loquatur à puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur. *Et aspicere aut picturas*. Maxime laborat philosophus circa educationem puerorum, vt caueant à cunctis obscęnis, etiam ab ijs, quæ per sensus mouere appetitum, & inficere animũ possint. Educati siquidem rectè à parentibus per Sanctos, & iustos mores, boni merito euadent. *Postea vero scientes*, idest ordinate procedentes, & perseuerantes in hac materia. *Omnia prima nos magis delectant*, idest omnia prima magis odimus, & magis admiramur, & magis nobis inhærent, vt noua. Quare curandum est, vt omni ętate, tum præcipue à primis incunabulis bonis moribus imbuamur. Nam quod teneris imprimitur annis, non facile deletur iuxta illud Horatij: quo semel est imbuta recens seruabit odorem, Testa diu. *Duobus vsque ad septem*, idest post quinquennium per duos annos sequentes spectandæ sunt disciplinæ, & considerandum est, ad quas disciplinas, & quonam pacto illi sint dirigendi, iuxta Ciceronis sentẽtiam, qua dicitur, quòd doctoris est videre, quo ferat natura sua quenque, vt Theophrastum in acerrimo ingenio Theopompi, & leuissimo Ephori dixisse traditum est alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. Sumit autem philosophus duas ætates, vt diximus, scilicet à septennio vsq; ad pubertatem, idest ad xiiij. deinde à xiiij. vsque ad vigesimum primum annum, secundum quas oportet præcipue distribuere vnicuiq; illarum conuenientem disciplinam.

Omnis enim ars & disciplina implere vult,id quod deest naturæ. Primum igitur uidendum est, si facienda sit institutio quædam circa pueros: deinde, si vtile sit publicè curam eorum suscipere, an magis priuatim, quod nunc fit in plurimis ciuitatibus: tertio, qualem hanc institutionem esse oportet.

Quasi dicat natura non dedit nobis habitus,sed vires & aptitudines,quibus acquirere eos possumus. Ars igitur,& doctrina intendit implere quod non impleuit ipsa natura: ideo quantum per nos fieri potest,introducendi sũt boni habitus morales & intellectiui.Post hęc philosophus septimo libro finẽ imponit,dicendo quod considerandum est,primum vtrum facienda sit aliqua institutio determinata circa disciplinam propriam puerorum: deinde si facienda est,vtrum expedit eam esse publicam vel priuatã: tertio qualem illam esse oporteat, atq; hanc triplicem considerationem differt in sequentem librum,qui est octauus,atq; vltimus.

DONATI ACCIAIOLI FLORENTINI

IN VIII. POLITICORVM ARISTOTELIS, Explanatio.

QVOD igitur à legis poſitore maximè intendendum ſit circa diſciplinam iuuentutis, nemo utique dubitabit: nam id quidem neglectum in ciuitatibus, affert reipublicæ detrimentum. oportet enim ad ſingula gubernandi genera diſciplinam accommodari: nã mos uniuſcuiuſque reipublicæ proprius: & conſueuit ſeruare rempublicam, & ab initio conſtituere. ceu popularis mos, popularem: & paucorum potentiæ accommodatus mos eã, quæ conſiſtit in paucorum gubernatione. ſemper autem melior mos, cauſa eſt melioris reipublicæ. Præterea in cunctis facultatibus & artibus ſunt quædam, ad quæ præerudiri oportet, & aſſuefieri ad earum opera: itaque manifeſtum eſt, quod & ad uirtutis actiones.

HIc eſt octauus, & vltimus liber Politicorum, in quo philoſophus, poſteaq̃ de coniugio egit, & oſtendit, qũo inſtituendi ſunt filij vſq; ad ſeptennium: nunc docere intendit, quibus diſciplinis inſtituendi ſint in ſequentibus ſtatim annis ſucceſſiue, videlicet in adoleſcentia & iuuentute. Diuiditur autem hic liber in duos tractatus: in primo oſtendit, quod oportet legis latorẽ curare vt adoleſcentes erudiantur, & quærit quã diſciplina inſtituendi ſunt, afferendo diſciplinas, quibus pueri erudiri cõſueuerunt: & vtrum ſint in muſica erudiendi: in ſecundo quaſi in ſpecie tractare videtur de ipſa muſica, & inſtrumentis, & partibus eius.

Primus tractatus diuiditur in duo capitula: in primo docet, quod oportet legis latorem prouidere, quibus disciplinis sint instituendi adolescentes: in secundo quærit, vel ostendit, quibus de causis musicam discere eos oportet. Primum capitulum diuiditur in quatuor partes, quæ suis locis declarabuntur. In prima igitur parte philosophus ostendit, id quod primum quærebatur in fine antecedentis libri, & declarat, quod oportet legis latorem curam suscipere de instituendis adolescentibus: & hoc probat duabus rationibus, prima est hæc. Illius rei debet conditor legum cogitatioẽ suscipere, qua omissa magnum sequitur detrimentum reipublicæ: sed eruditio iuuentutis, vel adolescentum est huiusmodi, ergo talis institutionis debet legum lator magnã cogitationem suscipere. Patet ratio, quia si negligatur eruditio iuuentutis, male cum republica agitur: nam quales volumus eẽ respublicas, tales oportet esse eruditiones: adeo enim respublica pẽdere videtur ex disciplina adolescentum vel iuuenum, vt ex meliore institutione melior atque melior euadat ipsa respublica. *Præterea*. Secunda est ratio. Sicut fit in alijs artibus & scientijs, ita fieri debet in virtutibus ciuilibus, & in scientia gubernandi rẽ publicam: sed in alijs ita fit, quod oportet, vt præcedat aliqua præuia dispositio, vel eruditio & assuefactio, ita & in hac ciuili necessario requiritur præuia institutio iuuenum, vt bene instituti accedant postea ad gubernandum rempublicam. nam quæ oportet postea, quàm didicerimus facere, ea faciendo addiscimus, ceu cytharã pulsando cytharedi fiunt. Vnde legum latores assuefaciendo ciues, bonos efficiunt, vt inquit philosophus in secundo Ethicorum. quare institutio iuuenum bene & diligenter facienda est, vt patet: & hoc prouidendum à legum latore.

Cum uero unus sit finis totius ciuitatis, clarum est oportere disciplinam quoque esse unam & eandem omnium, & huius curam esse publicam, & non priuatam: quemadmodum nunc unusquisque curam habet suorum filiorum, priuatimque, & priuatam disciplinam

ſciplinam docens, prout ei uidetur: ſed oportet publicorum publice exercitationem fieri.

Secunda eſt pars huiuſmodi capituli, in qua philoſophus poſteaquam oſtendit quod erudiri debent adoleſcentes, nunc oſtendit (quod erat ſecundo loco conſiderandum) talem eruditionem vnam & eandem omnium adoleſcentum eſſe debere, ideſt publicam atque communem, & hanc ſententiam, probat tribus rationibus. Prima ratio eſt talis: quorum eſt vnus & idem finis, eorum debet eſſe vna & eadem diſciplina: ſed adoleſcentum, qui gubernationem reipublicæ re ſuſcipere debent, eſt vnus & idem finis: ergo eorum debet eſſe vna atque eadem diſciplina omnium, & non propria huius vna, atq; alterius alia, & diuerſa ſpecie. Patet ratio, quia ſi finis eſt communis, & diſciplina debet eſſe communis: Finis autem eſt communis, videlicet recta gubernatio, & ipſa felicitas ciuitatis, quam intendere debent omnes ciues: ergo & diſciplina debet eſſe publica, atque communis.

Et ſimul, non debet quidem quiſquam ciuis, ſe ſui exiſtimare, ſed omnes, ciuitatis: particula enim ciuitatis vnuſquiſq; eſt, cura uerò ſingularum particularum, reſpicere nata eſt ad curam totius.

Secunda eſt ratio hoc pacto. Cura, & eruditio partis debet fieri reſpectu totius: ſed vnuſquiſq; ciuis eſt pars ciuitatis, ergo cura, & eruditio cuiuſlibet ciuis debet fieri reſpectu ciuitatis, & eadem omnium eſſe debet. nam vt ciuitas tota diſponitur ad bonam gubernationem, & ad communem felicitatem, ita cuiuſque ciuis inſtitutio & diſpoſitio eſſe debet vna atque eadem publica & communis, & nō alia huius, alia illius, & diuerſa ſpecie ſicut nunc fit dicit philoſophus, ad libitum priuatorum.

Laudari poſſunt in hoc Lacedæmonij, nam plurimam circa pueros diligentiam faciunt, & quidem publice. Quod igitur lege prouidendum ſit circa diſciplinam iuuentutis, & hoc publice faciendum, patet.

Præterea probat eandem ſententiam exemplo Lacedæmoniorum, qui publice curabant, vt erudirentur adoleſcen-

lescentes. Hanc materiam tetigit philosophus in vltimo ethicorum, vbi questus est, quòd hæc cura, quã nunc affert negligebatur. In Lacedæmoniorũ inquit ciuitate vel sola, vel cum paucis cura publice videtur adhibita à legum latoribus circa educationem, & exercitia: in alijs vero ciuitatibus ista neglecta sunt, & viuit quisq;, vt vult & ciclopum instar regens filios, & vxores: sed optimum foret, vt publice recteque cura adhiberetur, idq; facere posse. Quòd si publice negligitur, vnicuiq; cura eẽ debet filios, & amicos ad virtutẽ dirigere, vel saltẽ id conari.

Quænam verò ista sit disciplina, & quomodo tradenda latere non debet: nam nunc quidem in ambiguo ex operibus est, non enim eadem omnes censent iuuentutem debere addiscere, neque ad virtutem, neque ad uitam optimam, neque conspicuum est, utrum per intelligentiam magis deceat, uel per animi morem.

Tertia est pars huius capituli, in qua philosophus posteaquã ostendit, quòd erudiendi sunt adolescẽtes, & publice prouidendum, vt recta, & cõi disciplina erudiantur nunc affert varias opiniones de ipsa: videlicet qualẽ esse oportet (quod erat tertio loco considerandum) & demũ soluit difficultatem, quę ex tali discrepãtia, & varietate oriri videbatur. Dicit igitur, quòd dubitatur de tali eruditione, quia nec eadem omnes censent iuuentutẽ addiscere debere, neq; ad virtutẽ, neq; ad vitã optimã. i. neq; respectu virtutis, neq; respectu vitæ optimę, & eiusdem finis consequendi. Alij. n. in alijs, & diuersis vltimum finem humanũ, & summũ bonum ponunt. Nec constat, vel conuenit inter eos, vtrum dirigẽdi sint adolescentes per virtutes morũ, an per virtutes intellectiuas, & verũ per disciplinã, qua pergitur ad artes vtiles, & necessarias, vel qua pergitur ad virtutẽ, vel qua pergitur ad superfluum & voluptuosum viuendi modum. Nã artes, quæ dicuntur necessarię, vel vtiles ad comparandũ victũ, sunt in promptu, & ante oculos nostros versantur, & conturbant nos, ne vlterius consideremus, et accedamus ad præclariora, & ideo multi existimant, hanc disciplinam, qua vtilitas comparatur, esse perdiscendã: alii aliam atq; diuersam:

cum

cũ igitur vnaquæq; ſuos habeat ſectatores, quęritur nũc, quænam ſit ſuſcipienda,& maxime ex eo, quia plerią; ſe quuntur illud,quod primum ante oculos ſe ſe offert, id-eſt alij vtilem exercitationem, alij voluptuoſam,vt dixi mus: pauci vero reperiuntur, qui obliti commodorum ſuorum,honeſtam præclaramq; ſequantur. Et eorum e-tiam, qui virtutem ſequendam putant, alij aliam virtu-tis ſpeciem eligunt, neq; eandem putant eſſe optimam, & potiſſimam diſciplinam.conſiderandum eſt igitur,quę nam ſit accipienda,& eligenda.

Impedimentorum quoque reſpectus, conſiderationem diſciplinæ conturbat:cum manifeſtum non ſit, utrum accomodanda noſtra ſit exercitatio ad ea quæ ſunt utilia ad uitam, an ad ea quæ tendunt ad uirtutem,an ad ea quæ ad maiorem quendam ſuperfluumq; per tinent apparatnm:hæc enim omnia patronos quoſdam ſuſcepere.De his quoque quæ ad uirtutem tendunt,nihil cenfeſſum exiſtit.etenim uirtutem non eandem omnes ſtatim honorant:ex quo fit, ut non ab re diſcordent,circa illius exercitationem.

Sentẽtia talis eſſe videtur,perturbamur ẽt circa eam diſciplinam,quę eſt in prõptu,& quaſi ante pedes ex eo, quia ſtatim nobis occurrit viuendi cõmoditas, & turbat nos,& trahit ad ea,quæ vtilitatem efficiunt.*Vel ad ea quæ ad maiorem quendam ſuperfluum*.i. ad ea,quę pertinent ad ſu perabundantiã delitiarũ,& externorum bonorũ, & volu ptuoſum viuẽdi modũ,vt Albertus,& quidam alij expo-nunt: ex quibus oĩbus ſupra allatis inferri poteſt, quòd philoſophus tãgat vtilia,honeſta, & voluptaria ſecundũ diuerſas opiniones illorũ,& quaſi dicat,alij vtilem, alij honeſtã per virtutẽ vel moralem,vel intellectiuam:alij voluptuoſam eligendã putant rõnem vel exercitationẽ viuendi.Atq; ob talẽ diuerſitatẽ merito conſiderandum vr̃,omni ſtudio,& diligentia adhibita, quęnã ſit diſcipli na, & exercitatio, ad quã adoleſcẽtes cõiter dirigantur.

Quod igitur ex utilibus neceſſaria ſint addiſcẽda,manifeſtũ eſt, quod autẽ nõ omnia,diuiſis quidẽ quæ liberalia ſunt opera,ab illi-beralibus,patebit illa talia eẽ recipiẽda, quæ cũ utilia ſint, faciũt exercentẽ non utilis exercitij operatorẽ.uilc aũt exercitiũ putãdum

eſt,&

est,& ars,& disciplina, quæcunq; corpus, aut animam, aut mentem liberi hominis, ad vsum, & opera virtutis inutilem reddunt. Itaq; & artes illæ,quæcunq; deterius disponunt corpus,& cuncta mercenaria exercitia,sordida nuncupamus : mentem enim occupatam,& vilem reddunt. Sunt etiam quædam ex liberalibus scientijs,quas vsq; ad aliquid discere,honestum sit, penitus verò sese illis tradere,ac ad extremum vsque prosequi velle, nocumentis illis quæ suprà diximus obnoxios facit. Sed refert plurimum,cuius gratia quis agat, vel discat : nam si gratia sui, vel amicorum,vel propter virtutem,nō est illiberale,qui verò idipsum agit propter alios, sæpe utiq; uidebitur illiberaliter,ac sordidè agere. disciplinæ igitur illæ de quibus diximus, ad utranq; partem se habent.

Soluit difficultatem, quæ oriebatur ex discrepantia sententiarum,& ostendit,quòd ex vtilibus discenda sunt ea,quæ sunt necessaria,& libero homine digna : fugienda vero sunt illa, quæ sordida sunt, & corpus inquinant & animum ineptum reddunt ad vsum virtutis:non enim ij q futuri sunt ciues in optima republica,sordidis exercitijs erudiri debent, sed liberalibus. intelligendum est tamen,quòd sunt facultates quędam liberales,in quibus perseuerandum dicit philosophus vsq; ad aliquem terminum,& non omnino consumenda est ętas in eis,& hoc intelligitur de illis facultatibus, quæ ad alias excellentiores ordinantur, & non intelligitur de præclarissimis habitibus mentis,in quibus philosophus dixit esse persistendum, tanquam in vltimo, & supremo fine humanarum exercitationum. Sunt igitur quædam facultates liberales, in quibus si vsq; ad aliquem terminum persistamus,disponunt nos ad finem vltimum consequendum: si vero nimium,tunc mentem occupant,ne ad præclariora possimus accedere. Verum magni interest, cuius gratia, suscipiantur huiusmodi exercitationes, an gratia sui, & animi excolēdi causa,an gratia lucri,& cōmodi alicuius consequēdi.Primo.n.modo non est exercitiū illiberale: secundo modo sordidum,vel quodāmodo seruile est existimandum: & hoc sæpe dicit philosophus,quia secundū expositionem Sancti Thomæ,contingere potest,vt operans

rans reſpectu aliorum,& propter alios ex aliqua conuenienti cauſa non ſordidę,aut illiberaliter agat : nam ad vtrunq; ſunt huiuſmodi diſciplinæ , dicit philoſophus, quia illis liberaliter,& nō liberaliter vti poſſe videntur homines eis deditiꝫ prout cuiuſq; ingenium, & intentio eſt ad finem,gratia cuius tales facultates exercent.

Sunt autem ferè quatuor, quæ diſcere iuuenes conſueuerunt, literas, gymnaſticam, muſicam. addunt uero quartum quidam, figurandi peritiam. Literas quidem, & figurationem, tanquam utiles, ac ualde expedientes ad uitam : gymnaſticam, tanquam pertinentem ad fortitudinem.

Quarta eſt pars capituli,in qua philoſophus oſtendit, ꝙ ſint illæ diſciplinæ , quibus publice erudiendi ſunt iuuenes,qui futuri ſunt ciues ſtudioſi in rep.optima,& plura conſiderat:ſed primum affert quattuor diſciplinas grāmaticam,ſeu literaturam,gymnaſticā,muſicā,atq; picturā,& tribuit vnicuiq; id quod ſibi conuenit. literaturam atq; picturam vult eſſe vtiles ad operationes vitæ humanę:gymnaſticā conferre dicit ad fortitudinem,vel robur iuuenū : de muſica vero cōſiderare oportet inferius,quo modo ſeſe habeat ad hoc noſtrū propoſitū,quia ambigitur,vtilitatis,ne ſit,an alicuius alterius gratia ꝑdiſcēda.

De muſica verò ambigitur iam: nā nunc plurimi quidem,voluptatis gratia illam addiſcunt,veteres aūt inter diſciplinas eam collocauerunt,ex eò quod natura quærit (vt ſæpe dictum eſt) non ſolum in negocio rectè,verumetiam in ocio laudabiliter poſſe verſari. Hoc.n.principium eſt omniū,vt rurſus de illo dicamus. ſi.n. vtroq; opus eſt,magis aūt expetendum eſt ocium. nec id quidem in loco: nā ſic neceſſe foret iocum eſſe finem vitæ : ſi quidem.i. impoſſibile: magiſq; in negocijs utendum eſt ioco : nam qui laborant indigent relaxatione,& huius gratia eſt iocus. negocia uerò ſunt cum labore,& conatu, & propterea oportet iocum adhibere qui tanquam medicinam,tēporis opportunitate ſeruata,afferat:nam relaxatio eſt huiuſmodi motus animi,& requies propter uoluptatē. Ocium aūt ipſum uidetur in ſe uoluptatem habere,& felicitatem, & uitam beatam, & hoc non in negocioſis.ſed ocioſis exiſtit,nam qui negociatur.alicuius gratia negociatur, ceu eius quod ſibi deeſt. felicitas aūt finis eſt,

est, quàm non cum dolore, sed cum uoluptate esse omnes putant. Hãc tamen uoluptatem non eandẽ omnes posuerunt, sed secundũ se unusquisq; & secundũ habitum suum: optimus tamen optimam, & eam quæ fit ab honestißimis. Itaque manifestũ est, quod oportet ad ocium quoque degendum addiscere quædam, & erudiri: & has eruditiones & disciplinas, sui ipsarum esse gratia: illas uerò quæ ad negocium, tanquam necessarias, & gratia aliorum.

Quærit igitur philosophus de ipsa musica, & ostendit, quòd pleriq; gratia voluptatis eam addiscũt. At veteres inquit collocarunt eam in numero disciplinarum, ex quo patet, quòd illa habet etiam eruditionẽ libero dignam, & confert ad relaxationem hominis viuentis in ocio contemplatiuo. Nam est negocium, quo vertimur ad externa, est ocium, quo vertimur ad operationem internam: ocium inquã contemplatiuum, de quo locutus est antea, cum declarauit tale ocium esse finem negocij. Concluditur ergo, quòd musica est disciplina liberalis perdiscenda, non tam gratia percipiendæ recreationis in negocio, quàm ad laudabiliter se habẽdum in ocio, & tranquillitate mentis contemplantis. Notandum, quòd duplex est ocium quantum ad hoc propositum pertinet, vnum quod est cessatio quædã à labore, de quo loquitur philosophus in x. ethicorum, cum dicit, quòd cessatio est propter operationẽ: tale.n.ocium non est finis, sed ordinatur ad negocium, & ad ipsam actionem: nã cum homo defatigatur in rebus agendis, fit sæpe intermissio quędã, vt possint resumi uires ad operandum: & talis intercapedo non est dormitio, neq; inertia quædam: sed relaxatio veluti medicina subleuans illud, quod defatigatum est in agendo, vt alacrius redire possit ad operandum, cui iocus moderatus atq; honestus, & facetiæ quædam accommodantur, quibus natura nostra recreatur. Aliud est ocium quod est negocij finis.i. contemplatiuum ocium: negociamur.n.vt ociemur. Tale aũt est, de quo in x. ethicorũ, & in antecedenti libro latissime est loquutus philosophus, cũ speculatione quidẽ coniunctũ, quod trahit secum summã, & honestissimã voluptatẽ: nõ.n.inertię de-

diti sunt in tali ocio constituti, sed tranquillæ operationi, cui quidem conferre videtur musica, vt liberalis quædam disciplina, pertinens non ad lucrum, aut ad ali quod bonum externum consequendum, sed ad cultum animi. Cõtinet enim in se aliquam speculationem cum laudabili iucunditate coniunctam, qua natura humana recreatur: recreata vero maiora deinde aggreditur con templando: fit enim intermissio quædam à speculatione interdum, quia instrumenta defatigantur, & non sem per possunt homines speculari. Si igitur musica nos red dit aptiores ad degendam vitam in ocio cõtemplatiuo, vt diximus, merito inter disciplinas ponitur à philosopho, & vt quidam exponũt, cessatio ab actiua operatione est ad negocium. Cessatio quoq; à contemplatiua ope ratione est ad ocium contemplatiuum ordinata. i. vt melius possimus in ocio cõtemplatiuo operari. Tali igitur cessationi ab ipsa contemplatione dicunt quidã accommodatam esse musicam, vt tali iucunditate recreati melius deinde ea, q̃ altiora sunt speculari possimus, & ideo addiscendam aiunt. Quidam etiam volunt, musicam inter disciplinas esse locandam, quia ipsa, & eius concentus, & proportiones præbent nobis speculãdi materiam libero homine dignam. Quicquid sit, inferri potest, quod musica non gratia vtilitatis, aut necessitatis circa externa bona, sed cultus animi & sui ipsius gratia quærenda est, vt deinceps latius ostendet philosophus. *Hoc enim principium*, idest hæc natura: Dixit enim supra ex eo, quod natura quærit, ideo dicit, hæc natura, scilicet humana est principium omnium, scilicet operationum, quæ fiunt ab homine. Est enim in homine princi pium sponte agendi, & homo ad ocium, scilicet contem platiuum, & negocium est aptus. *De illo*, idest de illa natura. Quidam exponunt quod principium omnium, id. est speculatio primi intelligibilis rationem principij habet in ipsis operabilibus. Est enim vltimus finis humanarum operationum, de sententia philosophi, vt dictum est prius.

Quapro-

Quapropter & musicam antiqui inter disciplinas collocauere, non tanquam rem necessariam: nihil enim habet tale, neque tanquam vtilem, vt literæ ad lucrum, & ad rem familiarem, et ad disciplinam, & ad ciuiles actiones quamplurimas. Videtur quoq; figurandi peritia, vtilis esse, ad iudicandum melius artificum opera, neq; ut gymnastica, ad sanitatem & robur. nullum.n. horum videmus ex musica fieri. restat ergo, quod ad degendũ in ocio, ad quod apparẽt adhiberi, qui eam inducunt: eos n. quibus putant vita degendum esse ingenuorum hominum, in ea instituunt. Quapropter Homerus & in poemate suo ita inquit: sed quale est uocari ad mensam opiparè paratam? deinde nominans quosdam alios, subdit: & accersunt cantorem qui omnes demulceat. Et alio in loco ait Vlysses, optimam esse degendi rationem, quando lætis hominibus conuiuæ audiunt cantorem sedentes per ordinem. quod igitur sit disciplina quædam, quam non ut utilem, neq; ut necessariam, docendi sint filij, sed vt liberalem & honestam, manifestum est. Vtrum autem una sit numero, an plures, & quænam istæ, & quomodo, posterius dicetur. nunc autem id præmissum sit, quod apud antiquos sit testimonium ex his disciplinis, quas diximus: musica enim hoc manifestat.

Ostendit philosophus, musicam non esse habendã aut discendam, vt disciplinam vtilem, aut necessariam. Nam illa disciplina non est dicenda vtilis, aut necessaria, quæ est gratia sui, & non alicuius boni externi consequendi, & musica est huiusmodi, ergo &c. patet ratio, quia ad degendum in ocio contemplatiuo est accommodata musica, & non pertinet ad lucrum, & ad rem familiarem, & ciuiles actiones, vt litteratura, vel ad iudicandum opera artificum, vt pictura, vel ad sanitatem & robur, vt gymnastica: patet hoc etiam auctoritate & testimonio Homeri. quare musica sui gratia, & non externorum bonorum dicitur esse disciplina. *In ea instituunt.* Quasi in ea faciendam putãt ingenuorum hominum exercitationem. *Habemus testimonium,* scilicet, quod si ex his disciplinis aliquæ sunt necessariæ, aut gratia externorum bonorum: aliqua etiam vt musica est gratia sui ipsius.

Adhuc etiam de vtilibus, quod aliqua discere pueros oportet,

non modo propter utilitatem,ut literarum rudimenta, verumetiam propter multas disciplinas alias, quæ per literas discuntur.

Ostendit,quod oportet etiam adolescẽtes erudiri disciplinis,quas superius dixit esse vtiles,nou tam vtilitatis consequendæ pertinẽtis ad externa bona, quàm quia conferunt ad comparandas alias disciplinas & scientias liberales,veluti literis erudiri adolescẽtes oportet,quia per illas multæ aliæ facultates acquiruntur.

Similiter uerò figurandi peritiam,non ut in uenundanda emendaq; supellectile non decipiantur,sed potius quod contemplari facit pulchritudinem corporum,quærere verò utilitatem ubiq;,minimè congruit magnanimus, & ingenuis hominibus.

Simili modo picturam addiscẽdam censet,non tam vt percipiamus vasa egregie fabrefacta nostrę vtilitatis causa,cum viris magnanimis non conueniat vtilitatẽ vbiq; quærere,quàm vt recte & integre percipiamus mẽsuras, & proportiones,& alia eiusdem generis.

Cum manifestum sit,utrum moribus,an ratione sit disciplina tradenda, & an circa corpus primo, uel circa mentem, patet ex his, quod adolescentes gymnasticæ, & literarum ludo sunt tradendi: nam horum alterum qualem aliquam facit habitudinem corporis, alterum opera.

Hoc loco philosophus loquitur de gymnastica, quæ erat vna ex quatuor disciplinis superius allatis. Dicit igitur,quod ex supradictis patet, quonam pacto adolescentes erudiendi sunt,& vtrum incipiendum est à moribus,pergendo ad rationem & disciplinam intellectiuam: sed ab imperfectioribus incipiẽdum esse antea docuit: cum inquit in præcedenti libro, corporis curam necesse est prius suscipere quàm animi: deinde appetitus: Curam tamen appetitus,gratia mentis: curam vero corporis,gratia animi. quare tradendi sunt adolescentes,vel pueri exercitationi & disciplinæ gymnasticæ, & pędotribicæ, idest ei disciplinæ,qua pueri apti, atq; habiles fiunt ad operationes exercendas, quæ sunt illi ętati accommodatæ.

Nunc autem, quæ ciuitates curam habere puerorum maximè uidentur,

videntur, athletarum habitudinem inducere ſtudent, in quo deformant corpora,& augmentationem eorum impediunt. Lacones uerò in hoc quidem non errant, ſed efferatos laboribus reddunt adoleſcentes, quaſi hoc utile ſit maximè ad fortitudinem. atqui ut iam ſæpius diximus, neq; ad unam uirtutem, neq; ad hanc maximè reſpiciendum eſt ab eo, qui curam facit inſtitutionis. Et ſi ad hanc, non tamen id conſequuntur. neq; enim in alijs animalibus, neque in gentibus, uidemus fortitudinem adeſſe maximè efferatis, ſed potius manſuetioribus,ac leoninis moribus multæq; ſunt gētes, quæ ad cædes hominum, & ad eorum comeſſationes inſultant: ut circa Pontum Achæi & Eniochi,& ex mediterraneis aliæ gentes: hæ quidem ſimiliter his,illæ uerò magis, quæ quidem gentes clanculum per inſidias latrocinantur, ad bellica tamen opera nihil ualent.

Hac in parte philoſophus affert conſuetudinem quarundam ciuitatum improbandam,quę imponebant exercitia pueris grauia, & onerofa ideſt athletarum exercitia,quæ corpora deformia reddunt, & augumētationem impediunt.Et quamuis Lacones publicæ curam erudiendæ iuuentis ſuſciperent,& in hoc ſoliciti eſſent,vt antea docuit, tamen errabant poſtea circa modum, & qualitatem diſciplinæ ex eo,quòd efferatos moribus reddebant adoleſcentes. Vnde philoſophus talem modum diſciplinæ refellit quibuſdam rationibus: prima ratio eſt huiuſmodi: illa diſciplina non eſt bona,quæ tantum ad bellicam virtutem,& non ad alias,pueros vel adoleſcentes dirigit: nec etiam ad illam vere,& conuenienter accommodatur: ſed diſciplina ſiue exercitatio Lacedæmoniorum eſt huiuſmodi, ergo nō eſt bona. patet ratio, quia exercitatio Lacedęmoniorum,qua fortitudinē bellicam conſequi poſſe credebant, reddit homines potius efferatos,quàm vere fortes: nam vere fortes ſunt potius manſueti, quàm efferati, vt oſtendit philoſophus tertio ethicorum, & exemplo quorundam animalium hic declarat. Affert etiam exemplum efferatarum gentium, quæ non habebāt veram fortitudinem: ſed potius immanitatem quādam. Ex quo patet quòd Laconum exer-

citatio non est accommodata ad verã fortitudinem consequendam. Est præterea habenda ratio,& multo magis aliarum virtutum, vt antea docuit: itaque breuiter dici potest, quòd Lacones primum errabant, quia ad vnam tantum virtutem bellicam iuuentutem dirigebant, cum ad alias præclariores dirigere deberent. Secundario errabant, quòd non instruebant eam vera fortitudine, sed potius efferatam ipsam reddebant,& non fortem.

Præterea scimus Lacones,dum ipsi soli exercebantur,præstitisse cæteris: nunc autem,& in gymnasticis atq; actionibus bellicis,esse alijs inferiores. non enim ob id præstabant quod iuuentutem exercerent,sed quòd ipsi exercitati, contra non exercitatos pugnabant.

Secunda est ratio contra Lacones,qua ostendit, quòd eorum disciplina, & si bona apparebat, quia præstabant alijs in pugnando,tamen hoc non proueniebat ex virtute disciplinæ,sed ex imperitia cęterorũ,qui, prius quàm exercerentur, facile superabantur ab exercitata ferocitate Laconum. Ex quo patet,quòd eorum disciplina,nõ erat vere bona, aut laudanda,sed potius apparens.

Itaq; honestas, non feritas est in certaminibus præferenda:neq; enim lupus,neque alia bestia,honestum periculum pugnando subiret sed magis uir bonus. Qui uerò adolescentes in hoc nimium tradunt,& in necessarijs absque disciplina permittunt, uere illos sordidos reddunt: ad uum enim opus reipublicæ utiles faciunt,& illos ad ipsum alijs deterius,ut ratio ostendit.

probat idem ex eo, quia in ipsa exercitatione, & disciplina, & certaminibus honestas, & non feritas quærenda est.

Oportet autem non ex prioribus operibus, sed ex ijs quæ nunc fiunt iudicare. nam nunc quidem illi qui repugnant, disciplinam habent,tunc uerò non habebant.

Posset aliquis dicere tu reprehẽdis disciplinã,& exercitationẽ,& feritatẽ Lacedęmoniorum,& tamẽ confiteris,quod cęteris prestiterunt in pugnãdo,vt paulo antea tetigit. Hanc tacitã obiectionẽ remouet philosophus dicẽdo,qđ non oportet ex prioribus gestis metiri disciplinã Lacedęmoniorũ,sed ex pręsentibus, atq; ex ijs, q̃ hoc

L l tem-

tempore fiunt, in quo alij sunt periti & instructi disciplina, quam antea non habebant: & ideo repugnant, & non superantur, sed potius superant. Ex quo ostenditur, quod talis Lacedæmoniorum disciplina nō erat bona, nec est probanda, aut eligenda.

Quod igitur utendum est gymnastica, & quando utendum, confessum existat: usq; enim ad pubertatē leuiores exercitationes sunt adhibendæ, absq; victu ullo uiolento & laboribus coactis, ne crescere corpora impediantur. Signum erit non paruum, quod ita fieri queat, quia inter eos qui Olympia vicerunt: duo uel tres tantum reperiuntur, qui ijdem adolescentes & viri, sint victoriam consecuti, propterea quod per exercitationes pueris adhibitas, sublata sit vis ac robur à violentis laboribus. Post pubertatem vero cum annis tribus ad alia perdiscenda intenderint, tunc congruit & laboribus et victu necessario illos occupare, simul. n. mente & corpore laborare non oportet, nam se inuicem impedire nata sunt labor quidem corporis, mentem: mentis autem, corpus.

Affert modum & ordinem gymnasticæ disciplinæ secundum sñiam suam philosophus, in erudiendis pueris, seu adolescentibus. Vult. n. quod vsq; ad pubertatē leuiores corporis exercitationes adhibeātur, quia crescere impediuntur, cum exercentur laboribus violentis, & excessiuis. signum aūt est, dicit philosophus, quod ex hoc gñe hominū, & ex his violenta exercitatione educatis videmus paucissimos, qui ijdem adolescentes & viri in olympo. i. in illa quinquennali cōgregatione Græcorum sint victoriam consecuti. nā onerati nimio labore in pueritia, non potuerunt postea euadere multū robusti, & ideo paucissimi ex illis olympia vicerunt. Leues igitˉ corporis exercitationes sunt adhibendæ pueris. at post pubertatē & triennium vltra pubescentiam adhibendæ sunt grauiores, vt sicut crescit corporis robur, cōsequenter exercitatio crescat, & grauior adhibeatur eo tempore, quo grauior & laboriosior tolerari potest.

De musica uero dubia quædam posuimus antea, & nūc rectum erit illa resumere, ut tanquam consentanea fiant rationibus quas quis de ea dicens ostendat: neq; enim facile est demonstrare, quam poten-

potentiam habeat, neque cuius gratia illam adipisci oportet, utrum solatij causa & quietis, quemadmodum somnus et potus: nam hæc per seipsa non sunt honesta, sed iucunda, & simul cessare curas faciunt, ut inquit Euripides. Quapropter instituunt in illa, & utuntur cunctis istis similiter, uino & potu & musica: in his quoq; saltationem posuerunt. an magis putandum est ad virtutem tendere musicam, vt potentem? quemadmodum gymnastica tale aliquod corpus reddit, sic et musicam talem aliquem morem efficere, assuefacientem posse recte lætari? an ad degendi rationem aliquid confert, & ad prudentiam? hoc enim tertium ponendum est, ex ijs quæ dicuntur.

Hoc est secundum capitulum huius primi tractatus, in quo philosophus posteaquam ostendit, quibus disciplinis erudiri adolescentes consueuerunt. s. literis, gymnastica, pictura, & musica, nunc docet latius, cur musica sunt erudiendi, vt antea se facturum dixit. Diuiditur autem hoc capitulum in tres partes, quæ inferius declarabuntur: in prima igitur dicit philosophus, se velle de musica resumere quædam dubia superius posita, atq; ea soluere, & affert tres dubitationes: prima est, vtrum musica sit perdiscenda gratia solatij, & requietis, idest causa ioci & recreationis: secunda est, vtrum potius sit perdiscenda, quia disponat homines ad virtutem, & bonos mores, vt gymnastica disponit ad robur corporis consequendum: tertia est, vtrum ipsa conferat ad degentiam in ocio contemplatiuo, & ad prudentiam, & ad virtutes intellectiuas adipiscendas. *Ex his quæ dicunt*, scilicet de musica.

Quod igitur oporteat pueros non solatij gratia discere, manifestum est, non. n. solantur discentes, nam cum labore est disciplina.

Secunda est pars huius capituli, in qua philosophus circa dubitationes allatas procedit differendo, & primum ostendit, non esse pueris addiscēdam musicam gratia recreationis & ioci ex eo, quod non est quærendum gratia recreationis & ioci id, quod in se habet laborem: sed addiscere pueris vel adolescentibus aliquam disciplinam est laboriosum, & musica est disciplina, ergo

non eſt diſcenda gratia recreationis,& ioci.

Atqui,nec ad degendi rationem,pueris, neq; illi ætati congruis attribuere: nulli enim imperfecto competit perfectio.

Sequitur philoſophus differendo,& oſtẽdit,quòd nec pueris addiſcenda muſica eſt,nec alijs exiſtentibus ſecundum morem pueris, aut ratione degentiæ in contemplanda veritate, aut ratione prudentiæ, vel ſapientiæ comparandæ. Nam huiuſmodi perfectiones competunt perfectis,& non pueris imperfectis,nec tali ætati,in qua nec ad degendum in ocio contemplatiuo, nec ad comparandam prudentiam, vel ſapientiam ſunt apti, nec alijs,qui eſſent pueri ſecundum mores. Nulli enim imperfecto competit perfectio: ſed pueri dicuntur imperfecti: ergo non competit eis, perfectio, quæ tribui ſolet prudentibus, vel degentibus in ſpeculatione veritatis percipiendæ.

Sed forſitan videbitur puerorum ſtudium ſolatij eſſe gratia, viris factis ac perfectis. Quod ſi hoc tale eſt cuius gratia oportet eos addiſcere, ac non potius (inſtar Perſarum, Medorumq; Regum) per alios idem facientes voluptatis ac diſciplinæ participes fieri? etenim neceſſe eſt, melius perfici ab ijs, qui hoc opus ſuum fecerunt et artẽ, quàm ab ijs qui tanto ſolũ tẽpore in eo laborauerunt, quãto diſcunt. Quod ſi oportet in ijs eos laborare, ſimiliter, et circa epularum apparatum, oportebit vtiq; eos addiſcere: quod eſt abſurdum.

Affert obiectionem contra rationem ſuam nuper allatam: nam dicere quis poſſet, ſi diſcere pueris eſt laborioſum, tamen non ſequitur, quin muſica, quæ eſt diſciplina, ſit perdiſcenda gratia iucunditatis, & recreationis: quia talis iucunditas, ſi non aderit eis pueris, dum addiſcunt, aderit tamen poſt diſciplinam adeptam eiſdem iam viris factis. Ad hoc reſpondet philoſophus, quòd non eſt neceſſarium tantopere laborare gratia talis iucunditatis conſequendæ, cum adhibere poſſimus modulatores Perſarum more in arte modulandi peritos, qui huiuſmodi habitum longo tempote conſecuti maiorem iucunditatem afferre poſſunt, quàm illi, qui exiguo tempore in ea facultate elaborarunt: ſicut non

eſt

est etiam necessarium coquinariam discere: nam si musica esset ob hanc causam pueris,vel adolescentibus perdiscenda, vt inde iam facti viri capiant iucunditatem, tunc coquinaria similiter esset discenda: sed hoc est absurdum,ergo & illud,ex quo hoc sequitur. Verum patebit postea, quòd non est simile de musica,& coquinaria: quia illa libero digna est,hęc verò seruilis.*Melius perfici*, idest melius fieri.

Eadē quoq; dubitatio cadit,si possit mores facere meliores. quid enim opus est eos hac discere,ac non ex alijs audientes rectè latari,& iudicare posse,quemadmodum Lacones? illi enim quanquam non didicerint,possunt tamen rectè iudicare (ut aiunt) quæ sit bona,uel non bona melodia.

Affert similem rationem philosophus circa secūdam quæstionem, & ostendit, quòd nobis non opus est ea, ad bonos mores consequendos,quia & si musicam non didicerimus,tamen recte lætari,& iudicare possumus, vt de Lacedæmonijs dicitur.

Eademq; ratio foret ad solatia,& ad rationem degendi ocij libero homine dignam quid enim oportet eos addiscere, ac non alijs utentibus frui? Considerare hoc licet ex ea opinione quàm habemus de Dijs: non enim Iupiter cantat, ac citharam pulsat, secundum poetas,imò illos qui talia faciunt, appellamus uiles: & opus illud non uiri neque sobrij, sed iocantis. Sed forsitan de his postea erit considerandum.

Affert philosophus similem rationem circa tertiam dubitationem,& ostendit, quòd non est perdiscenda musica, vt opus sit nobis ea ad degendum in ocio contemplatiuo, quia frui possumus alijs vtentibus, qui didicerunt, atq; ex ijs iucunditatem, vt prima dubitatio,& iudicium, vt secunda, & rationem ocij degendi capere, vt tertia quærebat. procedit autem philosophus differendo,vt diximus,& patet in textu,qui satis est planus.

Prima uerò quæstio est, utrum musica sit in ioco reponenda, an non: & quid horum trium, quæ in dubitatione proponuntur, potest efficere, utrum disciplinam, an solatium, an rationem ocij degendi? rationabiliter quidem ad omnia instituit, & uidetur

omnium particeps: nam et iocus gratia requietis est, ac quietem necesse est esse iucundam : est enim medicina quædam molestiæ illius quæ per laborem suscipitur.

Tertia est pars huius capituli, in qua philosophus resumit dubitationes allatas, & eas soluit: antea enim processit disputando, nunc autem determinat, & ostendit, quòd musica instituitur, idest confert ad illa tria, videlicet ad disciplinam, idest ad mores : ad iocum, idest ad recreationem, & ad ocium liberales : & incipit ostendere, circa primum membrum, eam esse accommodatam ioco vt sit quasi medicina, & relaxatio quędam laborum, cum cessant homines ab operando.

Et ratio degendi ocij non solum honestatē habere debet, verumetiam voluptatem : felicitas enim ex ambobus istis est. Musicam verò omnes fatentur esse ex iucundissimis, siue nuda sit, siue cum modulatione. inquit profectò & Museus, carmen dulcissimam rem esse mortalibus, quapropter, & ad cœtus familiarium, & ad vitam in ocio degendam rationabiliter illam recipiunt, vt potentem lætitiam afferre. vnde ex hoc quis intelligat illam pueris esse perdiscendam: quæcunq; enim iucunda sunt, atq; eadem innocua, non solum congruunt ad finem, verumetiam ad quietem. cum verò contingat hominibus perrarò esse in fine, persæpe autem cessent, & vtantur iocis, non in excessu quidem, sed ob delectationem : vtile vtiq; fuerit requiescere in ijs quæ ab illa proueniunt, voluptatibus . Contingit autem hominibus facere iocos finem, cum & habeat fortasse finis voluptatem quandam, sed non quamcunq; : quærentes verò illam, accipiunt hanc pro illa, ex eo, quod cum fine agendi similitudinē habet, nam finis gratia nullius futuri expetitur, & tales uoluptates nullius futuri gratia, sed gratia eorum quæ antecesserunt, laborum scilicet ac molestiarum, propter quàm igitur causam quærunt felicitatem fieri per huiusmodi voluptates, hanc sanè aliquis rationabiliter existimet causam.

Probat aliud membrum ex tribus, quòd musica est accommodata ocio contemplatiuo : nam ocium contemplatiuum, vt sæpius dictum est, consistit in tranquilla operatione mētis speculantis, quæ est humana felicitas, sententia huius philosophi, habens in se non modo ho-

nestatem eximiam, sed etiam summam, & laudabilé voluptatem annexam sibi, vt latissime ostẽdit philosophus in x. ethicorum. Musica vero ex iucundissimis est, siue sit nuda, idest sine modulatione, siue cum modulatione: & ideo accommodata est huic rationi viuendi, atq; ex eo pueris est discenda. Nam quæcunq; sine nocumento, & turpitudine sunt iucunda, non solum accommodantur ad finem, & operationem iuuant: sed etiam ad cessationem, idest remissionem, & recreationem operantis. *Carmen*, idest cantum.

Cum verò contingat musicam esse delectabilium, virtutem autem esse circa lætari rectè, & amare, & odisse, oportet profectò addiscere, & assuefieri ad nullam rem adeò, vt ad iudicandum rectè, & ad gaudendum mansuetis moribus, & laudabilibus operibus.

Hac in parte philosophus ex his, quæ nuper sunt dicta, declarat, quòd homines cum raro sint in fine constituti, idest in operatione perfecta: sæpe vero in cessatione: sumitur musica, quia confert ad tale tempus vacationis. Euenit enim, dicit philosophus, vt cum raro homines attingant vltimum finem, aut sint in eo raro constituti, recreationem appetant: ideo pleriq; in voluptate ioci acquiescunt, quasi arbitrentur ibi positam esse felicitatem ob similitudinem quandam, quia iocus non videtur esse gratia vlterioris finis: sed quasi relàxatio præteriti laboris. Et hinc orta est causa, cur homines quærãt iocum, & voluptatem, quàm putant prouenire ex eo. Nam cum non possint consequi verum finem, loco illius & omnino ipsius felicitatis, sumunt voluptatem prouenientem, vt illis videtur, ex ioco: quia non quæritur ab istis alicuius futuri sed præteriti laboris gratia, & quasi, vt vltimus finis. Notandum, quòd philosophus in decimo ethicorum refellit eos, qui ponebant summum bonum in ludo, vel ioco quodam, & afferebant huiusmodi argumentum, quòd ludus, vel iocus non expetitur gratia vlterioris finis, atq; ex eo inferebant, quòd est vltimus finis. philosophus autem confutat opinionem illorum, & ostẽdit, quòd cessatio ordinatur ad operationem. Nam

licet ſumatur ab iſtis,vt relaxatio præteriti laboris, tamen de ſe ordinatus ad operationem. Vnde philoſophus eo loco ita inquit : ceſſatio quædā iocus videtur, cumq́; fieri nequeat,vt quis continuo laboret, ceſſatione indiget. Non ergo finis eſt ceſſatio,cum fiat gratia operationis. Videtur autem beata vita ſecundum virtutem eſſe: hæc autem ſtudioſa ac non in ioco. Et M. Cicero in primo de officijs : neque enim,inquit, ita generati à natura ſumus,vt ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potius,& ad quædam ſtudia grauiora atque maiora.

De participatione autem muſicæ,non propter hanc ſolam, ſcilicet quia utilis ſit ad ceſſationes,vt uidetur,uerumetiam id quærendum eſt, ne forte hoc ita contingat : pretioſior quidem natura eius eſt,quàm ſecundum eum uſum,de quo ſuprà dicitur,& oportet non ſolum ab ipſa uoluptatem capere, quam percipiunt omnes ſecundum ſenſum : habet enim muſica naturalem uoluptatem, per quam illius uſus cunctis ætatibus, & cunctis moribus eſt acceptus. Sed uidendum eſt, ſi quo modo ad mores extenditur, & ad animum : id autem patebit : ſi tales aliqui ſecundum mores, per illam efficiamur.

Hac in parte philoſophus oſtēdit circa tertium membrum ex ſupradictis,quod muſica confert ad mores, ſeu ad morales virtutes, proponit autem ſuam voluntatem in primis,& dicit,quod ſcrutandum eſt vtrū muſica comparanda ſit, non ſolum ob ſuam iucunditatem accommodatam ad degentiam, vel ad recreationem operantium,vt medicina quædam ſecundum eum vſum,de quo dictum eſt antea: ſed etiam quærendum,vtrum cōtineat maiorem, & pretioſiorem fructum : qui ad animi cultum pertineat, atque ipſum perficiat,quia multo magis capere eum oportet,quàm voluptatem, quæ ſenſu percipitur à quibuſcunque ætatibus,& ab habētibus quoſcunque mores. Naturaliter enim ſonus cū proportione editus,& conſonæ voces delectant ſenſus,vel auditum omnium pene hominum. ſed videndum eſt, vtrum muſica habeat aliquid pretioſius,præter talem delectationem

ſenſus

ſenſus, conferens ad diſpoſitionem moralis virtutis, & ad perficiendas potentias animę rationalis. Hoc autem patebit, ſi oſtendemus, illam diſponere, vel afficere animum noſtrum, ita vt quod proprium eſt boni moris, diſcamus gaudere quibus gaudendum eſt, & odio habere, quę odiſſe oportet.

Atqui quod efficiamur, per Olympi modulationem manifeſtum eſt, ea nanq; abſtrahit animam, et quodammodo rapit. raptus uerò & abſtractio animæ, circa morem affectio eſt.

Pręmiſſa intentione ſua oſtẽdit philoſophus id, quod dixit, videlicet quod per muſicã taliter diſpoſiti efficiamur ſecundum mores. Quod autem muſica afficiat animum, probatur: id quod diſtrahit animum, afficit illum, & imprimit diſpoſitionem in eo, ſed muſica eſt huiuſmodi, ergo afficit illum, vt exemplo Olympi muſici & modulatoris apparet.

Præterea, audientes repreſentationes, omnes afficiuntur etiam ſine melodijs & uerſibus.

Dicit Sanctus Thomas circa hãc partem, quod ſecundum interpretẽ veterem videbatur eſſe ſpatium in exẽplari Gręco, ac ſi hoc loco aliqua pars textus deficeret, ſed tamen nihil deeſt, verum eſt quædã verborum facta commutatio, quæ ſententiam nulla ex parte perturbat. Probat autem idem ſimilitudine repreſentationis, quæ cum ſit actio quędã, & ſine melodijs & numeris diſponat atque afficiat animos noſtros, multo magis faciet muſica, quæ præter geſtum & actionem habet aliud vlterius. Afficiet igitur animum noſtrum ad gaudendum quibus oportet, & odio habendum, quæ odiſſe, oportet, quod multum refert ad virtutem moralem. Non enim eſt parum ad res agendas, probe aut improbe lætari, aut dolere, vt inquit philoſophus ſecundo Ethicorum. Eadem eſt Platonis ſententia, cum inquit: ab ipſa adoleſcentia inſtitutos eſſe conuenit, vt quibus oportet gaudeamus, ac doleamus. Et M. Cicero in libro de amicitia: Hoc, inquit, proprium eſt animi bene conſtituti, & lętari bonis rebus, & dolere contrarijs.

Sunt

Sunt autem in rhythmis, & melodijs similitudines, maxime penes veras naturas iræ, & mansuetudinis, ac fortitudinis, & temperantiæ, & omnium contrariorum his, & aliorum quæ ad mores pertinent. Patet id ab effectu: mutamus enim animum, talia audientes. mos autem dolendi ac lætandi in similibus propè est, vt erga veritatem eodem modo se habeat: ceu si quis gaudet imaginem alicuius videns, nō propter aliam causam, sed propter formam ipsam, necessarium est huic, & aspectum ipsum illius, cuius imaginem contemplatur, esse iucundum.

Probatur idem alia ratione: id quod præ se fert similitudines effectuum, seu dispositionum, afficit animum nostrum: sed musica est huiusmodi, ergo musica afficit animum nostrum ob similitudines, quę prę se ferunt melodiæ, & rhythmi. Patet ratio ab effectu, quia versari circa ea, quæ sunt similia alicui, prope est ac si versaretur quis quodam modo circa illud, vt ostendit philosophus exemplo contemplantis, seu intuentis imaginem, puta Socratis. Afficitur enim animus prope, ac si adesset res illa, cuius est similitudo. Vnde Cicero in quinto libro de finibus: ego illa moueor exedra: modo enim fuit Carneades, quem videre videor: est .n. nota imago: à sedeq; ipsa tanti ingenij magnitudine orbata desiderari illam vocem puto. Quin etiam ob hanc causam, idest ex eo quod talia momentum faciunt ad mores, dicet philosophus, cauendum esse à figuris, vel formis, quæ turpia repręsentant.

Contingit autem in alijs quidem sensibilibus, nullam existere similitudinem morum: vt in ijs quæ tactu vel gustu percipiuntur: in ijs etiam, quæ visu, admodum parum: figuræ enim sunt talia: sed perparum. & omnes huiusmodi sensus participant. insuper non sunt hæc similitudines morum, sed signa magis, quæ fiunt figuræ, et colores morum: & sunt hæc a corpore in affectibus. Attamen quantum refert circa horum speculationem, oportet pueros non figuras inspicere Pasonis, sed Polygnoti, & si quis alter pictor, vel statuarius sit moralis.

Remouet philosophus tacitam obiectionem, qua quis dicere potuisset, quòd sensibilia secundum alios sensus

præ

præ se etiam ferunt similitudines morum sicut ea, quæ sunt auditus. Ad hoc dicit philosophus, quòd in ijs quę visu percipiuntur, admodum parum tales similitudines esse videntur, quales præ se fert musica et harmonia. In sensibilibus vero aliorum sensuum minime, ideſt prope nullæ reperiuntur. Quin etiam ipsa sensibilia visus, vt figuræ, atq; colores, magis signa præ se ferunt, quàm similitudines. Quare tenues sunt similitudines visibilium, vel potius signa quedã, vt dicit philosophus. Aliorum vero sensuum prope nullæ sed ipsius auditus sensibilia præ se ferunt effectuum nostrorum, & dispositionum, non tenues, sed vehementes similitudines, & sic soluitur obiectio. Notandum, quòd Sanctus Thomas dicit hoc loco, quòd in sensibilibus secundum vnumquenque sensum, sunt aliquæ similitudines effectuum, & moralium dispositionum. quia cuncta sensibilia consistunt in aliquibus proportionibus determinantis principiorum suorum, & quòd per alterationes factas ab ipsis sensibilibus mouemur, ad aliquas actiones, vel passiones morales bonas, vel malas: verum quia sensibilia auditus, & visus magis nos cognoscere faciunt, quæ cęterorum, ideo ista magis præ se ferre videntur similitudines morum. Adhuc etiam reperiri magis hoc insensibilibus auditus, quàm visus dicit ex eo, quia magis est causa disciplinæ quoquo modo per accidens, & maior fit impressio per talem sensum, vel ex suo sensibili. Vnde dicit, quòd sensibilia aliorum sensuum nullam, ideſt modicam, & immanifestam præ se ferunt similitudinem morum: visibilia vero tenuem vt figurarum quędam aliquo modo tristes, quædam lætæ, & huiusmodi dicuntur. Quin etiam talia magis signa quædam incidentia cum ipsis moribus, repræsentant quæ dici possent reperiri quoquo modo in passionibus sensibilibus aliorum sensuum, vt odoratus, gustus, & tactus: sed in ipsis visibilibus manifestius, quàm in illis percipiuntur. Ex ijs omnibus apparet, quòd philosophus vult harmoniam non mediocre momentum habere ad afficiendum animum nostrum. Quantum

vero ad figurarum visionem pertinet, dirigēdi sunt adolescentes, vt assuescant videre figuras non Pasonis, quæ erant turpes, sed Polignoti, cuius figuræ honestam repræsentabant considerationem.

At in melodijs ipsis sunt imitationes morum: & hoc est manifestum, statim enim harmoniarum distincta est natura, ita ut qui audiũt, aliter disponantur, nec eodē modo se habeant ad unãquamq; ipsarum, sed ad quasdam flebiliter et contracte magis, puta ad eã quæ appellatur Lydia mixta: ad quasdam verò mollius secundum mentem, ceu ad illas quæ sunt remissæ: ad aliam vero mediocriter & composite plurimum, vt videtur Dorica facere omnium harmoniarum. Phrygia uero distrahit, ac rapit animum, & quasi extra se ponit: hæc enim recte dicunt, qui circa huiusmodi disciplinam philosophantur: capiunt enim verborum testimonia, ex rebus ipsis. Eodem modo se habet circa rhythmos, alij enim morem continent grauius, alij concitant, alij violentiores afferunt motiones, alij liberaliores. Ex his igitur patet, quod musica potest animi morem aliqualem facere.

Remota obiectione illa, philosophus nunc docet, quod in musicis sunt imitationes, idest similitudines morum: sunt enim multi in musica cantus, siue concentus, quorum alij aliter animos nostros afficiunt, & alij flebiles vt harmonia, quæ appellatur lydia mixta: alij molles, alij mediocres, alij vehementes esse dicuntur, & variarum dispositionum similitudines præ se ferunt, ita vt si animi hominum, nunc remissi, nunc concitati esse apparent, sic melodiæ nunc mites, nunc feruidæ esse videantur. Quin etiam modulatorem temporibus Alexandri fuisse tradunt, qui coram rege varijs vtebatur harmonijs, atque ita eum afficiebat, vt nunc feruidum, nunc mutata harmonia mitem eius animum redderet: interdum etiam distraheret. Varijs igitur modis afficiunt animum melodiæ. Eodem modo se habent rhythmi recte compositi. Quare cum harmoniæ similitudines rerum præ se ferant, & diuersas imprimant dispositiones, proculdubio ad mores non mediocriter pertinent. *Verborum testimonia ex rebus ipsis*, idest rationum suarum testi-

testimonia, ex ipsis rebus, & ex ipsis operibus. sunt enim harmoniæ, vt dictum est supra, imitationes morum, & dispositionum nostrarum, quibus fit, vt earum aliæ vehementes, aliæ remissæ, aliæ mediocres dicantur, quia illæ vehementer, hæ remisse, aut mediocriter afficiunt animum. Ex ijs igitur patet, quod musica ad mores nostros non mediocre habet momentum hoc, an illo modo in animum imprimendos.

Quod si hoc potest musica, clarum est quod ad puerorum disciplinam sit adhibenda, & in ea pueri sint instituendi, congruit aũt naturæ, huiusmodi disciplina musica: nam pueri propter ætatem nihil ferunt sponte, quod non habeat in se iucunditatem: musica vero ex ijs est quæ sunt iucunda scd̃m naturam. Et videtur cognatio quædã esse nobis cũ harmonijs: et rhytmis: quapropter multi sapientũ dixere: alij quidẽ, animam esse harmoniã: alij verò, habere harmoniã.

Dicit igitur philosophus concludendo, quod si musica tantum circa mores nostros habet momentum, danda opera est, vt discatur à pueris. nec obstat id, quod differendo allatũ est supra, videlicet quod disciplina est cum labore, cũ huiusmodi disciplina maxime sit homini cognata natura, habens in se naturalem quandam iucunditatem. nam musica homini soli ex animalibus videtur competere, cum numeros & proportiones; & dissonas atque consonas voces percipiat. & licet auiculæ quædam instinctu naturali cantus edant, tamen non percipiunt ea, quæ supra attulimus. Magna est igitur homini cognatio cum melodijs, & cãtibus proportionaliter editis, vnde quidam philosophorum dixerunt, animam esse harmoniã, vt Aristoxenus musicus idemq; philosophus, sicut in Tusculanis refert Cicero: aut nõ sine harmonia. Verum eos, qui posuerunt animam esse harmoniã, redarguit philosophus in libro de anima. qui vero dicunt animam nostrã habere harmoniam similitudine quadam & metaphorice loqui videntur. Afferũt.n. ordinem potentiarum animæ, quarum aliæ imperant, aliæ parent, cum igitur se habent secundum ordinẽ vt imperet quę imperare, & pareat quæ parere debet, tunc oriri vr̃ harmonia

quędam

quædam atque concentus proportionaliter se habens, idest potentiæ ad potentiam, vt exigit ordo naturæ: sic ergo concluditur, quod musica, vt disciplina pertinens ad mores, & vt iucunda atque conformis naturæ hominis, pueris est vel adolescentibus perdiscenda.

Vtrum autem discere eos oportet, canere, & manibus pulsare, aut non: (quemadmodum prius dubitatum est) nunc erit dicendum. Non est obscurum, interesse multum ad hoc, vt efficiamur aliquales, si quis operum ipse sit particeps, nempe impossibile est, uel certè admodum difficile, vt qui opera ipsa non tractet, perite valeat iudicare.

Hic est secundus, & vltimus tractatus huius libri, in quo philosophus posteaquam ostendit, quod oportet instituere adolescentes, illis quatuor disciplinis literis, pictura, gymnastica, & musica, & declarauit musicam esse accommodatam ad cultum animi, & ideo ad puerorum cisciplinam esse adhibendam: nunc vlterius inquirit, vtrum pueros, vel adolescentes addiscere musicam oporteat, quantum ad actum vocis & soni: sic enim bipartita est musica. Diuiditur autem hic tractatus in duo capitula: in primo quærit de musica quæ vtitur instrumentis, idest inquantum respicit sonum: in secundo considerat musicam inquantum respicit rhytmos, & cantus recte animum disponentes.

Primum capitulum diuiditur in tres partes, quæ suis locis declarabuntur. Dicit autem in primis, quod videndum est, vtrum discere debeant adolescentes musicam instrumẽtis & voce, & affert duas rationes, quibus ostendit vtroq; modo esse discendã. Prima ratio est ista, quod plurimum valet ad recte iudicandum de moralibus, uel de eorum similibus est adolescentibus perdiscẽdum: sed musica vtroq; modo sumpta, est huiusmodi, ergo musica vtroq; modo est adolescentibus perdiscenda: maior est nota, quia id quod confert ad rectum iudicium de moribus, vel de eorum similibus, idest de iis quę prę se ferunt similitudines morum, confert etiam ad bonam morum dispositionẽ: minor quoq; patet ex eo, quia difficile est,

vt qui nõ tractauerit aliquam rem agibilem,recte de ea iudicet: quisq; enim bene iudicat,quæ cognoſcit, & eorum bonus eſt iudex: cognoſcit autem agibilia maxime ex operibus.Vt igitur acquiratur iudicium conferens ad bonam morum diſpoſitionem,addiſcenda erit muſica, vtroque modo.

Et ſimul opus eſt,ut pueri habeant exercitationem aliquam & Architæ organum recte repertum eſt,quod pueris dant,ut in eo occupati,illa quæ ſunt domi non frangant: neſcit.n.pueritia quieſcere: hic eſt.n.infantibus conueniens ludus: diſciplina uero maioribus, tanquam id genus inſtrumenti. Quod igitur docendi ſint muſicam, ita ut in opere ipſo uerſentur, ex ipſis patet.

Secunda eſt ratio,quod eſt accommodatum exercitationi puerorum,vel adoleſcentum,eſt ab eis perdiſcendum, ſed muſica vtroq; modo ſumpta,eſt huiuſmodi,ergo eſt ab eis perdiſcenda.Patet ratio,quia pueri quieſcere neſciunt,indigentq; exercitatione: muſica vero exercitatio eſt libero digna: quòd autem indigeant exercitatione,oſtendit philoſophus tabella. Architæ inſtrumentum.i.quo pulſatur lignum cum ligno, & ſicut pueris illud,vel infantibus,ſic maiori ætati diſciplina accommodatur,ut liberalis exercitatio.

Quid autem deceat uel non deceat ſecundum ætates, non difficile eſt determinare,ac reſpondere vituperatoribus,vile huiuſmodi exercitium eſſe dicentibus. Primum igitur cum iudicandi cauſa, ſint hæc opera ipſa perdiſcenda, propterea oportet in pueritia illis operam dare: in maiori vero ætate exercitationem eorum dimittere, tantummodo autem iudicare poſſe per diſciplinam in pueritia adeptam,& lætari recte. Vituperantibus autem,qui aiunt ſordidos ac viles muſicam facere,non difficile eſt reſpondere, ſi conſideremus,quouſq; illi opera danda ſit ab ijs, qui ad virtutem ciuilem erudiuntur, & quæ melodiæ, quiue rhythmi ſint addiſcendi, & præterea quibus inſtrumentis percipiatur: nam id quidem plurimum referre veriſimile eſt,conſiſtitq; in his,obiectionis ſolutio,nihil.n.vetat modos quoſdam muſicæ,illud quod aiunt,efficere.

Refellit eos,qui poſt habendam muſicam, tanquã uilem exercitationem,eſſe dicebant,& oſtẽdit diſtinguendas

das esse ętates. Dicit autem in primis, quòd in adolescentia danda est opera musicæ, deducendo eã in actum, cantando videlicet, & quibusdam instrumentis vtendo, vt ex eis cognitione adepta recte deinde iudicare possimus. Verum adolescentes, quia nondum sunt experti, & motiones habent varias, non possunt simpliciter, & perfecte iudicare: elaborare tamen in ea possunt, & gradatim experimentum consequi. prouectos vero ætate non decet eam actualiter exercere, sed potius iudicare, quia experientiam iam habent, & disciplinam in pueritia adeptam, & perturbationes sunt in eis sedatæ, vel ad mediocritatem redactæ, si sunt studiosi vt in optima ciuitate esse debent. Iudicare igitur possunt in maiore ætate constituti per disciplinam in pueritia adeptam, vt diximus, ac recte ļętari: quod non parum conferre videtur ad bonam morum dispositionem. vituperatoribus autem huius disciplinæ facile respondere possumus, habita distinctione ætatis, quia vni ætati conuenit tractatio, & exercitatio musicæ, alteri iudicium de ipsa, & rationibus eius, vt dictum est supra. Quare non est negligenda, nec vituperanda exercitatio, si consideretur quousque exercenda est: & item si distinctio fiat melodiarum, quarum aliæ sumendæ sint aliæ omittendæ, prout conferunt, aut non conferunt ad mores: itaq; non est simpliciter dicendum de omnibus: sed fatendum de aliquibus, videlicet, ꝙ aliquæ melodiæ, vel aliqua instrumenta sumenda sunt, aliqua omittenda: & sic patebit obiectionis solutio contra vituperatores hmōi disciplinæ.

Clarum est igitur, oportere disciplinam eius neque impedimentum afferre posterioribus operationibus, neq; corpus efficere sordidum & inutile ad bellicas, ciuilesq; operationes, ad usus quidem iam, ad disciplinas uero postea: erit autem hòc, si neq; in illis laborabunt, quæ ad certamen, artificij pertinent, neq; circa admirabilia quædam & superflua, quæ in certamina prius, & de certaminibus in disciplinam uenere, sed eousq; ut gaudere valeant probabilibus melodijs, & rhythmis, & nō communi sensu musicæ solum, ut animalia quædam, et turba seruorum, ac puerorum.

Secunda

Secunda est pars huius primi capituli, in qua philosophus ostendit in genere, quibus instrumentis vti, & quibus non vti oportet: & dicit talia esse sumenda, quæ non impediant operationes animi nostri, aut corpus sordidum & ineptum reddant ad ciuilem vitam. Erit autem hoc, si incipientes ire ad exercitationes, non laborabunt in ijs, quæ immoderato labore deprimunt corpus: neque in ijs operibus, quæ admirabilia apparent, & sunt superflua: quæ primum venerunt in vsum & exercitationem certantium: deinde ex eo in disciplinam, & eruditionem iuuentutis sunt deducta. sed magis elaborabunt in facilioribus, & moderatis exercitationibus vsque ad quendam terminum, idest eousque, vt possint recte gaudere probabilibus harmonijs, & non solum communi quodam sensu musicæ: quo etiam quædam animalia, & multitudo imperita trahitur quodam modo ad lætãdum iucunditate soni vel cantus, sed recto iudicio, ac disciplina exculto.

Patet ẽt ex his, quibus instrumentis sit vtendum: neq;.n. etiam tibiæ sint in disciplina recipiendæ, nec aliud artificiosum instrumentum, vt cithara, & si quid aliud tale: sed quæcunq; faciant auditores bonos, vel musicæ disciplinæ, vel alterius. Insuper tibia nõ est morale, sed potius ad animositatẽ concitatiuũ. itaq; ad hmõi tpa est vtendum illa in quibus spectacula magis purificationem requirunt, quam disciplinam. Adiungamus aũt, & illud, quod contrariũ disciplinæ efficit, impediens rõne vti tibiarũ sonus. Quapropter bene reprobauerunt illarum usum antiqui, et ad iuuenes, & ad ingenuos, licet prius vsi fuissent: studiosiores.n. facti pp diuitias, & animosiores ad virtutem, & prius & post victoriã contra Medos habitã, ac ex rebus gestis magnum de se sapientes, disciplinã oẽm arripuerunt, non iudicantes, sed experientes. Quapropter tibiarum quoque vsus tunc receptus est, nã apud Lacedæmonios quidã qui ludos exhibebat, ipsemet tibijs modos fecit. et Athenis quousq; in consuetudinẽ venit, ut ferè ingenui oẽs discerẽt: qđ patet ex tabula à Thrasippo p̄sita, cũ ludos pro tribu sua dedit. Postea uerò in dissuetudinẽ abijt, et ĩprobari cœpta est, cũ iã melius p experiẽtiã iudicari possit, quid ad uirtutem ptineat, et quid nõ. Eodẽ quoq; mõ pmulta instrumentorum

mentorum antiquorũ,improbata sunt,veluti Pectides,& Barbiti, et quæ ad voluptatẽ audiẽtium intendebãt,heptagona,& trigonæ, & sambucæ,et cuncta quæ indigẽt perita manuum gesticulatione.

Tertia est pars huius capituli, in qua philosophus in specie declarat exercitationem musicæ,& remouet quędam instrumenta à musicæ disciplina, vt tibiam, & citharam. Intelligere autem videtur,per tibias omnia instrumenta,quę indigent vehementi flatu humano: & per citharam quæ indigent, vt cum labore substineantur à corpore, & mouentur motu corporis. Sed excludit primum tibiam,seu fistulam, quia non est accommodata ad bonam morum dispositionem, sed ad concitandos animos, & quia perturbat vsum rationis, quod est oppositũ disciplinę, quæ vult sedare affectus,& non excitare. Tibiæ autem si excitant, sunt contrariæ disciplinæ. Hinc est,quòd maiores nostri,dicit philosophus,licet prius vsi fuissent tibijs seu fistulis, tamen postea eas abiecerunt, re ipsa experti esse inutiles ad virtutem, & bonos mores consequendos.Insuper abiecerunt multa alia instrumenta,quæ indigent manuum gesticulatione,vt barbiton cuius meminit.Flaccus,Nec polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton: vt eptagona,& trigona.i.instrumenta septem angulorum, & trium angulorum.

Rationabiliter quoque se habet illud,quod antiqui de tibijs fabulãtur: aiunt enim,Mineruam repertricem,tibias abiecisse ob deformitatẽ oris.atque non malè habet dicere, fecisse id Deam,deformitate oris infensam,sed & etiam multò magis ob id quia nihil confert tibiarum vsus ad intelligentiam et mentem,cum scientia & ars Mineruæ sit attributa.

Idem ostendere nititur ex dictis fabulosis,quibus poetæ fingunt Palladem primum tibias inuenisse, deinde abiecisse ob deformitatem oris: quam vtentibus afferre videtur.Sed non est alienum à morali expositione dicere, ab ea cui scientiam,& artem tribuunt fabulæ poetarum gentiliũ,tibias esse repudiatas: non tam ob deformitatem oris,quàm quia sint inutiles ad intelligentiam mentis consequendam,;ait philosophus.

Cum

Cum verò instrumentorum & operis improbauerimus artificiosam disciplinam: artificiosam verò illam posuimus quæ versatur in certaminibus: in illis enim qui agit, nō propriæ uirtutis gratia agit sed vt audientes delectet, & onerosa quidem delectatione: quapropter non ingenui hominis censemus esse huiusmodi opus, sed per viles ac sordidos contingit illud fieri. nā finis cuius gratia faciunt, improbus est, cū spectator onerosus existens, modo hoc, modo illud exigere consueuerit: ita vt artifices quoque placere studētes, illiusmodi efficiantur, & corpora similiter propter motus.

Dixit superius philosophus, non esse laborandum in illis, quæ ad certamen artificij pertinent, neq; circa admirabilia quædam & superflua, quæ in certamina prius, & de certaminibus in doctrinā venere. Nunc igitur concludit propositum, ostendendo huiusmodi vsum instrumentorum, quibus artificiose vtuntur quidam in certaminibus, & theatris, non conferre ad virtutem, nec vtentes illis sumere huiusmodi exercitationem gratia virtutis, & animi perficiendi, sed gratia delectandi audientes onerosa & seruili delectatione, quia finis non quæritur aliqua perfectio morum, sed lucrum & commodum, vel aliquid tale. ex quo fit, vt impediatur dispositio animi eo modo, quo dictum est prius, & corpus ineptum reddatur. Notandum, quod tempore Aristotelis & multo etiā antea musici, in Græcia floruerunt. nam summam eruditionem, vt inquit Cicero, Græci sitam censebant in neruorum vocumque cantibus. Igitur Epaminundas, princeps meo iudicio Græciæ, pręclarè fidibus cecinisse dicitur. Notandum præterea, quod tempore Socratis, & Platonis fuit Alcibiades Atheniensis, tibiarum maxime cōtemptor, vt in eius vita comperimus, quæ est à nobis ex Gręco in Latinum traducta. Dicebat enim, vt scribit Plutarchus, tibiam sodalium colloquia tollere, & tantam homini deformitatem afferre, vt cum tibicines buccas inflarent, vix dignoscerentur ab illis, qui intima essent ei familiaritate coniuncti.

Considerandum præterea est de harmonijs, et rhytmis, vtrum ad disciplinam omnibus utendum sit harmonijs, & omnibus rhytmis,

 an di-

an distinguendum. Deinde, vtrum illis qui eruditionis causa laborant, eandem definitionem tribuamus, an tertium quid alind. Quoniam videmus musicam esse per melodiam, & rhythmos, horum vtrunq; latere non debet, quam uim habeat ad doctrinã: et vtrum praferenda magis sit ea pars, quæ in melodijs consistit, an ea quæ in rhythmis. Putantes igitur multa de his esse dicta rectè à musicis quibusdam, qui nunc sunt, & à philosophis, qui peritiam habent huiusmodi disciplinæ, discussionem, et examen singularum partium illis dimittemus, qui perquirere uolent: nos autem legitimè solummodo in genere de ipsis dicamus.

Hoc est secundum, & vltimum capitulũ huius tractatus: in quo philosophus posteaquam docuit, quibus instrumentis utendum & non utendum sic: nunc determinat de cãtibus, idest de melodijs, & rhythmis. Diuiditur autem hoc capitulum in tres partes, quæ inferius declarabuntur: dicit autem in primis, quod considerandum est circa vsum harmoniarum, & rhythmorũ, vtrum omnibus vtendum sit, an distinguendum, ut fecimus de instrumentis: Et uidẽdum, vtrum eadem distinctio facienda sit simpliciter, & respectu disciplinæ ac eruditionis, an tertium quiddam sit sumendum: nam videmus, dicit philosophus, concentus & proportiones distingui: itaq; cõsiderare oportet, quęnam sit cuiusq; uis, & natura conueniens virtuti, & moribus, & quænam sit magis eligenda, an musica, quæ uersatur circa melodias, an ea, quę cõsistit in rhythmis. Nõ est autẽ propositum nostrum exactissime de his loqui, quia est officium eorũ, qui de musica doctrinam tradidere. Nos tãtum in genere, dicit philosophus quantum ad eruditionem puerorum uel adolescentium, & ad hoc nostrum propositum pertinet, de hac materia dicendum putamus.

Cum illa probetur à nobis melodiarum diuisio, quam faciunt quidam philosophi, quod aliæ sunt morales, aliæ effectiuæ, aliæ abstractiuæ, ponentes naturam earum ad singula istorum propriam. Dicimus autem, non vnius vtilitatis gratia oportere musica uti, sed multarum: nam & doctrinæ gratia, & purificationis, (quid autem purificationem intelligamus, nũc simpliciter, alias uero diligentius in

his

his qui de poetica, dicetur) tertio, gratia degendi ocij, quietisque causa, & remissionis curarum. Patet omnibus harmonijs esse vtendum, sed non eodem modo: uerum ad doctrinam quidem moralibus est utendum maximè: ad auditionem uerò, alio pulsante, effectiuis, & abstractiuis. nam affectio illa quæ contingit circa animos quorundam uehementer, in cunctis existit. Differt autem secundum magis, & minus, ceu commiseratio & metus, & præterea abstractio animi. nam per hunc motum deuoti & supplices quidam fiunt. uidemus autem ex sacris melodijs ita affici, quando utuntur expiantibus animã carminibus, quasi medicina fretos, & purificatione. Hoc idem euenire necessarium est his qui commiseratione, & qui metu, & qui alijs affectibus detinentur, & alijs quantiscunq; talia contingant fieriq; in omnibus purificationem quandam & alleuiationem cum uoluptate. Similiter aũt carmina purificatiua, lætitiam afferũt innocuã hominibus: quapropter talibus harmonijs, et talibus carminibus spectãdi sũt hi, qui theatralẽ musicã tractãt certatores.

Secunda est pars huius capituli, in qua philosophus affert diuisionem antiquorum, & ostendit sibi satisfacere diuisionem eorum, qui dixerunt, melodiarum alias esse morales, alias effectiuas, idest actiuas, alias abstractiuas, vt vnicuiq; istarum naturam propriam tribuerunt. Vnde superius dixit philosophus, harmoniarum, distincta est natura, ut Lydia mixta flebilis est, & afficit animũ: Dorica vero ad mediocritatem moralem est accõmodata: Phrygia distrahit animum, ac rapit audientem, ut nihil exterius sentire uideatur. Quare naturã propriam tribuit vnicuiq; istarum harmoniarum sumens testimonia rationum illarum ex rebus ipsis. Nos igitur dicimus, musicam non esse quærendam vnius tantum vtilitatis gratia, sed multarum. Confert enim ad doctrinam dicit philosophus, & ad purificationem, de qua dicemus in libro quem de poesi scribemus, qui liber nõ totus extat. Tertio confert ad ocium tranquillum, & relaxationem curarum, vt dictum est prius. Quæ cum ita sit, patet harmonijs esse vtendum, sed non eodem modo, nã ad disciplinam eorum, qui erudiuntur, vtendum est moralibus harmonijs, idest illis quas antiqui dixerunt accommo-

datas esse ad mores: alijs verò scilicet actiuis, & abstractiuis vtendum dicit audiendo alios pulsantes: quia pulsando non fiunt sine manuum gesticulatione, quàm superius improbatam esse dixit. Verum, & si huiusmodi melodię omnium pene animos afficiant: tamen alios homines magis, alios minus secundum diuersitatem complexionum,& harmoniarum,quæ illis accommodantur. Nam alij metu,alij tristitia, alij alijs laborant: quorum scilicet affectuum purificatio atq; leuatio ab huiusmodi harmonijs sumi videtur. Itaq; ad sedandos affectus, vt medicinæ quędam habent momentum.

Sed cum spectator sit duplex,alter ingenuus & doctus,alter vilis & indoctus ex opificibus, turbaque vrbana,his quoque accommodanda sunt certamina, & spectacula ad cessationem & quietem:vt enim illorum animæ distortæ sunt à naturali habitudine,sic harmoniarum,& melodiarum distortiones sunt quędã,& illæ sunt vehementes ac rigidæ. Delectat verò singulos id quod naturæ suæ sit aptum, quamobrem licentia permittenda est his, qui de arte musica certant,vt ad huiusmodi spectatorem,tali genere vtantur musicæ.

Tertia est pars huius secundi,& vltimi capituli,in qua philosophus ostendit in specie, quibus harmonijs, vel melodijs sit vtendum. Dicit autem in primis, quòd duplex est hominum genus. Vnum imperitorum: alterum ingenuorum.Verum cum vnicuiq; accommodandum videatur id,quod suæ conditioni conuenit, dicit philosophus,quòd imperitis,& ijs qui illiberales artes exercẽt, accommodandæ erunt rigidę,& vehementes harmoniæ. Videmus quoq; hac tempestate homines rudes, instrumentis vti rigidum quodammodo, & vehementem sonum edentibus. Notandum, quòd animæ humanæ sunt omnes eiusdem rationis, cum oriantur à Deo creatore nostro, & ordinem habent naturalem, vt inclinentur ad perfectionem suam: sed diuersificantur postea naturæ hominum ob diuersitatem complexionum, & variam dispositionem materiæ. Atque ex eo fit,vt alij magis,alij minus apti ad operandum reddantur. Niti tamen vnusquisq;

quisq; debet, cum liberum habeat agendi principium, ad meliora semper naturam suam dirigere.

Ad doctrinam verò (quemadmodum dictum est) moralibus melodijs est vtendum, & talibus harmonijs, qualis est Dorica, vt suprà diximus. Recipienda est & alia quamcunque nobis suadent, qui in philosophia, musicaque versantur.

Ostendit nunc philosophus, quæ harmoniæ sunt accõmodandæ ingenuis hominibus, qui doctrina instituuntur, & dicit, quòd dorica, & aliæ eiusdem generis conueniunt eis. Nam morales sunt, & in quadam mediocritate, & compositione constitutę, vt antea declarauit.

Socrates verò in libris de republica, non rectè Phrygiam adiungit tantummodo ad Doricam: licet improbans tibiam ex instrumentis: habet enim eandem vim Phrygia in harmonijs, quàm habet tibia in instrumentis: ambæ enim concitant animos, & in affectus impellunt. Ostendit hoc poesis: tota enim bacchatio, & tota huiusmodi concitatio maxime omnium instrumentorum per tibias fit. harmonia verò Phrygia maximè hunc modum habet, ceu Dithyrambus manifestè videtur esse Phrygius. cuius quidem rei plura afferunt argumenta, qui circa huiusmodi rerum intelligentiam vacant. & inter cætera illud, quod Phyloxenus aggressus Doricè facere dithyrambos in fabulis, non potuit. sed ab huius natura tractus fuit ad Phrygiam harmoniam, quæ maximè illis congruebat. Doricam autem fatentur omnes constantem esse ac firmam, moremque summopere continere virilem. Præterea cum medium extremorum laudemus, sumendumq; esse dixerimus, Dorica autem hanc habeat naturam ad alias harmonias, manifestum est quod Doricam præ cæteris decens est iuniores addiscere.

Refellit Platonẽ hac in parte philosophus, quia cum aliæ similes doricæ reperiantur, & cum illa conformitatem habeant, ipse adiungit Phrygiam tantum ad doricam, q̃ non venit cũ ea. Nam Phrygia habet eandem vim in harmonijs: quàm habet tibia in instrumentis: sed tibia concitat animum, & affectus, sic etiam harmonia Phrygia. At Plato tibiã improbauit, quia est affectuum concitatiua. Idem de Phrygia dicendum erat. Nunc autem ipse expellit tibias, & acceptat Phrygiam, & ad-

iungit ad Doricam : quæ ſedat, & moderatur,& non excitat affectus, vt Phrygia. Quòd autem Phrygia ſit affectuum concitatiua probat philoſophus exemplo tũ poetarum,tum etiã Philoxeni muſici,qui fecit carmina maxime affectuum concitatiua , ideſt cantus dithyrambicos,qui ſunt vehemẽter congruentes Phrygię harmonię. Voluit autem eos accommodare Doricæ, & non potuit : ſed tractus vi naturæ illius,flexit ad Phrygiam,quæ eius maxime erat conformis : Dorica vero diſcrepabat ab illis,quia non accendit animum,uel affectus concitat, ſed moderatur,& continet, ut ſuperius dixit, & nunc etiam confirmat : atque ideo illam adoleſcentibus perdiſcendam eſſe oſtendit.

Sed duo conſideranda ſunt, vnum quid poſſibile,alterũ quid deceat,nam poſsibilia quiſq; aggredi potius,& conuenientia ſibi debet. Sunt autem hæc determinata ætatibus:ceu defeſsis iam tempore,non facile eſt alti ſpiritus cantilenas canere, ſed talibus natura ſubijcit remiſſas . Ex quo Socratem in hoc quoq; meritò reprehendunt quidam ex ijs,qui circa muſicam uerſantur, quod remiſsiores harmonias improbauit ad doctrinam , quaſi vinolentas, accipiens illas nõ ſecundum vinolentiæ naturam(nã vinolentia magis debacchari facit) ſed defeſſas , quare & ad futuram ætatem ſeniorum, opus eſt huiuſmodi harmonias attingere , & huiuſmodi melodias. Præterea ſi qua eſt talium harmoniarum , quæ conueniat puerorum ætati,ex eo,quia poſsit ornatum ſimul doctrinamq; ferre,quod Lydia maximè omnium harmoniarum habere uidetur, manifeſtum quod hæ tres determinationes ſunt in doctrina faciendæ, ſed medium poſsibile,atque decens.

Hac in parte philoſophus præter ea , quæ dicta ſunt, oſtendit non eadem harmonia , nec quomodocunque in omni ætate eſſe vtendum , ſed duo eſſe ſeruanda : vnum quid ſit poſſibile operanti: alterum quid ſit decens.Hoc πρέπον appellant Græci,non dicimus ſane decorum.Eſt enim id , quod ætati , dignitati, tempori , & conditioni perſonarum accommodatur, & cum officio eſt magna affinitate coniunctum: itaq; M.Tullius in libro de officijs, nihil aliud oſtendere velle videtur:niſi quid ſit recte factum,

ctum,quid oporteat, & quid deceat. Considerandum est igitur,quid sit decens,& quid sit possibile operanti:multa enim agenda forent, quæ omittuntur, quia operanti non sunt possibilia: multa possibilia, quæ non decent. Vt Alexandrum petenti aliquid dixisse tradunt,non quę illum accipere, sed quę dare regem deceret, sibi esse videndum. Pręterea possibile,& decens distinguitur etiam secundum ætatem, cuius est quoque habenda ratio. Plato vero,vt inquit philosophus, improbauit etiam harmonias remissas: quibus non sunt priuandi senes. improbauit igitur eas Plato, tanquam inutiles moribus,& disciplinæ,ac veluti ebrietatem inducentes,accipiens eas esse vinolentas,non secundum naturã vinolentiæ,& ebrietatis,quæ est vehemens,& facit homines debacchari:sed remissas, & quasi torpentes, & ab æqualitate digredientes: vt quidam exponunt. Congruunt autem senibus, & eis possibiles sunt: præterea dicit philosophus concludendo,quòd si qua est alia,quę cõgruat ætati puerorum, & contineat decorum, atq; doctrinam, vt lydia habere videtur maxime omnium harmoniarum, talis etiam sumenda erit,atq; manifestum est, quòd tres determinationes sunt in doctrina faciendę,videlicet, vt sit media possibilis,ac decens,& harmonię habens huiusmodi conditiones, disponet homines ad bonos mores, & ad bonam disciplinam. Dispositi vero facilius virtutes,& omnino ipsam felicitatem humanam consequi poterunt, vt principalissima intentio huius ciuilis doctrinę esse videtur. *Alti spiritus,* idest vehementis. Notandum, quòd philosophus hunc octauum librum pene totum consumpsit in musica,quod videretur quibusdam à proposito aliennm, cum loqueretur de eruditione ciuium: quare intelligendum, quòd philosophus incepit ab imperfectioribus pergendo ad perfectiora,vt antea diximus: itaq; à corpore incipiendũ esse dixit pergendo ad animũ,& ab ea parte animi,quę est inferior.i.ab appetitu sensitiuo pergendo ad mentẽ.Vigent autem in pueris,& in adolescẽtibus affectus: quos reprimere,& moderari oportet,& ad mediocrita-

diocritatem reducere, vt ratio penitus dominetur, appetitus obediat. Hoc autem facile fieri non poteſt, niſi habeant virtutes: ad eas autem acquirendas congruum eſſe videtur, vt pręcedat diſpoſitio quędam pręuia, ſicut in pellendis morbis contingere conſueuit. ſunt enim effectus puerorum, & adoleſcentium, & omnino perturbationes animi, tanquam morbi. Adhibenda eſt igitur muſica, vt lenis quædam medicina, quia illi vtuntur cum iucunditate, ne deterreantur, à ſtudio conſequendæ virtutis, ſed potius alliciantur in illa ætate tenera & parum firma. Confert enim harmonia, vt vidimus, ſi ſeruitijs ſeruandis adhibeatur, & diſpoſitionem inducit ad morales virtutes. Lenis igitur medicina muſica dici poteſt, & iucunda potio adoleſcentibus, qua diſponere animum poſſunt, & effectus faciliores reddere, vt cedant vehementioribus medicinis, & omnino ipſis virtutibus, quæ appetitum obedientem faciunt imperio iubentis rationis. Notandum præterea, quod ſunt qui arguunt contra eos, qui opinantur hunc librum non eſſe completum, & afferunt contra illos ordinem philoſophi, dicendo, quod Ariſtoteles non confundit doctrinas. Et quod primum nobis dedit præcepta morum in libro Ethicor. vt ſciant homines modum acquirendæ virtutis, & operandi ſecundum eam: deinde doctrinam tradidit gubernandi familiam, vt non ſolum ad ſe ipſum, ſed etiam ad domum, & familiam totam extendatur fructus ipſarum virtutum: demum ad hunc librum peruenit quaſi ad vltimum, ad quem dirigi debet omnis philoſophia moralis, vt ex optima gubernatione euadant ciues, & ciuium cœtus, quoad fieri poteſt felices. Dixit autem philoſophus multa in primis libris, vt vidimus, tamen redegit ſe ad optimam gubernationem reipublicæ & ſubijt quodãmodo vicem legis latoris, & docuit, quo modo ſint ferendæ leges, præſertim circa eruditionem eorum, qui futuri ſunt ciues. Nam ſi publice prouiſum fuerit, vt adoleſcẽtes recte inſtituantur, poſtea facti viri euadent ſtudioſi, & eorum gubernatione gaudebit reſpublica.

blica.Oportet autem, ut lator legum habeat morum & rei familiari doctrinã, & demum disciplinam ciuilem, ut posſit instituere pueros, & adoleſcentes, ſi ſeruetur ordo, qui deſcribitur à philoſopho, incipiendo primum à corpore,pergendo ad animum,deinde diſponendo appetitum,& affectus puerorum,ac ipſorum adoleſcentiũ, per eam muſicæ diſciplinam, quæ teneram ætatem eorum non terrefaciat: ſed quadam liberali iucunditate alliciat, & quoquo modo diſponat ad bonos mores, adeo ut facilius uirtutes acquirant,ac deinde in publicis pariter,ac priuatis rebus rectam uiuendi rationem ſequantur. Et ſic abſolutum eſt Politicorum opus,in quo exponendo ſiquid eſt à me non recte poſitum, id retracto, ac meliori & ueriori iudicio emendãdum relinquo: Sin uero aliquid omiſſum, te Lector, rogo, vt quod Donatus Acciaiolus his ſcriptis præſtare non potuit, tu ingenio tuo conſequare: quando hęc pręclara tractatio magnam gloriam, ſummum honorem, & perfectum, ut Ariſtoteli placet, felicitatem hominibus pollicetur.

FINIS.

Errata corrigenda.

Pagina 14. a verſu 19. præſepi. Lege, præſepe.
19. b. 4. ſic, ſit. Et verſu vlt. dolobra, dolabra.
20. a. 10. affectio, effectio.
21. b. 1. ero, ergo.
27. b. 13. Inferiore, in fœnore.
28. a. 26. deuictio, deuectio. & ita b. 9.
30. a. 12. nummularium, nummulariam.
49. a. 14. expoſitione, ex poſitione. Et 32. fiij, filij.
54. a. 1. ciuitate, ciuitatem.
65. a. 12. Pirum, Piræum.
121. a. 37. tam, eam.
176. b. 36. ipſius. dictum, ipſius cenſus. Dictum &c.
181. b. 35. gratificari et, gratificari ei.
216. b. 12. magisque, magis quàm.
235. a. 32. ſemidei, ſemidiei. Et 35. comeſſationes, commeſſationes. & ſic deinceps.
239. b. 7. Eorum, Forum.
241. b. 18. punctionibus, punitionibus.
242. a. 12. habiliter, laudabiliter.
247. b. 3. ciuis, eius.

Cetera diligens vir per ſe cognoſcet, atq. emendabit.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm.

Omnes ſunt Quaterniones.

VENETIIS
Apud Vincent. Valgriſium,
M D LXVI.